This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

BATZ MEMORIAL LIBRARY
THE ABBEY OF
GETHSEMANI, KY.

THEOLOGIA

DOGMATICA ET MORALIS.

Propriété.

LONS-LE-SAUNIER, IMPRIMERIE ET LITHOGRAPHIE DE A. RODERT.

THEOLOGIA

DOGMATICA ET MORALIS

AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE

J. J. FRAIGNIER

S. THEOLOGIÆ PROFESSORE IN SEMINARIO LÆDONENSI

(DIOECES. SAN-CLAUDIENSIS.)

Opus revisum et auctum à Professoribus ejusdem Seminarii.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

2um VOL.

BATZ MEMORIAL LIBRARY, THE ABBEY OF GETHSEMANI, KY.

LÆDONE,

IN MAJORI SEMINARIO.

PARISIIS,

APUD J. LECOFFRE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS,

Viâ vulgò dictâ du Vieux-Colombier, 29.

MDCCCLV.

LOAN STACK

BX1751
F7
v. 2

DISPUTATIO II.

DE MEDIIS SUPERNATURALIBUS A DEO INSTITUTIS AD DIGNOSCENDAM, CONSERVANDAM, INTERPRETANDAM ET EVOLVENDAM REVELATIONEM,

PRÆCIPUÈ

DE ECCLESIA CHRISTI.

Omni tempore debuerunt existere et facto exstiterunt media certa ad dignoscenda et interpretanda monumenta per quæ transmittitur revelatio. Superiùs enim vidimus Religionem ab origine mundi exstitisse, et quasdam omni tempore leges hominibus à Deo per revelationem impositas fuisse. Ergo in omnibus Religionis statibus debuerunt existere media certa ad fines præcitatos divinitùs instituta. Alioquin monumentis evadentibus dubiis, dubia evasisset Religio ipsa, proindè nullo modo obligatoria fuisset, proindè non exstitisset: quod admitti nequit. Quædam autem media in omnibus Religionis statibus exstitisse à cunctis admittitur. Hoc aliundè ex infrà dicendis constabit.

Diversa autem fuère pro variis Religionis statibus.

I. In statu religionis primitivæ unum erat medium, situm videlicet in quodam actu speciali Dei providentis ad integram revelationis transmissionem. Quod sic probatur:

1° Ex unâ parte certum est revelationem primitivam servatam fuisse integram apud familias patriarchales. Ex alterâ autem parte etiam certum est cæteras fami-

lias, licèt in iisdem circumstantiis positas, hanc revelationem adulterâsse. Porro hæc differentia explicari non potest, nisi admittatur specialis actus Dei providentis ad integram revelationis primitivæ conservationem apud familias patriarchales, et per illas in universo mundo.

2° Sub titulo *de Traditione* (1) probavimus revelationem primitivam fuisse per traditionem transmissam. Item superiùs diximus quoddam medium tempore Patriarcharum existere debuisse ad dignoscendas traditiones veras, ad dijudicandum veræ traditionis sensum. Quo posito, vel medium istud situm erat in actu speciali Dei, vel in auctoritate alicujus societatis publicæ, vel in communi consensu universarum generis humani familiarum. Porro non erat situm in auctoritate alicujus societatis publicæ: Scripturâ enim constat societatem religiosam nondùm illo tempore constitutam fuisse sub formâ societatis publicæ, sed tunc exstitisse intra limites societatis domesticæ. Item, nec in communi consensu universarum familiarum: historiâ enim teste, si patriarcharum excipiantur familiæ, veritates primitùs revelatæ ferè apud cæteras omnes citò fuerunt adulteratæ. Ergo.

Explicatio. De naturâ hujus specialis actûs unum tantummodò constat. Scripturâ certum est Deum per apparitiones sæpiùs repetitas providisse integritati et vero sensui revelationis jàm primitùs factæ.

II. Sub lege mosaïca, integræ transmissioni et explicationi revelationis providerat Deus per institutionem sacerdotii aaronici, seu corporis sacerdotum sub Pon-

(1) Sect. II, disp. 1, 2ª p. 1ª q., prop. 1.

tifice summo capite, cujus corporis decisionibus ab omnibus erat obtemperandum, ut constat ex Deuteronomio (1). Insuper autem eidem revelationi providerat per ministerium propheticum. Scripturâ enim V. T. teste, sæpiùs, ac successione ferè non interruptâ, à Deo immediatè et independenter à Synagogâ missi sunt prophetæ supernaturaliter inspirati, qui, missione suâ miraculis confirmatâ, populo denuntiabant divina mandata, eumque revocabant ad verum revelationis sensum et ad puram legis observationem. Undè Scripturæ et revelationis interpretatio, privati spiritûs arbitrio ac proindè adulterationi nunquàm exstitit obnoxia. Equidem, sub fine legis mosaïcæ, desinente ministerio prophetico, Scribæ et Pharisæi non rarò divinis mandatis admiscuerunt *traditiones hominum*, ut ipsis exprobrabat Christus (Matth. 15, 3; Marc 7, 7 et 8). Istas autem humanas traditiones nunquàm prævaluisse in doctrinâ publicâ corporis sacerdotalis, et cathedram Moysis, vi supernaturalis auxilii, usque ad finem ab errore puram permansisse, tenent cum Patribus theologi, juxta illud Christi, Matth. 23, 2 : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæ-*

(1) *Deuter.* 17, 8 et seq. « Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram: et judicum intra portas tuas videris verba variari: surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum... Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille. »

cumque dixerint vobis, servate et facite: secundum opera verò eorum nolite facere (1).

III. Sub lege christiana, de naturâ prædictorum mediorum gravissima controversia est inter catholicos et acatholicos.

1° Catholici unanimi ore affirmant: auctoritatem infallibilem Ministerii Catholici, seu corporis episcopalis sub Pontifice Summo capite docentis; fidem indefectibilem totius corporis Ecclesiæ Catholicæ esse, exclusis doctrinâ cujusvis alius ministerii, fide cujusvis alius societatis, sola media certa divinitùs instituta.

2° Acatholici in diversas partes scinduntur:

1. Qui retinuerunt hierarchiam ecclesiasticam, suo ministerio et suæ ecclesiæ vindicant auctoritatem quam ministerio catholico et ecclesiæ catholicæ legitimè competere probabimus.

2. Qui nullam hierarchiam agnoscunt scinduntur in diversas partes. Juxta quosdam (*Socinianos*), nullum aliud admitti debet medium, nisi ratio humana, cui soli adhærendum est in discretione veræ Scripturæ et genuini Scripturæ sensûs. —Juxta alios (*Lutheranos* et *Calvinistas*), solus interpres Scripturæ est *privatus*, ut aiunt, *spiritus*, cui ab omnibus quibus aspirat omninò parendum est. — Alii tandem aliud assignant medium,

(1) De hoc textu S. August. de Doctrinâ christ. lib. 4, c. 27, ait: *Illa ergo cathedrâ, non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua; docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena.* Et lib. 16 contr. Faust. c. 29: *In quibus Dominicis verbis debetis advertere... quantus honor delatus sit doctrinæ Moysi, in cujus cathedra et mali sedentes, bona docere cogebantur.* Vid. et S. Hilar. comment. in Matth. c. 24.

scilicet fidem universarum societatum christianarum (1).

Contra eos præcipuè habetur præsens disputatio. Cùm autem scopus noster non sit tantùm catholici dogmatis adversarios refellere, sed etiam inquirere utrùm et quænam principia locus præsens theologiæ suggerere possit, totam hanc disputationem sub duabus quæstionibus hucusquè positis exponemus.

(1) Vid. *Appendicem.*

DE AUCTORITATE DOCTRINALI[1] ECCLESIÆ.

QUÆSTIO PRIMA.

UTRUM ECCLESIA (*doctrina ministerii catholici, fides ecclesiæ catholicæ*) SIT LOCUS PRINCIPIORUM PROPRIÈ DICTUS?

RESP. *Affirmativè.*

Res ità est, si 1° Ministerium Catholicum sit in docendo infallibile, et Ecclesia Catholica in credendo indefectibilis; si 2° eo ipso *doctrina* Ministerii Catholici, *fides* Ecclesiæ Catholicæ dici possint loca principiorum.

Atqui,

PROPOSITIO I.

MINISTERIUM CATHOLICUM EST IN DOCENDO INFALLIBILE; ECCLESIA CATHOLICA EST IN CREDENDO INDEFECTIBILIS.

Quæ propositio probanda est et explicanda.

PROBATIONES. — PROB. DIRECTÆ.

PROB. I.

ARGUMENT. THEOLOGIC.

Sequenti modo ordinari potest:

Christus verè à Deo missus, vi potestatis Ipsi à Deo Patre datæ in cœlo et in terrâ (Matth. 28, 18) instituit

(1) Sub titulo: *De Legibus in genere* agemus de auctoritate legislativâ.

Ecclesiam unam et perpetuam ; — huic societati præfecit potestatem permanentem ; — concessit potestati ; seu Ministerio, infallibilitatem in doctrinâ; universæ societati indefectibilitatem in fide.

Nunc ergo existit Ministerium quod in docendo fallere, existit societas quæ in credendo errare non potest.

Porro Ministerium catholicum est solum verum ministerium infallibile à Christo institutum ; — Ecclesia catholica est sola vera ecclesia indefectibilis à Christo instituta.

Quælibet pars seorsìm probanda.

1ª PARS ARGUM.

Christus instituit Ecclesiam... — Huic præfecit potestatem... — Concessit potestati infallibilitatem, universæ societati indefectibilitatem.

I.

CHRISTUS INSTITUIT ECCLESIAM UNAM ET PERPETUAM.

Præmittendum. Hoc verbum *Ecclesia* in diversis sensibus accipitur. 1. In sensu latissimo designat : *cœtum colentium Deum sub Christo capite*, et sic complectitur Ecclesiam tùm triumphantem, tùm militantem, tùm patientem. 2. In sensu latiori, desumitur pro *cœtu fidelium qui veram Christi fidem profitentur in terris.* 3. In sensu speciali designat : vel *ipsum ministerium, cui competit munus subditos regendi per doctrinam et leges;* vel *collectionem membrorum qui à ministerio reguntur.*

In præsenti tractatu, Ecclesia nunquàm accipitur in primo sensu. Alias adhibemus acceptiones. — Tunc sensus hujus vocis *ecclesia* sufficienter determinatur per propositiones quibus includitur.

Quo posito, probanda est per partes propositio prædicta:

§ 1. Christus instituit Ecclesiam.

Prob. 1ª *Ratione.* Christus hominibus prædicavit religionem, cujus simul præscripsit professionem; ergo voluit existentiam Ecclesiæ, seu unius societatis hominum doctrinam suam profitentium.

Prob. 2ª *Script. S.*, Matth. 16, 18: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ephes. 1. 22: *Et ipsum* (Christum) *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Matth. 28, 19: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Ex his textibus patet: Christum de Ecclesiâ à se instituendâ locutum fuisse; hanc societatem facto constituisse; et ipsi imposuisse præceptum observandi quæcumque mandaverat, id est observandi doctrinam suam.

Prob. 3ª *Traditione.* Symb. Apost. *Credo..... in Sanctam Ecclesiam catholicam.* Symb. Nicæn. *Credo... et Unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam.* Unanimis etiam est circa propositionem nostram SS. Patrum consensus.

§ 2. Ecclesia Christi est Una.

Prob. 1ª *Ratione.* 1° Si vera Christi Ecclesia non sit una, multis verò particularibus ecclesiis constituta; vel istæ societates particulares admittunt integram Christi doctrinam, vel eam rejiciunt totaliter aut in parte. Si prius: istæ societates sunt veræ Christi ecclesiæ. Sed in hâc hypothesi, ad unam societatem reducuntur; siquidem, ex definitione, Ecclesia nihil aliud est quàm cœtus fidelium veram Christi doctrinam profitentium. Si posterius: istæ societates non pertinent ad veram Ecclesiam Christi.

2° Si plures et differentes essent veræ Christi ecclesiæ, istæ societates diversæ possent oppositas proponere doctrinas. Cùm autem, ut infrà videbitur, Ecclesiæ Christi competat jus obligatoriè regendi omnes homines per doctrinam et leges, homines contradictoria dogmata credere tenerentur: quod absurdum est.

Prob. 2ª *Script. S.* Matth. 16, 18: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Eph. 1, 22: *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus.* Joan. 10, 16: *Et alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili: et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Eph. 4, 4: *Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* In duobus primis textibus, Ecclesia designatur numero singulari; in aliis de Ecclesiâ mentio est sub figurâ unius ovilis, unius corporis. Ergo Ecclesia est una.

Prob 3ª *Tradit.* Symb. Apost. *Credo.... Sanctam Ecclesiam.* Symb. Nicæn. *Et unam... Ecclesiam.*

S. Cyprianus, libr. de Unitate: *Ut Unitatem manifestaret, Unam cathedram constituit, et Unitatis ejusdem originem ab Uno incipientem suâ auctoritate disposuit... Exordium ab Unitate proficiscitur et primatus Petro datur, ut Una Christi Ecclesia et cathedra Una monstretur.* S. Optat. Milev. lib. 2 contr. Parmen. *Negare non potes Petro cathedram episcopalem primo collatam; in quâ Unâ cathedrâ Unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent.* Similia referunt S. Hieron. lib. 1. contra Jovinian., SS. Augustinus, Irenæus et alii Patres.

§ 3. Ecclesia Christi est perpetua.

Prob. 1ª *Ratione.* 1° Christus annuntiavit doctrinam, quam ab omnibus usque ad consummationem sæculi servari voluit. Ergo Christus intendit societatem hominum doctrinam suam profitentium, seu Ecclesiam suam, esse perpetuam.

2° Ex unâ parte, omni tempore homines possunt et poterunt ad salutem pervenire. Ex alterâ parte, juxta voluntatem Christi suæ religionis observationem omnibus hominibus præscribentis, non est salus extra veram Ecclesiam. Ergo necesse est Ecclesiam Christi esse perpetuam; alioquin, aut salus esset impossibilis, aut extra veram Ecclesiam obtineri posset.

Prob. 2ª *Script. S.* Luc. 1, 32: *Hic erit magnus, et Filius altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Matth. 28, 20: *Et*

ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Eph. 4. 11 : *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores : ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei.* Ex istis textibus sequitur : regnum Christi perpetuum fore ; portas inferi nunquàm prævalere posse contra Ecclesiam; Christum cum Apostolis docentibus futurum esse usque ad consummationem sæculi ; hierarchiam ecclesiasticam duraturam esse donec omnes homines occurrant in unitatem fidei. Porro hæc omnia supponunt Ecclesiam Christi fore perpetuam.

Prob. 3ª *Traditione*. Ecclesiam futuram esse perpetuam unanimiter docent SS. Patres, inter quos :

S. Chrysostomus in c. 7 Isaiæ : *Facilius est solem extingui quàm Ecclesiam deleri*. S. August. contra Paganos in ps. 71, inquit: *Putant religionem nominis Christiani usque ad certum tempus in hoc sæculo victuram, et posteà non futuram : permanebit ergo cum sole, quandiù sol oritur et occidit ; hoc est, quandiù tempora ista volvuntur, non deerit Ecclesia Dei, id est, corpus Christi in terris*. S. Hieron. ad c. 4 Isaiæ : *Super petram fundata Ecclesia nullâ tempestate concutitur, nullo turbine ventisque subvertetur*. Et ad c. 8 Amos, explicitè docet : *Ecclesiam usque ad finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquàm posse subverti ; tentari, non separari*. Item S. Hilar. de Trinit. lib. 7. n. 4; S. Ambros. lib. de Salomone, cap. 4.

II.

CHRISTUS ECCLESIÆ PRÆFECIT MINISTERIUM PERMANENS,

aliis verbis,

Divisit permanenter Ecclesiam suam in ministerium regens et subditos regendos.

Prob 1ª *Ratione*. Christus instituit Ecclesiam, ut religio ab ipso revelata observaretur, et integra usque ad consummationem sæculi transmitteretur. Porro, absque permanenti potestate, finis à Christo intentus non obtineretur. Ergo Christus permanentem Ecclesiæ præfecit potestatem. — *Maj*. patet ex dictis. *Min*. sic prob. Ex unâ parte certum est doctrinam et præcepta Christi repugnare hominum præjudiciis et cupiditatibus. Ex alterâ parte, experientiâ constat homines naturâ suâ tendere ad adulterandum doctrinas et omittendum præcepta quæ contradicunt suis præjudiciis ac cupiditatibus. Imò historia paganorum et sectarum testatur religionem citò adulterari et in oblivionem venire, quandò deficit auctoritas quæ specialiter invigilet ejus integritati, præceptorumque promoveat observationem. Ergo. *Conclus*. etiam patet, siquidem Christus erat summè sapiens.

Prob. 2ª *Script. Sacr*. Matth. 28, 19: *Euntes ergo docete omnes gentes... Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*. Marc. 16. 15: *Et dixit eis:... prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*. Eph. 4, 11: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pas-*

tores et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei. Undè: In Ecclesiâ Christi existit quoddam ministerium, cui specialiter competit munus doctrinale. — Hoc ministerium est à Christo institutum. — Hoc ministerium est permanens: Siquidem 1. Fuit institutum absque temporis limitibus, proindè permanenter duraturum. 2. Ipsi incumbit obligatio Evangelium prædicandi omnibus gentibus, omni creaturæ, donec occurrant omnes in unitatem fidei. Cum ministerio docente Christus erit usque ad consummationem sæculi.

Prob. 3ª *Traditione.* Unanimi ore testantur Patres in Ecclesiâ Christi esse hierarchiam permanentem ab ipso institutam, quæ constat Episcopis, Presbyteris aliisque ministris. Speciatim:

S. Clemens papa, ep. 1 ad Cor. *Missus est Christus à Deo et Apostoli à Christo... Itaque, acceptis mandatis... prædicantes per regiones ac urbes, primitias earum, spiritu cùm probâssent, in Episcopos et Diaconos eorum qui credituri erant, constituerunt... Et deinceps futuræ successionis regulam tradiderunt: ut, cùm illi decederent, ministerium eorum ac munus alii viri probati exciperent.*

S. Ignatius, ep. ad Smyrn. n. 7: *Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus-Christus Patrem... Sine Episcopo nemo quidpiam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant... Ubi Episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est Ecclesia. Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque agapem celebrare. Sed quodcumque ille probaverit, hoc et Deo*

est beneplacitum. Idem, ep. ad Trallens. *Cuncti revereantur Diaconos, ut mandatum Jesu Christi; et Episcopum, ut eum qui est figura Patris; Presbyteros autem ut consessum Dei et conjunctionem Apostolorum. Sine his Ecclesia non vocatur.* Et ep. ad Ephes. *Jesus Christus, inseparabilis nostra vita, Patris est sententia, ut Episcopi per terræ terminos definiti ex Jesu Christi sunt sententia.*

S. Irenæus, libr. 3. contra. hær., cap. 2: *Habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos.*

Tertull. de Bapt. *Dandi baptismum jus habet summus Sacerdos qui est Episcopus; dehinc Presbyteri et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.* Libr. Præscript. n. 32, idem auctor docet Ecclesias apostolicas sensus suos deferre ex ordine Episcoporum suorum et eorum successione ab initio decurrente.

S. Cyprianus, ep. 69: *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, et pastori suo grex adhærens. Undè scire debes Ecclesiam esse in Episcopo, et Episcopum in Ecclesiâ, et si qui cum Episcopo non sit, in Ecclesiâ non esse.* Et, ep. 27: *Ecclesia super Episcopos constituitur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernatur.*

S. August. contr. Faust., lib. 33, cap. 9: *Sequamini* (auctoritatem scripturarum) *quæ ab ipsius præsentiæ Christi temporibus per dispensationes Apostolorum, et certas ab eorum sedibus successiones Episcoporum usque ad hæc tempora toto orbe terrarum custodita, commendata, clarificata pervenit.*

Multi alii textus afferri possent ad probandam eamdem thesim.

III.

CHRISTUS CONCESSIT MINISTERIO A SE INSTITUTO INFALLIBILITATEM IN DOCTRINA; UNIVERSÆ SOCIETATI INDEFECTIBILITATEM IN FIDE.

§ 1. Concessit Ministerio infallibilitatem in doctrinâ, aliis veritis,

Ministerium à Christo institutum errorem docere non potest.

Prob. 1ª *Ratione.* 1º Ecclesia Christi est una; proindè illicita est multiplicitas ecclesiarum. Porro hæc pluralitas non solùm licita, sed etiam obligatoria evaderet, si ministerium à Christo institutum in errorem inducere posset. Siquidem 1. si ministerium non sit infallibile, potest in quodam casu falsum docere; et, in hâc hypothesi, fideles possunt, imò tenentur ejus judicio non obtemperare et ab illo recedere ad constituendam novam societatem. 2. Si ministerium non sit infallibile, pastores diversas inter se et oppositas doctrinas admittere possunt; proindè fideles, qui pastoribus obedire tenentur, diversas inter se societates constituere possent: quod admitti nequit.

2º Religio Christi usque ad consummationem sæculi transmittenda est integra et omnibus obligatoria. Porro privilegium infallibilitatis ministerio necessarium est ad hanc debitam transmissionem. Ergo Christus Pastorum corpus infallibilitate donavit.

3º Infrà probabitur Ecclesiam esse indefectibilem. Ergo ministerium est infallibile. Alioquin Ecclesia quæ pastorum vocem audire tenetur, in fide errare posset.

Prob. 2ª *Scripturâ.* Matth. 16, 18: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ec-*

clesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Marc. 16, 15: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ... Qui non crediderit, condemnabitur.* Luc. 10, 16: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Matth. 28, 20: *Et ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Joan. 14, 26: *Paracletus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Eph. 4. 11: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos... donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei... ut jam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinæ.*

Ex his textibus sequitur infallibilitatis privilegium ministerio fuisse concessum. Siquidem 1. ex primo textu constat Ecclesiam quæ *super petram* nititur, nullo modo, proindè nec errore deficere posse. Porro, ut diximus, indefectibilitas Ecclesiæ pendet ab infallibilitate ministerii. 2. Qui non erediderit doctrinæ ab Apostolis transmissæ condemnabitur; adest ergo obligatio credendi; proindè doctrina modo infallibili transmittitur. 3. Qui audit ministerium apostolicum, audit Christum; ergo. 4. Christus est cum Apostolis docentibus usque ad consummationem sæculi. 5. Spiritus Sanctus permanenter docet Apostolos et ipsis suggerit omnia quæcumque dixit Christus. 6. Ministerium à Christo fuit institutum ut omnes adducantur *in unitatem fidei*, ut homines non sint *fluctuantes et non circumferantur omni vento doctrinæ*. Ergo ministerium est infallibile, alioquin homines circumferrentur omni vento doctrinæ, fluctuantes sicut parvuli, et nunquàm occurrerent in unitatem fidei.

Prob. 3ª *Consensu PP.* inter quos: S. Iren., adv. hæres. l. 4, cap. 26: *Ubi charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem apud quos est ea quæ est ab Apostolis Ecclesiæ successio, et id quod est sanum, et irreprehensibile conversationis, et inadulteratum, et incorruptibile sermonis constat.* Alibi inquit: *Ibi enim et eam quæ est in unum Deum qui omnia fecit fidem nostram custodiunt... et Scripturas sine periculo nobis exponunt.*

Tertul. in lib. Præscript. cap. 21: *Constat omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit: omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei.*

Clem. Alexandr., stromat., lib. 7: *In solâ veritate et antiquâ Ecclesiâ perfectissima cognitio.* Alibi Ecclesiam appellat *viam regiam, et tritam, sejunctam à periculo.*

S. Cyprian., ep. 73: *Aqua Ecclesiæ fidelis et salutaris et sanctæ corrumpi et adulterari non potest, sicut et ipsa Ecclesia incorrupta, et casta, et pudica est.* Ep. 45: *Dominus qui Sacerdotes sibi in Ecclesiâ suâ eligere et constituere dignatur, electos quoque et constitutos suâ voluntate atque opitulatione tuetur, gubernantes inspirans et subministrans.* Ep. ad Pupinian. *Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos qui Apostolis vicariâ ordinatione succedunt: qui audit vos, me audit.*

S. Hilar. Pictav. comment. in Matth., cap. 13: *Extra*

Ecclesiam positi nullam divini sermonis capere possunt intelligentiam; navis enim Ecclesia typum præfert, intra quam Verbum vitæ positum et prædicatum; hi qui extrà sunt, intelligere non possunt.

Vid. etiam SS. Chrysost., serm. de Pentecoste; Hieron. ad c. 4 Isaïæ; Ambros. lib. de Salomone, c. 4; Augustin. lib. 1, contr. Crescon. c. 33. lib. 7 de Baptis., c. 53; etc.

§ 2. Christus concessit Ecclesiæ suæ indefectibilitatem in fide, aliis verbis,

Universa Ecclesia Christi errorem admittere non potest.

Prob. 1ª *Ratione.* 1º Ecclesia Christi est indefectibilis in fide. Alioquin posset adulterare doctrinam Christi, in diversas partes separari, proindè jam non esset vera Ecclesia Una. Quod est impossibile: suprà enim vidimus Ecclesiam Christi esse unam et perpetuam.

2º Ecclesia Christi est indefectibilis in fide. Alioquin errare posset; et, in hâc hypothesi, homines possent, imò tenerentur ab illâ recedere. Porro, nunquàm licet ab Ecclesiâ verâ recedere, ut infrà probabitur. Ergo.

Prob. 2ª *Script. S.* Matth. 16, 18: *Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ergo nunquàm error in Ecclesiâ prævalebit. 1 Tim. 3, 15: *Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Ergo errori obnoxia esse non potest.

Prob. 3ª *SS. Patres* docent Ecclesiam Christi nunquàm in fide deficere posse. Hoc sufficienter constat textibus suprà citatis.

CONCLUS. Ire PART. ARG.

Nunc ergo existit Ministerium, et unum tantùm Ministerium, quod in doctrinâ fallere; existit Ecclesia, et una tantùm Ecclesia, quæ in fide deficere non potest.

IIa PARS ARGUM.

Porro Ministerium Catholicum est unicè verum ministerium infallibile à Christo institutum;—Ecclesia Catholica est unicè vera Ecclesia indefectibilis à Christo instituta.

I.

MINISTERIUM CATHOLICUM EST UNICÈ VERUM MINISTERIUM INFALLIBILE A CHRISTO INSTITUTUM.

Res ità est, si 1° Ministerium Catholicum sit verè à Christo institutum; si 2° Ministerium Catholicum sit unicum ministerium à Christo institutum.

Hæc sufficiunt ad propositionis probationem. Siquidem ex anteà dictis patebit Ministerium Catholicum esse infallibile, et illud solum esse infallibile, si constet illud esse ministerium à Christo institutum.

Porro, veritas utriusque assertionis deducitur ex sequentibus:

1° Vero ministerio necessaria est divina missio vestita propriis characteribus, quibus illud ministerium modo visibili distinguatur à quolibet alio ministerio (A);

2° Missio potest esse immediata, vel mediata: alterutra sufficit (B);

3° Missio immediata omnibus et iisdem dignoscitur notis, quibus probatur divinitas alicujus doctrinæ, specialiter prophetiis, miraculis (C).

4° Mediatæ autem missionis notæ sunt : Apostolicitas originis et proprietatum (D);

5° Nulli ministerio competunt notæ missionis immediatæ (E);

6° Ministerium Catholicum possidet omnes notas missionis mediatæ (F);

7° Ministerio Catholico unicè congruunt istæ notæ (G);

Ergo Ministerium Catholicum est unicè verum ministerium à Christo institutum.

§ I.— Ministerio necessaria est divina missio, vestita propriis characteribus quibus illud ministerium modo visibili distinguatur à quolibet alio ministerio (A).

Quæ propositio probatur per partes.

I. Ministerio necessaria est divina missio; id est, ministerium gaudere debet potestate functiones ecclesiasticas exercendi, à Deo concessâ.

Prob. 1ª *Ratione.* Ministerium à Christo institutum est infallibile, ut suprà diximus; ad ipsum pertinet munus leges ferendi, sacramenta administrandi, ut constat textibus allatis, Matth. 28, 19 : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos...* Marc 16, 15: *Prædicate Evangelium...* et sequentibus, Act. Apost. 20, 28: *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Joan. 20, 23: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis...* Porro homines à semetipsis non habent talem potestatem. Proindè à Deo tantùm illam habere possunt. Ergo.

Prob. 2ª *Script.* Hæbr. 5, 4: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex*

fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, Ego hodiè genui te. Ergo requiritur vocatio, seu missio.

II. Requiritur missio *vestita propriis characteribus*, seu necesse est ut hæc missio propriis characteribus innotescat: Siquidem Christus præscribens observationem doctrinæ suæ, eo ipso fidelibus imposuit obligationem audiendi ministerium, cui commiserat munus transmittendi, explicandi doctrinam suam, et hujus doctrinæ promovendi observationem. Proindè necessariò indidit ministerio à se constituto proprios characteres per quos istud ministerium fidelibus innotesceret.

III. Characteribus *quibus ministerium modo visibili distinguatur*, seu requiritur ut verum ministerium has notas modo visibili præ se ferat; id est, ut ministerium 1. sit visibile in se, 2. sit visibile et distinctibile per prædictas notas.

Et 1° Requiritur ut ministerium sit in se visibile: siquidem ipsi debetur obedientia; ipsi incumbit munus docendi, leges ferendi, sacramenta administrandi; externam ordinationem, seu constitutionem, possidere debet. Ergo.

2° Requiritur ut sit visibile et distinctibile per prædictas notas: alioquin fideles illud agnoscere et habere pro vero Christi ministerio, proindè ipsi obsequium præstare non possent.

§ II. — Missio potest esse immediata, vel mediata; alteratra sufficit (B).

Missio est *immediata* vel *mediata*, prout oritur à Deo absque intermedio, aut per intermedium.

Alterutra sufficit; siquidem alterutra sufficientem reddit rationem potestatis ministerio necessariæ.

§ III. — Missio immediata iisdem dignoscitur notis quibus probatur divinitas alicujus doctrinæ; specialiter prophetiis, miraculis (C).

Prob. Siquidem hæc concessio immediata potestatis est actus positivus voluntatis divinæ; proindè non potest probari per rationem, sed tantùm per revelationem; quæ revelatio ipsa probatur argumentis propriis, specialiter prophetiis et miraculis.

§ IV. — Mediatæ missionis notæ sunt: apostolicitas originis, apostolicitas proprietatum (D).

Quæ propositio probanda est et explicanda:

Probatio. Apostolicitas originis, apostolicitas proprietatum sunt notæ missionis mediatæ.

I. Apostolicitas originis est nota:

Prob. 1ª *Ratione.* Christus instituit ministerium unum et perpetuum; ministerium institutum à Christo est ministerium apostolicum. Proindè, ut ministerium actualiter existens dici possit verum ministerium Christi, per successionem ab initio decurrentem derivare debet à ministerio apostolico.

Prob. 2ª *Traditione.* Apostolicitatem originis, seu originem ab Apostolis ductam per continuam Pastorum successionem, exigunt SS. Patres tanquàm necessariam veri ministerii notam: S. Iren. lib. 3 advers. hæres. c. 3: *Traditionem*, inquit, *apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesiâ adest respicere omnibus qui vera velint videre: et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usquè ad nos.* Tertul.

Præscript. cap. 32 : *Edant ergo*, inquit ille de hæreticis audentibus inserere se ætati apostolicæ, *origines Ecclesiarum suarum : evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem*. Idem ab hæreticis sui temporis postulabat S. Optatus Milev. *Vos*, inquiebat lib. 2 contr. Parmen., *vestræ cathedræ originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare*. Similia docent SS. August. Cyprian. Hieronym. et alii.

II. Apostolicitas proprietatum est nota:

Siquidem ex dictis in probatione præcedenti, verum ministerium nunc existens unum et idem est cum ministerio apostolico; debet proindè gaudere omnibus proprietatibus quæ competunt ministerio apostolico.

Explicatio. Diximus : mediatæ missionis notas esse apostolicitatem originis et proprietatum. Ad quod explicandum, nunc inquirendum est: 1° quænam requirantur conditiones, ut ministerium dici possit apostolicum *ratione originis;* 2° quænam, ut dici possit apostolicum *ratione proprietatum?*

QUÆSTIO 1ª.

Quænam requirantur conditiones ut ministerium dici possit *Apostolicum ratione originis ?*

Résp. Requiritur ut ministerium gaudeat potestate episcopali ; proindè requiritur ut membra ministerii receperint consecrationem episcopalem validam, et institutionem canonicam quoàd effectus permanentem.

I. Requiritur ut ministerium gaudeat *potestate episcopali.*

Prob. Res ità est, si plenitudo potestatis apostolicæ pertineat ad Episcopos et ad Episcopos tantùm. Porro utrumque esse certum sequentibus argumentis constat.

I. Argum. generalia, quibus utraque assertio probatur :

1° *Script.* Act. ap. 20, 28 : *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Undè 1. Episcopi plenitudinem habent potestatis apostolicæ: siquidem positi sunt ad regendam Ecclesiam, proindè possident potestatem ad hunc finem Apostolis concessam. 2. Soli Episcopi eam possident : siquidem *universus* grex illis commissus est.

2° *Traditione.* Circa præsentem quæstionem constans Ecclesiæ traditio probari potest testimoniis Patrum superiùs citatis, et factis.

1. Ex testimoniis Patrum superiùs allatis (1), ubi de constitutione ministerii, sequitur: 1. Episcoporum ordinem præesse ordini Presbyterorum et Diaconorum , et à fortiori laïcis : ergo ad Episcopos et ad Episcopos tantùm pertinet plenitudo potestatis apostolicæ. Sequitur 2. penes Episcopos esse omnem potestatem Ecclesiæ regimini necessariam (S. Ignat. ep. ad Smyrn. ad Trallens. ad Ephes., Tertul. de Bapt., S. Cyprian. ep. 69 et 27); et in his textibus mentio non est de alio ministrorum ordine cui competat eadem potestas. Ergo.

2. Factis. In auctoritate Concilii Generalis resumitur omnis potestas apostolica, ut alibi probabitur.

(1) In 1ª part. argum. n. II.

Ergo ad Episcopos et ad illos tantùm pertinet prædicta potestas, si Episcopi soli jure conveniant Conciliis. Porro res ità est: 1. Aliquandò soli Episcopi ad Concilia erant convocati. 2. Quandò, præter Episcopos, alii Conciliis intererant, decretis non subscribebant, vel tantùm sequenti modo: *Subscripsi;* dùm Episcopi hâc subscribendi formulâ utebantur: *Ego Episcopus definiens*, vel *statuens*, vel *judicans subscripsi*. 3. In actibus ecclesiasticis, decreta Conciliorum dicuntur *decreta Episcoporum*, nunquàm verò *decreta presbyterorum*. Ergo.

3° *Argum. theolog.* Cùm ministerium à Christo institutum sit permanens, potestas quæ concessa fuerat Apostolis, in quibusdam Ecclesiæ membris residere debet. Ergo prædicta potestas stat penes Episcopos et penes ipsos tantùm, si in Scripturâ et Traditione, solis monumentis per quæ nobis transmissæ fuerunt institutiones Christianæ, mentio sit de Episcopis et de ipsis tantùm. Porro utrumque patet ex duobus argumentis superiùs expositis.

4° *Auctorit. Eccles.* Ecclesia catholica de fide tenet propositionem de quâ nunc agitur. Inferiùs, per argumenta quæ non pendent à quæstione præsenti, probabitur Ecclesiam catholicam esse veram Ecclesiam indefectibilem. Ergo.

II. Argum. speciale, per quod probatur 2ª pars propositionis, scilicet: *ad Episcopos tantùm pertinet plenitudo potestatis apostolicæ:*

Res ità est, si hæc plena potestas non resideat in clero ordinis inferioris; nec in laïcis, sive principibus, sive simplicibus subjectis. Atqui,

1° Non residet in clero ordinis inferioris : Sufficiunt probationes superiùs allatæ.

2° Non in principibus : Quià 1. constitutio Ecclesiæ est permanens. Proindè, si principes apostolicâ potestate pollerent, dicendum foret principes ethnicos et Ecclesiæ persecutores hanc potestatem habuisse ; quod absurdum. Quià 2. verum ministerium, cui competit potestas apostolica, est infallibile ; porro principes non sunt infallibiles. Quià 3. si potestas apostolica resideret in principibus; vel in quolibet principe seorsim sumpto, vel in principibus collectivè sumptis. Porro neutrum dici potest. Non prius : siquidem auctoritas veri ministerii est universalis, limites non patitur, nec admittere potest; atqui potestas alicujus principis non est universalis. Non posterius : siquidem verum ministerium debet esse unum sive quoàd doctrinam, sive quoàd corpus; atqui facto constat principes nunquàm potuisse occurrere in unitatem sive doctrinæ, sive corporis.

3° Non in populo : 1. Suprà vidimus Christum instituisse ministerium à fidelibus distinctum. Porro, jam nulla est distinctio, si fideles ipsi gaudeant potestate apostolicâ. 2. Act. ap. 15, 28: *Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria : ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione; à quibus custodientes vos benè agetis.* Porro, si potestas apostolica ad ipsos fideles competeret, dicendum foret illegitimum exstitisse concilium Hierosolymitanum, in quo absque consensu fidelium hanc legem apostoli tulerunt: quod repugnat. 3. Hæc est Ecclesiæ et Patrum constans traditio. Specialiter. S. Gregor. Nazianz., orat. 9, ait :

Oves, pastores vestros ne pascite; ne judicate, nec legislatoribus leges præscribite; non est enim confusionis Deus, sed pacis et ordinis; ne quis igitur caput sit, qui vix manus aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum est. Hinc Basilius imperator, in Concilio Gener. VIII°: *Laïcorum cuicumque nullâ ratione de ecclesiasticis causis disputandi fas esse dico; nam laïcus, etsi omni pietatis et sapientiæ laude præstet, tamen laïcus est, ovis, non pastor.*

II. Proindè requiritur ut membra ministerii receperint *consecrationem episcopalem* validam, et *canonicam institutionem* quoàd effectus permanentem.

Potestas Episcopalis duplicem complectitur, scilicet: potestatem *ordinis*, seu potestatem exercendi functiones quæ spectant ad cultum divinum; potestatem *jurisdictionis*, seu potestatem Ecclesiam regendi per leges. Proindè requiritur valida consecratio, si ab illâ pendeat potestas ordinis; requiritur canonica institutio quoàd effectus permanens, si ab eâ pendeat potestas jurisdictionis. Porro hæc duo sunt certa:

I. Argum. general. Concil. Trid. sess. 23, can. 7: *Si quis dixerit... eos, qui nec ab Ecclesiasticâ et canonicâ potestate ritè ordinati, nec missi sunt, sed aliundè veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit.* Undè sic:

1. Ecclesia Catholica de fide tenet propositionem de quâ nunc agitur. Ecclesiam Catholicam veram esse Ecclesiam Christi, quæ in fide errare non potest, inferiùs probabimus per argumenta quæ non pendent à quæstione præsenti. Ergo vera est propositio nostra.

2. Doctrina in nostrâ propositione enuntiata nunc tenetur de fide in universâ Ecclesiâ Catholicâ; de illâ non fuit innovatum; proindè oritur ab Apostolis, proindè à Christo. Ergo vera est.

Maj. patet ex textu citato, qui nihil aliud est quàm expressio fidei totius Ecclesiæ.

Min. sic probatur. Facto constat: pastores et fideles semper fuisse novitatibus infensissimos; divisiones ab initio exstitisse Orientalem inter et Occidentalem Ecclesiam, catholicos inter et hæreticos, inter ipsos hæreticos. Proindè, si quædam orta fuisset innovatio circa quæstionem præsentem, positâ quæstionis gravitate, reclamationes innumeræ obstitissent ejus admissioni. Porro admittitur hæc doctrina, et de reclamationibus tacet historia ecclesiastica. Ergo.

II. Argum. special. quibus utraque pars prop. seorsim probatur.

1ª*p. Prop.* — Potestas ordinis pendet à validâ consecratione:

Prob. Potestas ordinis conferenda est per medium externum de quo constare possit. Porro, præter ordinationem ab Episcopis factam, nullum aliud assignari potest.

Pr. maj. Potestas ordinis conferenda est modo exteriori de quo constare possit. Fideles enim actionem ministerii functiones suas exercentis suscipere non possunt, quin ministros certò dignoscant. Porro, absque signo externo, ministri certò non dignoscerentur.

Pr. min. Præter ordinationem ab Episcopis factam, nullum aliud assignari potest.

Et 1° Ordinatio ab Episcopis facta est medium cer-

tum: Act. ap. 13, 2: *Dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.* 1. Tim. 4, 14: *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Ex his textibus sequitur potestatem ordinis conferri 1. per manuum impositionem, seu ordinationem, ut explicant Liturgiæ, Concilia et Patres; 2. per impositionem manuum ab Episcopis factam: nam, juxta priorem textum ordinatio Sauli et Barnabæ facta est per Apostolos qui erant Episcopi; in posteriori dicitur facta per *presbyterium*, id est per cœtum Episcoporum, ut testantur interpretes, ac præsertim Græci, Theodoretus, Theophylactus, S. Joan. Chrysost., qui in Homil. 13 in 1. Tim. n. 1. asserit: *Non de presbyteris hic loquitur* (Paulus), *sed de Episcopis; neque enim presbyteri Episcopum ordinabant.*

2° Præter ordinationem ab Episcopis factam, nullum aliud medium certum assignari potest: Si enim potestas ordinis per aliud medium conferri posset, vel per baptismum, vel per electionem populi, vel per ordinationem à sacerdotibus factam. Porro neutrum dici potest.

Siquidem 1. collatio potestatis fieri debet per medium certum; atqui media ab adversariis assignata non sunt certa, cùm de illis nulla mentio sit in Scripturâ et Traditione.

2. Specialiter potestas non confertur — per Baptismum aut electionem: in hâc hypothesi evanescit distinctio inter ministerium et fideles, qualis à Christo

fuit instituta. — Nec per ordinationem sacerdotalem: juxta enim illud systema, jàm nullum est discrimen Episcopos inter et Presbyteros. Porro tamen ex Traditione, ut probant textus superiùs allati ubi de institutione ministerii, constat presbyteros ab Episcopis differre ratione potestatum. Specialiter S. Chrysost., hom 11 in 1 Tim. n. 1, et S. Hieronym. ep. 85, explicitè assignant essentialem inter Episcopos et Presbyteros distinctionem, in eo fundatam quòd Episcopi possint ordinare, Presbyteri verò non possint.

2ª *p. Prop.* — Potestas Jurisdictionis pendet ab institutione canonicâ quoàd effectus permanente:

Prob. Jurisdictio, saltem quoàd exercitium, pendet ab Ecclesiâ. Proindè Jurisdictionis potestate gaudent omnes et soli qui illam acceperunt secundum formam ab Ecclesiâ determinatam, et aliundè eam non amiserunt propter causas etiam ab Ecclesiâ designatas.

Pr. ant. Jurisdictio, saltem quoàd exercitium pendet ab Ecclesiâ:

Præmittendum: 1. Juxta Romanos, Jurisdictio originem habet merè ecclesiasticam, proindè pendet ab Ecclesiâ et quoàd existentiam et quoàd exercitium. 2. Juxta Gallicanos, Jurisdictio Episcoporum oritur immediatè à Christo; positâ ordinatione episcopali, juxta quosdam; positâ institutione canonicâ per S. Pontificem, juxta alios. Juxta omnes pendet ab Ecclesiâ quoàd exercitium. 3. Juxta Jansenistas, Jurisdictio episcopalis oritur immediatè à Christo, positâ ordinatione. Ejus exercitium minimè pendet ab Ecclesiâ quoàd validitatem actuum. Pendet tantùm quoàd licitatem; imò, prorsùs independens est, quandò adsunt rationes sufficientes. Quo posito,

Contra Jansenistas affirmamus validum jurisdictionis exercitium ab Ecclesiâ pendere.

1° Alibi, ubi DE LEGIBUS IN GENERE, probabitur jurisdictionem episcopalem multò probabiliùs oriri immediatè ab Ecclesiâ. Proindè hæc jurisdictio, sive quoàd exercitium, sivè quoàd conservationem subjicitur regulis ab Ecclesiâ statutis.

2° Matth. 18. 18: *Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlo.* Hic textus sensum habet generalem, proindè Ecclesiæ competit jus universale ligandi et solvendi, nisi probetur restrictio hujus juris. Porro in casu dato non probatur.

3° Si Jurisdictio episcopalis minimè penderet ab Ecclesiâ, sed tantùm à jure divino, duæ tantùm jurisdictionis potestates essent legitimæ, scilicet potestas S. Pontificis, potestas episcopalis, cùm istæ tantùm sint à jure divino. Porro tamen facto constat Jurisdictionem Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum semper habitam fuisse legitimam.

4° Si Jurisdictionis exercitium prorsùs independens esset ab Ecclesiâ,

Sequeretur 1. quemlibet Episcopum, quamlibet Ecclesiam esse independentem; proindè Ecclesiam non esse unam. Porro pluralitas Ecclesiarum admitti non potest, ut suprà vidimus.

Sequeretur 2. Episcopum nunquàm posse dici intrusum, cùm, ex hypothesi, Episcopus ubicumque valeat exercere jurisdictionis potestatem. Porro contrarium constat ex traditione, specialiter ex S. Cyprian. ep. 52:

Cùm post primum (Episcopum) *secundus esse non potest; quisquis post unum, qui solus esse debet, factus est Episcopus; non jam secundus ille, sed nullus est.* Alibi idem Pater docet; *Intelligant, Episcopo semel facto, alium constitui nullo modo posse.*

Sequeretur 3. Ecclesiam non posse reservare dignis sedes episcopales, illas indignis denegare, apponere limites Episcoporum jurisdictioni. Porro hæc tria sunt falsa. Siquidem 1. in ordine suo potestas civilis simili jure gaudet; ergo à fortiori Ecclesia prædictis juribus pollere debet. — 2. Christus imposuit ecclesiasticæ potestati munus Ecclesiam regendi; proindè Christus sibimetipsi contradixisset, si prædicta jura, bono regimini Ecclesiæ necessaria, potestati denegàsset. — 3. Specialiter falsum est Ecclesiam non posse reservare sedes episcopales. Hoc enim jure semper usa est absque ullâ reclamatione. Aliundè Concil. Nicæn., can. 6, declarat: *Si quis præter voluntatem et conscientiam Metropolitani Episcopi fuerit ordinatus, hunc Concilium magnum et sanctum censuit non debere esse Episcopum.* — Item falsum est Ecclesiam non posse indignos Episcopos deponere. Historia testatur Episcopos hæreticos, schismaticos, aut de gradu dejectos, eo ipso semper privatos fuisse Jurisdictionis potestate. Aliundè facto constat Episcopos sæpè sæpiùs ab unâ diœcesi in alteram transferri. — Item falsum est Ecclesiam non posse jurisdictioni limites apponere. Historiâ constat Ecclesiam omni tempore potuisse jurisdictionem restringere sive quoàd loca, sive quoàd personas, sive quoàd objectum; quoàd loca: v. g. mutando diœceseon circumscriptiones, plures diœceses ad unam diœcesim

reducendo, concedendo locales exemptiones; quoàd personas: v. g. concedendo exemptiones personales; quoàd objectum: v. g. sibi reservando quædam peccata, indulgentiarum concessionem limitando, etc.

Ergo Jurisdictionis exercitium ab Ecclesiâ pendet.

Proindè Ecclesia potest determinare formam juxta quam concedenda, et causas per quas amittenda est Jurisdictio.

Proindè Jurisdictionis potestate gaudent omnes et soli qui illam receperunt secundum regulas, et eam aliundè non amiserunt propter causas ab Ecclesiâ determinatas.

Quæst. subsequens: *Quibus modis acquiratur et amittatur Jurisdictionis potestas?*

Resp. 1° Modus Jurisdictionem acquirendi, seu formæ institutionis fuerunt diversæ pro variis temporibus, nunc etiam diversæ sunt pro variis locis. In primis Ecclesiæ sæculis, Episcopus eligebatur à clero, quamplurimùm præsente et testimonium dante populo; consecrationem verò simulque institutionem recipiebat à Metropolitano. Nunc in Galliis futurus Episcopus à principe designatur, et præsentatur S. Pontifici, qui approbato subjecto confert Jurisdictionem.

2° Potestas Jurisdictionis amittitur per hæresim publicam, schisma, excommunicationem denuntiatam, degradationem.

QUÆSTIO IIª.

Quænam requirantur conditiones ut ministerium dici possit *Apostolicum ratione proprietatum?*

Resp. Requiritur ut Ministerium FACTO et JURE sit *Unum*, *Catholicum* et *Sanctum*.

§ 1. Requiritur ut FACTO, sit :

I. Unum,

sive quoàd corpus, — sive quoàd doctrinam.

Requiritur ut Ministerium sit :

Iº Unum quoàd Corpus,

Seu, in unum corpus coadunetur per subjectionem cujusque membri erga ministerium collectivè sumptum, specialiter erga S. Pontificem.

Quæ propositio probatur per partes.

Iª p. prop. — *Requiritur ut ministerium coadunetur in unum corpus.*

Prob. 1ª Alioquin ministerium in diversas partes scindi, plures proindè constituere Ecclesias legitimè posset. Porro, hoc falsum est ex anteà dictis de *unitate Ecclesiæ.*

Prob. 2ª Hanc propositionem unanimiter profitentur SS. Patres; specialiter videri possunt textus superiùs citati, ubi de *unitate Ecclesiæ.*

Imò dici potest Protestantes hujus conditionis necessitatem agnovisse. Unitatem enim corporis societatibus suis comparare tentârunt per systema *fundamentalium articulorum.*

IIª p. prop. — *Hæc coadunatio pendet à subjectione cujusque membri erga ministerium collectivè sumptum; specialiter erga S. Pontificem.*

Prob. Unitas externa alicujus societatis pendet à subjectione subditorum erga potestatem. Externa proindè unitas Ecclesiæ pendet à conditione prædictâ, si ministerium collectivè sumptum gaudeat plenitudine potes-

tatis Apostolicæ, si S. Pontifex sit caput corporis Ecclesiæ. Porro utrumque certum est.

I. Ministerium collectivè sumptum gaudet plenitudine potestatis Apostolicæ:

Prob. Triplici potestate gaudebat ministerium apostolicum, scilicet: potestate doctrinali cui inhærebat privilegium infallibilitatis, potestate legislativâ generali, potestate sacerdotali. Porro Scripturâ et Traditione constat triplicem hanc potestatem pertinere ad ministerium collectivè sumptum.

1° *Scripturâ.* Marc. 16, 15: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium..., qui non crediderit, condemnabitur.* Matth. 28, 19: *Euntes... docete omnes gentes, baptizantes eos... Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus...* Matth. 18, 18: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlo.* Act. ap. 15, 28: *Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis...* Ex his textibus, in quibus agitur de collegio apostolico, proindè de ministerio collectivè sumpto, evidenter sequitur triplicem potestatem, scilicet doctrinalem, legislativam et sacerdotalem ministerio fuisse concessam.

2° *Traditione.* Constanti Ecclesiæ traditione semper fuit admissum: ministerium totum repræsentari in Concilio generali, et generale Concilium gaudere infallibilitate doctrinali, simulque potestate legislativâ universali.

II. S. Pontifex est CAPUT corporis Ecclesiæ.

Quod probatur 1° Argum. theologicis, 2° Traditione.

Prob. 1° Argum. theologicis.

1um ARGUM. — S. Petrus erat caput Ecclesiæ : — S. Pontifex est successor B. Petri. Ergo.

Prob. maj. S. PETRUS ERAT CAPUT ECCLESIÆ : 1. Scripturâ; 2. Traditione.

I. Scripturâ :

Duplici argumento, quorum prius gravem præbet præsumptionem in gratiam propositionis probandæ, posterius autem thesim positivè probat.

1um Cùm ab Evangelistis nominantur Apostoli, vel omnes, vel aliqui, semper primo loco ponitur Petrus (Matth. 10, Marc. 3, Luc. 6); et semper primo loco designatur, licèt aliorum ordo plerumque mutetur.

Passim in Scripturis describitur, ut pater familiàs, dux et princeps reliquorum. Ità Marc. 1, 36: *Et prosecutus est eum* (Jesum) *Simon, et qui cum illo erant.* Luc, 9, 32: *Petrus verò, et qui cum illo erant.* Luc. 8, 45: *Dixit Petrus, et qui cum illo erant.*

In omnibus apparet Petrus præ cæteris Apostolis. Ità, post acceptum Spiritum Sanctum, Petrus omnium primus et omnium nomine promulgat Evangelium (Act. 2). Primum miraculum in testimonium fidei à Petro fit; licèt enim Petrus et Joannes simul adfuissent, tamen solus Petrus dixit claudo : *Aurum et argentum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do...* (act. 3). Primus et omnium nomine Christum surrectum profitetur coràm principibus sacerdotum (act. 4). Primus utitur potestate coercitivâ, damnando fraudem Ananiæ

et Saphyræ (act. 5). Primum hæreticorum archam, scilicet Simonem magum primus detegit (act. 8). Primus omnium incipit prædicare Gentilibus, sicut ipse omnium primus prædicaverat Judæis (act. 10). In Concilio Hierosolymitano primus loquitur (act. 15).

Ex istis multisque aliis quæ afferri possent, videre est Petro concessum fuisse primatum. Porro talis primatus non fuit solummodò primatus honoris; hoc repugnaret exemplis et doctrinæ Christi, qui ipse non ministrari sed ministrare venerat, et qui tàm frequenter humilitatem discipulis suis commendaverat. Ergo, præter primatum honoris, Petrus obtinebat primatum jurisdictionis.

2um. Matth. 16, 18; *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in cœlis.* Joan. 21, 16 et seq.: *Pasce agnos meos... pasce oves meas.* Undè: Primatus jurisdictionis in universam Ecclesiam metaphoricè significatur per fundamentum ædificii, claves regni cœlorum et munus pascendi agnos et oves. Atqui Petro tribuitur ratio fundamenti Ecclesiæ, ipsi promittitur clavium potestas generalis, denique ipsi committitur cura pastoralis in agnos, seu fideles, et oves, seu apostolos. Ergo.

II. Traditione:

Traditio constat testimonio Patrum, testimonio Conciliorum.

1° Testim. SS. PP. Origenes vocat S. Petrum *Summum Apostolorum verticem.* Eusebius, lib. 2, cap. 14:

Omnium Apostolorum principem et ducem, ac magistrum militiæ Dei. S. Basil. de Judicio Dei: *Ille* (Petrus) *beatus, qui cæteris prælatus discipulis fuit, cui claves regni cœlorum commissæ.* S. Cyrill. Hierosol. Catech. 2: *Petrum principem apostolorum excellentissimum* vocat. S. Chrysost. homil. 55 in Matth. ait: *Hunc* (Petrum) *universo terrarum orbi Christus proposuit.* S. Cyprian. in ep. ad Jubaianum, loquens de Petro dicit: *Nos unius Ecclesiæ caput et radicem tenemus.* S. Optat. Milev., lib. 2 cont. Parmen.: *Omnium apostolorum caput Petrus* (1).

2° Testim. Concil. Concil. Ephes. (an. 425) act. 3: *Nulli dubium, imò sæculis omnibus notum est, quòd Sanctus Beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiæ catholicæ fundamentum à D. N. Jesu Christo... claves cœli accepit, solvendi et ligandi potestas ipsi data est, qui ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet.*

Concil. Florent. sess. 25, consentientibus Græcis decrevit: *Definimus Sanctam Apostolicam sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam à D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse.*

(1) Vid. fusiùs Bellarmin. *de Rom. Pontif.*, lib. I, c. 25.

Prob. min. scilicet: S. Pontifex successor est B. Petri.

I. Argum. Theologico:

Debet S. Petro aliquis succedere, qui ab universâ Ecclesiâ dignosci possit. Porro S. Pontifex solus est ille successor.

1° Debet S. Petro aliquis succedere: Siquidem jure divino Ecclesia Christi est perpetua, proindè perpetuo niti debet fundamento; proindè potestas Petri, cui nititur Ecclesia Christi, perpetuò durare debet. Ergo.

2° Successor Petri ità debet esse determinatus ut fideles illum agnoscere possint: Siquidem, cùm iste successor gaudeat potestate Petri, fideles illi obedire tenentur; ad quod necessarium est ut sit determinatus et agnosci possit.

3° S. Pontifex solus est ille successor: 1ª *pr.* Nullum alium Episcopum, excepto Romano Episcopo, universalis Ecclesia tenuit pro successore B. Petri. Si quoddam dubium emergere posset, præsertim ratione Episcopi Antiocheni. Porro Concil. Nicæn. can. 6, Antiochenum Episcopum tertium Patriarcham esse declaravit. Aliundè nunquàm Antiocheni Episcopi altiorem quæsierunt gradum.

2ª *pr.* S. Pontifex est solus successor B. Petri, si ex unâ parte B. Petrus Romæ decesserit et usque ad mortem Romæ fuerit Episcopus; si ex alterâ parte potestatem suam alteri Episcopo non transmiserit. Porro utrumque certum est.

Et 1° B. Petrus Romæ mortuus est: Siquidem 1. Romæ exstant corpora Apostolorum Petri et Pauli, et nullum adest historiæ aut testimonii vestigium de post-

humà horum corporum translatione. 2. Petrum Romæ decessisse testatur universa veterum traditio; specialiter Euseb. hist. eccl. lib. 2, c. 25; Theodoret. ep. ad Leonem Papam; S. Chrysost. hom. 32 in ep. ad Rom.; Tertul. de Præscript. c. 36; S. Athan. in apolog. pro fugà de Petro et Paulo; Lactant. lib. 4 divin. instit. — Usque ad mortem B. Petrus Romæ fuit Episcopus: si enim B. Petrus tempore mortis suæ Romanum non obtinuerit Episcopatum, vel tunc erat Episcopus Antiochenus, vel sedem alio transtulerat. Atqui non erat Episcopus Antiochenus: historià constat Petrum pontificatum gerentem, Antiochenam ecclesiam successore instituto reliquisse, et Romæ sedem suam fixisse. Nec aliò sedem transtulerat: hæc enim assertio nullo nititur fundamento et contradicit constanti traditioni. — 2° Alteri Episcopo potestatem suam Petrus non transmiserat: Nulla fit in historià mentio de translatione potestatis suæ ad Episcopum distinctum ab Episcopo Romano. Aliundè, si hæc translatio facta fuerit, cùm de illà certò non constet, Episcopus ad quem devenisset potestas Petri non esset ejus successor, qualis necessarius est regimini Ecclesiæ, ut suprà diximus.

II. Traditione:

1° Testim. SS. PP. S. Iren., lib. 3, c. 3, enumerans Romanos Episcopos primo loco ponit B. Petrum, et alios dicit succedere B. Petro.— S. Cyprian. frequentissimè Romanam sedem *Petri cathedram* vocat; specialiter lib. 4, ep. 2, declarat Cornelium Episcopum, qui illo tempore Romanus erat Pontifex, tenere locum Fabiani, id est locum Petri. — S. Epiphan. hæres. 27, eodem modo loquitur quo SS. Iren. et Cyprian.— S. Ambros.

loquens de S. Pontifice illum appellat *successorem Petri*. — S. Augustin. ep. 165, docet sedem Romanam esse cathedram Petri; et in catalogo Romanorum Episcoporum primo loco ponit B. Petrum. — S. Optat. lib. 3, contr. Parmen. dicit unam et singularem esse Petri cathedram, in quâ ab omnibus servari debet unitas; eam verò singularem cathedram non solùm Petri, sed etiam successorum esse ostendit, enumerans Romanos Pontifices usque ad Syricium. — S. Bernard. lib. 2 de consider. S. Pontif. Eugenium III alloquens: *Quis es?* inquit, *Sacerdos magnus...*, *potestate Petrus.*

2° Testim. Conciliorum. Concil. Ephesin. suprà cit. — Concil. Lugdun. general. (1274), in ep. Imperatoris CP. ad Gregorium X: *Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in B. Petro Apostolorum principe, sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor.... recepisse veraciter et humiliter recognoscit.* — Concil. Florent. *Definimus.... et ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri.*

Ergo S. Pontifex, successor B. Petri, est caput corporis Ecclesiæ.

II^um^ Argum. theol. — Ecclesiæ necessarium est caput supremum, permanens, cui competat omnis potestas bono Ecclesiæ regimini necessaria. Ergo S. Pontifex est caput Ecclesiæ, si ratio et potestas capitis non competant Ecclesiæ dispersæ, nec Concilio Generali. Atqui res ità est.

Prob. ant. Ecclesiæ necessarium est *caput*: Siquidem Ecclesia est societas personarum religionem Christi

profitentium ; porro, absque capite, societas, et specialiter societas religiosa, existere non potest. Caput *supremum:* alioquin hæc societas non esset una. Caput *permanens :* absque permanenti potestate Ecclesia non esset perpetua. *Cui competat...* hoc evidens est.

Prob. conseq. Ratio et potestas capitis non competit Ecclesiæ dispersæ: Quia 1° auctoritas suprema gaudere debet potestate legislativâ universali: Atqui Ecclesia dispersa leges generales condere non potest, nisi conjuncta sit capiti suo. 1. Ecclesia dispersa, ut historiâ constat, nunquam tulit leges generales absque consensu Romani Pontificis. 2. Aliundè ad condendam legem, necessarium est ut legislatorum collegio aliquis præsit, cui incumbat potestas legem proponendi, suffragia colligendi ac ponderandi, legemque latam promulgandi. Porro, absente S. Pontifice, deest in Ecclesiâ dispersâ potestas necessaria. Quia 2° ad bonum Ecclesiæ regimen requiritur ut, periculis imminentibus, auctoritas suprema promptum afferre possit remedium: quod fieri non posset, si potestas suprema competeret Ecclesiæ dispersæ.

Nec competit Concilio generali: Quia 1° Concilium generale non est auctoritas permanens. Quia 2° cùm sit merè transitorium, necessitatibus Ecclesiæ celeri remedio omni tempore subvenire non posset.

Prob. 2ª. — Traditione.

Traditio constat factis, testimonio Patrum, testim. Conciliorum.

I. Factis:

1° Omni tempore, et absque ullâ reclamatione, Ponti-

fices supremam exercuerunt auctoritatem. Sic, concilia convocârunt, illis præfuerunt, eorumque decreta confirmaverunt, Episcopos indignos deposuerunt, injustè depositis sedes restituerunt. In suis epistolis ad Episcopos titulum *Capitis, summi Pontificis, Pastoris universi* usurpârunt. Auctoritatem coercitivam in Ecclesiæ filios, quamvis maximos et nobilissimos, exercuerunt.

2° In primævis sæculis, ex quâcumque mundi parte, quandò dissensiones in Ecclesiis oriebantur, mos erat appellandi ad Romanum Pontificem, qui supremus controversiarum Judex habebatur. Hunc morem observabant ipsimet hæretici, qui condemnati fuerant à propriis Episcopis, vel à Conciliis.

Sic, contentione ortâ inter Corinthios, fideles hujus ecclesiæ ad S. Clementem R. Pontificem appellaverunt, ut patet ex 1 ep. hujus Pontificis. — S. Polycarpus, discipulus B. Joannis Apostoli et Smyrnensis Episcopus, teste Eusebio lib. 4, c. 14, Romam petiit ad consulendum S. Pontificem Anicetum circa negotium celebrandi Paschatis. Renovatâ controversiâ de festo Paschatis, tempore Victoris, mandato hujus Pontificis convocantur Concilia in Oriente et Galliis. Habentur Concilia in provinciis Galliarum, in Asiâ, Ephesi, Jerusalem, Cæsareæ, Corinthi, in Mesopotamiâ, in Osroenâ. Excepto Concilio Ephesino, cui præerat Polycrates, admissa est ab omnibus aliis consuetudo, qualis observabatur in Ecclesiâ Romanâ.

Anno 142, Pio I Pontifice, Marcion hæreticus ab Episcopo suo excommunicatus venit Romam, ut à Romano Pontifice absolveretur. (Epiphan. hær. 42.) — Anno 252, Pontifice Cornelio, Fortunatus et Felix in

Africâ à Cypriano depositi, adventant Romam, atque ad Cornelium appellant (Cyprian. lib. 1, ep. 3). Idem Cyprian. ep. 4, refert Basilidem in Hispaniâ depositum ad Stephanum R. Episcopum appellâsse.

Cùm Dionysius, ann. 265, Alexandrinus Episcopus, apud R. Pontificem accusatus fuisset quasi de Trinitate malè sentiret, misit ad Dionysium R. Pontificem, libros apologeticos, quibus ab omni hæreseos suspicione se purgabat. — Eodem ferè tempore, defertur ad S. Pontificem Melchiadem causa Donati et Cæciliani, annuente utrâque parte; et Cæcilianus innocens declaratur in Concilio à S. Pontifice congregato.

Anno 350, Julio I Pontifice, Athanasius ab Orientalibus depositus ad Pontificem appellavit et ab eo restitutus est (Sozom., lib. 3, cap. 7). — Anno circiter 400, S. Chrysostomus à Theophilo depositus ad R. Pontificem Innocentium I appellavit. — Post annum 500, S. Gregorius, lib. 2, ep. 6, privat sacrâ communione Episcopum Græcum, quòd judicâsset Episcopum Thebanum, qui ad sedem apostolicam appellaverat.

II. Testimonio SS. Patrum:

S. Iren. contra hæres. lib. 3, c. 3: *Ad hanc Ecclesiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam*. S. Athan. in ep. ad Felicem papam: *Ob id, vos prædecessoresque vestros..., omnium ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succurratis*. S. Basil. in ep. 52 ad Athan.: *Visum est mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ hic geruntur consideret, et sententiam suam exponat*. S. Ambros. in 1 Tim. c. 3: *Cùm totus mundus Dei sit, tamen domus ejus Ecclesia dicitur,*

cujus hodiè rector est Damasus. S. Hieron., in ep. ad Damas. papam: *Quicumque tecum non colligit, spargit.* S. August. in ep. 162: *In Romanâ Ecclesiâ semper apostolicæ cathedræ viguit principatus.* S. Prosper. de Vocat. Gent., lib. 2, c. 6: *Roma per sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.* Idem libr. de Ingratis: *Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris facta caput mundo, quidquid non possidet armis, religione tenet.* S. Vincent. Lirin. in commonit. advers. hæres. vocat Summum Pontificem *caput orbis.* S. Bernard., lib. 2 de Consid. c. 8, Eugenium alloquens: *Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum... Tu es cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt... Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor.*

III. Testim. Conciliorum:

Concil. Nicæn. I (325), can. 6, qualis refertur act. 16 concil. Chalcedon.: *Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Concil. CP. I (381), can. 2: *Constantinopolitanus Episcopus habeat primatûs honorem post Romanum Episcopum.* Concil. Ephesin. (431), act. 3, superiùs citat. Concil. Chalcedon. (451) plura suppeditat argumenta in gratiam primatûs S. Pontificis, inter quæ referri possunt hæc verba Patrum hujus Concilii, act. 16: *Perpendimus omnem quidem primatum et honorem præcipuum secundum canones, antiquæ Romæ Dei amantissimo Archiepiscopo conservari.* Et in act. 1, 2, 3, Patres passim vocant Leonem *universalis Ecclesiæ pontificem.* Concil. Nicæn. II: *Cujus* (S. Petri) *sedes per totum terrarum orbem primatum obtinens fuit, omniumque Ecclesiarum Dei caput extitit.* Vid. etiam Concil. Florent. suprà citatum.

Requiritur ut ministerium sit:

II° Unum quoàd Doctrinam,

Aliis verbis: circa veritates quæ de fide fuerunt definitæ, doctrina ministerii in quodam tempore non debet contradicere doctrinæ præcedentium temporum; doctrina cujusdam partis ministerii non debet in eâdem epochâ contradicere doctrinæ majoris partis; quin istud ministerium eo ipso desinat pertinere ad verum Christi ministerium.

Prob. arg. general. Ecclesia Christi est una quoàd doctrinam; proindè verum ministerium essentialiter unum est quoàd doctrinam, cùm ministerii doctrinam Ecclesia audire et sequi teneatur.

Prob. per part. 1° Doctrina ministerii in quodam tempore non potest contradicere doctrinæ præcedentium temporum, quin...

Siquidem verum Christi ministerium est perpetuum et perpetuâ gaudet infallibilitate. Porro, si ministerii doctrina non esset eadem omnibus temporibus: 1. ministerium non esset perpetuum, quia verum ministerium integram Christi religionem prædicare debet, proindè, si ministerium alienam prædicaret doctrinam, eo ipso non esset Christi; 2. non gauderet perpetuâ infallibilitate, quia è duabus doctrinis contradictoriis una necessariò est falsa.

2° Doctrina cujusdam partis ministerii non potest in eâdem epochâ contradicere doctrinæ majoris partis, quin...

Alioquin prædicta pars ministerii pertineret simul et non pertineret ad verum ministerium. Pertineret, juxta

hypothesim. Non pertineret, siquidem ejus doctrina, utpotè contradicens doctrinæ infallibili veri ministerii, falsa esset, proindè falsum esset ipsum ministerium.

Ut ministerium dici possit *Apostolicum ratione proprietatum*, requiritur ut sit:

II. Catholicum,

quoàd jura, — quoàd doctrinam, — quoàd loca.

Requiritur ut sit:

I° Catholicum quoàd Jura,

Id est, ut ipsi competant jura, quæ absque ullâ restrictione extendantur ad omnes homines, omnia loca, omnia tempora; et quorum extensioni humana potestas limites apponere non possit.

Prob. p. part. 1° Requiritur ut ministerio competant jura, quæ extendantur — ad omnes homines: Christus enim Apostolos mittens ait, Marc. 16, 15: *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, et Matth. 28, 19: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos... Ecce Ego vobiscum sum.... usque ad consummationem sæculi.* — Ad omnia loca: Siquidem 1. jura Apostolis concessa sunt universalia respectu personarum, proindè respectu locorum. 2. Aliundè Christus dixit: *Euntes in mundum universum.* — Ad omnia tempora: Siquidem 1. extenduntur ad omnes gentes; proindè ad omnes omnium temporum homines. 2. Aliundè Christus dixit: *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

2° Requiritur ut ministerio competant jura quorum

extensioni humana potestas limites apponere non possit: Siquidem jura vero ministerio concessa per humanas potestates limitari nequeunt. Potestas enim humana non gauderet tali facultate, nisi vi cujusdam concessionis divinæ. Porro nunquàm Deus talem concessit facultatem potestatibus humanis. Siquidem 1. de illâ nullibi constat. 2. Hæc concessio contradiceret perfectionibus divinis. Ex unâ enim parte, Deus ministerio à se instituto imposuisset munus Evangelium prædicandi omnibus gentibus; ex alterâ parte ipsi denegasset jura ad hanc prædicationem necessaria, subjiciendo scilicet Evangelii prædicationem humanæ potestatis arbitrio.

Requiritur ut sit:

II° Catholicum quoàd Doctrinam,

Id est, ut profiteatur, saltem implicitè totam Christi doctrinam.

Prob. Requiritur ut ministerium profiteatur totam Christi doctrinam: Nam 1. Christus præscripsit observationem totius doctrinæ suæ; proindè voluit doctrinam suam integram prædicari. 2. Christus apostolos mittens dixit: *prædicate Evangelium omni creaturæ;* Evangelium, absque ullâ restrictione, proindè omnem doctrinam. Aliundè, ex Matth. prædictis verbis adjunxit Christus: *docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*

Dicimus: *saltem implicitè.* Non enim requiritur ut ministerium explicitè doceat omnia sine omissione quæcumque mandavit Christus. Alioquin nullum certò posset dici verum Christi ministerium, cùm ex omnibus ministeriis christianis nullum certò asserere possit se

profiteri explicitè et sine omissione ullâ omnia quæcumque mandavit Christus.

Requiritur ut sit :

III° Catholicum quoad Loca,

Id est, ut extendatur ad omnia loca cognita, diffusione simultaneâ, saltem moraliter.

Præmittendum: Diffusio ministerii ad omnia loca potest esse *successiva* vel *simultanea*, prout ministerium successivè vel eodem simul tempore ad omnia extenditur loca. Diffusio esset simultanea *physicè*, si ministerium ad omnia absolutè extenderetur loca. Dicitur autem simultanea *moraliter*, si ministerium extendatur ad majorem partem orbis cogniti. Quo posito,

Prob. 1° Requiritur ut ministerium extendatur ad universa loca, diffusione simultaneâ : Siquidem 1. Ecclesia, ut infrà videbimus, debet simultaneè amplecti universa loca orbis cogniti. 2. Ex textibus Marc.: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ;* et Matth.: *Euntes docete omnes gentes* sequitur ministerium ad *universum mundum* extendi debere; et diffusione *simultaneâ:* nam verba Christi non possunt interpretari de alterâ diffusione; omnes gentes, omnis creatura non acciperent verbum Christi, si diffusio esset merè successiva.

2° Non requiritur diffusio physicè simultanea ; sufficit diffusio moraliter simultanea, seu diffusio ad majorem partem orbis cogniti. Siquidem, cùm nullum ministerium possit sibi vindicare universalitatem loci physicè simultaneam, si talis universalitas absolutè

requireretur, dicendum foret nullum ministerium esse verum Christi ministerium. Quod admitti non potest.

Ut ministerium dici possit *Apostolicum ratione proprietatum*, requiritur ut sit :

IIII. Sanctum;

Id est, ut in doctrinâ quam profitetur, in legibus quas imponit, non contradicat evangelicæ sanctitati.

Prob. 1° Suprà vidimus verum ministerium esse perpetuum et perpetuâ gaudere infallibilitate. Porro, non esset perpetuum, non perpetuâ gauderet infallibilitate ministerium cujus doctrina aut leges contradicerent doctrinæ Christi.

2° Si contrarium fieri posset, vel Ecclesia observaret doctrinam et præcepta ministerii, vel non. In priori casu, Ecclesia contradiceret doctrinæ Christi, proindè jàm non esset vera Ecclesia. In posteriori, Ecclesia non adhærens ministerio, eo ipso etiam desineret esse vera Christi Ecclesia. Porro neutrum admitti potest, siquidem Ecclesia est perpetua et perpetuâ gaudet infallibilitate, ut infrà videbitur.

Ex dictis sequitur Ministerium verum esse *unum, catholicum, sanctum;* proindè verum non esse ministerium cui facto non competunt omnes istæ proprietates.

§ 2. Requiritur ut JURE gaudeat prædictis proprietatibus,

Id est, ut ministerium nihil doceat, sive explicitè, sive implicitè, quod logicè tenderet ad destructionem prædictarum proprietatum. Alioquin 1. istud ministe-

rium erraret, proindè non esset verum ministerium; 2. posset in praxi legitimè applicare talem doctrinam, proindè non esse unum, catholicum, sanctum; proindè non esse verum Christi ministerium.

§ V. — Nulli ministerio competunt notæ Missionis Immediatæ.

Si hujus missionis notæ alicui ministerio competerent, vel ministerio catholico, vel cuidam alii ministerio.

Porro non competunt:

I. Ministerio catholico: has enim sibi non vindicat (1).

II. Nec alteri ministerio:

Ut missionem immediatè divinam acatholica ministeria legitimè sibi vindicare possent, priùs ab ipsis probandum foret hanc missionem à Deo sibi fuisse concessam: quod minimè probant, ut sequentibus constat.

Missio immediata, ut suprà vidimus, probanda esset per prophetias et miracula. Porro adversarii fatentur se nullas prophetias, nulla miracula afferre posse in confirmationem missionis suæ.

Equidem Protestantes missionem suam extraordinariam conantur probare per rapidam diffusionem novi Evangelii, per prædicationem puræ doctrinæ, per dona Spiritûs Sancti, per necessitatem reformationis. Sed omnes istæ probationes nullius sunt momenti:

Et 1° *Rapida diffusio novi Evangelii* nihil probat: Siquidem humano modo facilè explicari potest. Specia-

(1) Haud prætermittendum est controversiam agi cum acatholicis, et cum ipsis disputari quodnam sit, tempore controversiæ, verum ministerium à Christo institutum.

liter explicatur per differentias inter doctrinam catholicam et doctrinam Pseudo-reformatorum, cupiditatibus humanis magis accomodatam; per corruptionem morum tempore Lutheri et reformatorum; per philosophorum et eruditorum auctoritatem; per protectionem principum, etc. Aliundè iisdem signis probari posset Arium, Nestorium, Mahumetum, quorum doctrinæ stupendum habuère successum fuisse verè à Deo missos; quod repugnat.

2° Item, nec *prædicatio puri Evangelii* afferri potest ut nota missionis immediatæ: Quia 1. prædicta nota non potest immediatè probari, sed tantùm concluditur ex aliis notis aliundè certò probatis. Quia 2. in adversariorum hypothesi, hæreses et schismata semper legitima fierent. Quilibet enim hæreticus, more Protestantium, potest asserere puram Christi doctrinam à vero ministerio fuisse adulteratam, et à se tantùm integram prædicari. Quia 3. si prædicatio puri Evangelii esset nota missionis extraordinariæ, vel prædicatio qualis fit apud omnes sectas collectivè sumptas, vel qualis fit apud quamdam sectam specialem. Porro neutrum valet. Non prius: siquidem, variis sectis contradictorias tenentibus doctrinas, prædicatio Evangelii qualis fit apud omnes sectas collectivè sumptas, dici non potest pura prædicatio doctrinæ Christi. Non posterius: siquidem nota assignata per se non sufficit, et necessariò requiritur altera ad dignoscendum quænam sit secta apud quam fiat prædicatio puri Evangelii.

3° Nec *possessionem donorum Spiritûs sancti* sibi vindicare possunt: Juxta Protestantes, verum est ipsorum ministerium, quia Spiritus S. dona sua ipsis largitus

est. Dona autem Spiritûs sunt eloquii virtus, fortitudo et constantia in professione doctrinæ.

Porro prædicta signa minimè probant. Siquidem 1. eloquii virtute, audaciâ, fortitudine multi homines naturâ pollent. 2. Plures hæresiarchæ iisdem donis pollebant; eorum tamen doctrina eo ipso non reputatur vera.

4° Juxta Protestantes, tempore Lutheri, ministerium catholicum erat corruptum; incumbebat proindè *necessitas* ab illo recedendi; Deus proindè Luthero et sociis extraordinariam necessariò concessit missionem ut Ecclesia ad pristinum nitorem reduceretur.

Hæc autem ratio falsa est. Supponit enim 1. verum ministerium erroribus ac vitiis fuisse defœdatum. Supponit 2. ad subditos pertinere jus ministerium judicandi, ab illo recedendi, ejusque loco novum constituendi. Porrò utrumque falsum. Et 1° falsum est verum ministerium ab antiquâ integritate declinâsse. Quia 1. hoc fieri non potuit, cùm ministerium verum sit perpetuò infallibile; 2. adversarii non probant ministerium verum à fide declinâsse.

2° Ad subditos non pertinet jus ministerium judicandi, ab illo recedendi, ejusque loco novum constituendi. 1. Ex institutione Christi patet nulla subditis concessa fuisse jura respectu ministerii. Aliundè 2. in hypothesi adversariorum, schismata semper fieri possent legitima.

§ VI.—Ministerio Catholico competunt facto et jure omnes notæ Missionis Mediatæ.

I° Ministerium Catholicum FACTO possidet notas Missionis Mediatæ.

Hujus missionis notæ sunt, ut suprà diximus: 1° Visibilitas, 2° Apostolicitas originis, 3° Apostolicitas proprietatum. Porro,

I. Ministerium Catholicum est *visibile*.

In duplici sensu superiùs assignato: 1. Visibile est in se; 2. visibile est quatenùs possidet cæteras notas missionis mediatæ.

I. Visibile est in se: Siquidem 1° functiones visibiles exercet. Sic: publicè prædicat, leges condit, sacramenta administrat, cultûs divini functiones peragit. 2° Constituitur membris visibilibus coadunatis in unum corpus sub R. Pontifice, capite visibili.

II. Visibile est quatenùs possidet cæteras notas missionis mediatæ: Sequentibus constabit.

II. Ministerium Catholicum est *Apostolicum ratione originis*.

Siquidem plenitudine potestatis apostolicæ gaudet: quod probatur argumentis sequentibus:

Ecclesiæ principio, plenitudo potestatis residebat in Apostolorum collegio cui præerat S. Petrus. Nunc ergo plenitudo potestatis apostolicæ residet in Ministerio Catholico, si Ministerium Catholicum sit continuatio ministerii apostolici. Porro res ità est. Siquidem:

1° Nomine *ministerii apostolici* intelligi debet ministerium S. Petro conjunctum;

Porro ministerium catholicum conjungitur S. Petro per continuam seriem R. Pontificum, qui S. Petro successerunt, ut constat historiâ ecclesiasticâ.

2° Si ministerium catholicum non gauderet potestate apostolicâ ; vel quia prædictam potestatem nunquàm obtinuisset ; vel quia decursu temporum illam amisisset.

Porro neutrum valet :

1° Falsò assereretur ministerium catholicum nunquàm obtinuisse potestatem apostolicam. 1. Græci et Protestantes sibi vindicant potestatem apostolicam: hanc potestatem non habuerunt immediatè à Deo ; eam proindè receperunt à ministerio quod primitùs istâ potestate gaudebat, seu à ministerio catholico ; ergo. 2. S. ministerium catholicum nunquàm habuisset potestatem apostolicam , indè sequeretur nullum in Ecclesiâ exstitisse ministerium ante schisma Græcorum aut Protestantium , cùm tempore schismatis ministerium nullum, præter catholicum exstiterit. Porro suprà probavimus Ecclesiam indigere permanenti potestate.

2° Falsò assereretur ministerium catholicum amisisse potestatem apostolicam : ministerium enim catholicum nec ordinis, nec jurisdictionis potestatem amisit :

Non amisit potestatem ordinis : Adversarii deberent probare Episcopos consecratores vel realiter non fuisse Episcopos, vel adulterâsse formam sacramenti ordinis. Porro neutrum probare possunt.—Non prius : alioquin dicendum foret episcopatum tempore actuali non existere, cùm primi diversarum sectarum Episcopi receperint consecrationem episcopalem ab episcopis catholicis. Porro hoc repugnat.—Non posterius : siquidem

in formâ sacramenti ordinis, qualis apud Catholicos observatur, resumuntur diversæ formæ quæ apud adversarios adhibentur. Proindè, si prædicta forma non sit valida, jàm nullibi existit episcopatus.

Non amisit potestatem jurisdictionis : Si ministerium catholicum amisisset potestatem jurisdictionis, vel quia jurisdictionem non recepisset secundùm formam legitimam, vel quia illam amisisset per schisma, hæresim aut excommunicationem. Porro neutrum dici potest. —Non prius : ministerium catholicum erat verum ante separationem, fatentur adversarii ; proindè poterat determinare formas institutionis canonicæ ; proindè ministerium actuale jurisdictionem non amisit defectu formæ requisitæ, si formæ juxta quas jurisdictionem accepit substantialiter sint eædem quàm formæ ante separationem determinatæ; porro rem ità esse historiâ constat.—Non posterius, id est, ministerium catholicum illam non potuit amittere per schisma ; siquidem ministerium fuit verum ante separationem adversariorum; porro verum ministerium non potest seipsum à seipso scindere. Aliundè historiâ constat schisma non adfuisse ex parte ministerii catholici, benè verò ex parte adversariorum. Nec per hæresim : adversarii fatentur ministerium catholicum fuisse quodam tempore verum, proindè infallibile ; porro ministerium verum et infallibile est perpetuum et perpetuò infallibile ; proindè nunquàm in hæresim cadere potest. Aliundè historiâ constat errorem non exstitisse in doctrinâ ministerii catholici, benè verò in doctrinâ adversariorum.

III. Ministerium Catholicum est *Apostolicum ratione proprietatum*, aliis verbis,

I. Est Unum.

I. Quoàd corpus: Ad unitatem corporis, ut suprà diximus, requiritur ut quodlibet membrum ministerii subjiciatur ministerio collectivè sumpto, specialiter S. Pontifici. Porro hæc proprietas evidenter inest ministerio catholico; ab illo enim excluditur quicumque renuit obsequium præstare ministerio collectivè sumpto, vel S. Pontifici.

II. Quoàd doctrinam: Ad hanc unitatem requiritur ut doctrina ministerii nullo tempore contradicat doctrinæ præcedentium temporum; ut eodem tempore doctrina unius partis non possit contradicere doctrinæ majoris partis ministerii circa veritates de fide definitas. Porro 1. nunquàm adversarii potuerunt probare contradictionem exstitisse inter doctrinam ministerii catholici in quodam tempore et doctrinam ejusdem ministerii in primævis sæculis. 2. Quicumque tenet doctrinam contradicentem doctrinæ definitæ, eo ipso à catholico ministerio rescinditur. Ergo.

II. Est Catholicum.

I. Quoàd jura: Hanc proprietatem sibi vindicat. Licèt autem immediatè probari nequeat Ministerium Romanum illâ proprietate gaudere, hoc concluditur ex eo quòd ad istud Ministerium pertineant omnes aliæ proprietates veri ministerii.

II. Quoàd doctrinam: Ministerium enim Romanum profitetur totam doctrinam Christi. Contrarium probari

non potest. Aliundè ipsimet adversarii nunquàm Catholicos accusàrunt aliquid de doctrinâ Christi prætèrmisisse, sed tantùm nova addidisse.

III. Quoàd loca: Infrà videbimus Ecclesiam Romanam esse catholicam respectu locorum : proindè ipsum ministerium gaudet universalitate loci.

III. Est Sanctum.

Ad hoc requiritur ut doctrina et leges ministerii non contradicant evangelicæ sanctitati. Porro hucusquè contrarium probari non potuit circa doctrinam et leges Ministerii Catholici.

IIo Ministerium Catholicum JURE possidet notas Missionis Mediatæ.

Siquidem nullam sive explicitè sive implicitè profitetur doctrinam, quæ logicè tenderet ad destructionem prædictarum proprietatum.

§ VII.—Ministerium Catholico-Romanum solum possidet notas Missionis Mediatæ.

Prob. 1a. Una tantùm existit Ecclesia vera; unum proindè tantùm existit Ministerium verum. Ministerium Catholico-Romanum est verum. Alia proindè sunt falsa, nisi uniantur Ministerio catholico. Porrò facto constat cætera ministeria à Romano discessisse.

Prob. 2a. Præcipua ministeria à Catholico-Romano distincta, sunt : ministeria Græcorum, Anglicanorum, Lutheranorum, Presbyterianorum. Porro nulli prædictorum ministeriorum competunt proprietates essentiales veri ministerii.

I. Quoàd visibilitatem : Equidem prædicta ministeria sunt *in se* visibilia ; minimè autem possident visibili-

tatem in altero sensu superiùs assignato, ut ex dicendis constabit.

II. Quoàd Apostolicitatem originis. Non gaudent istâ proprietate, siquidem non possident potestatem apostolicam.

Etenim, si potestatem apostolicam obtinerent prædicta ministeria, quia illam habuissent vel à populo, vel à principibus, vel ab Ecclesiâ. Porro,

1° Non receperunt potestatem apostolicam à populo, nec à principibus. Suprà enim probavimus verum ministerium fuisse à Deo immediatè institutum; undè sequitur verum ministerium non posse potestatem obtinere ab auctoritate humanâ:

2° Neque ab Ecclesiâ:

Ecclesia confert potestatem apostolicam, id est potestatem ordinis per *ordinationem validam*, potestatem jurisdictionis per *institutionem canonicam* naturâ suâ *revocabilem*. Proindè potestate apostolicâ minimè gaudent 1. qui non habent ordinationes episcopales legitimas; 2. qui invalidas aut dubiè validas habent ordinationes; 3. qui canonicam non receperunt institutionem; 4. qui, licèt canonicè primitùs instituti, jurisdictionem decursu temporum amiserunt. Porro omnibus ministeriis prædictis inhærent quædam è vitiis assignatis.

Et 1. Ministerio Græco:

Equidem validæ sunt ordinationes apud Græcos.

Sed Græci omninò carent potestate jurisdictionis. Jurisdictionem enim habuerunt nec schismatis auctores, nec eorum successores.—Non schismatis auctores: Siquidem 1. à ministerio catholico recesserunt quia, juxta illos, catholicum ministerium jàm non erat verum

ministerium. Porro, si ministerium catholicum jàm non erat verum, hoc ministerium amiserat potestates, proindè ipsis jurisdictionem concedere non potuit. 2. Jurisdictio, quam Græci olim ab Ecclesiâ receperant naturâ suâ, erat revocabilis, et facto ipsis ablata est ratione schismatis. 3. Licèt admittatur Græcos adhuc retinere jurisdictionem quam olim ab Ecclesiâ receperant, non indè sequitur ministerium græcum esse verum ministerium. Non gaudet enim privilegio infallibilitatis quod humano modo transmitti non potest. Aliundè hæc potestas jurisdictionis Græcis concessa non erat generalis, proindè dici non potest apostolica, cùm potestates apostolicæ limitibus nec subjiciantur, nec subjici possint.—Non successores auctorum schismatis: Siquidem ab auctoribus non potuerunt recipere potestates quas isti non possidebant.

2. Ministerio Anglicanorum aut Lutheranorum :

Siquidem non habent potestatem ordinis, nec jurisdictionis.—Ordinis : Ordinationes episcoporum apud Anglicanos sunt validitatis valdè dubiæ (1); apud Lutheranos sunt certò invalidæ. — *Jurisdictionis* : Jurisdictionis enim potestatem non receperunt ab Ecclesiâ Romanâ, nec ab Ecclesiâ Græcâ. Non ab Ecclesiâ Romanâ: hoc probatur iisdem argumentis suprà expositis ubi de Ministerio Græcorum. Non ab Ecclesiâ græcâ: quia 1. Græci nullam possident jurisdictionem; 2. Anglicani et Lutherani non sunt conjuncti Ministerio Græco.

3. Ministeriis Presbyterianorum :

(1) Vid. Demonstr. Evangel., t. 17; Milner, apostolicité du ministère cathol., pag. 792.

Siquidem nullam possident ordinationem, et non habent potestatem jurisdictionis, quod probatur argumentis superiùs allatis.

III. Quoàd Apostolicitatem Proprietatum, seu,

1° *Quoàd unitatem:* Ministeria prædicta non possident unitatem sive corporis, sive doctrinæ.

1° Non unitatem *Corporis.*

Hæc unitas constituitur per subjectionem cujusque membri erga ministerium collectivè sumptum et S. Pontificem. Porro nullum ex prædictis ministeriis agnoscit S. Pontificem et conjungitur ministerio catholico quod successit ministerio Apostolico.

Aliundè omnia ministeria acatholica profitentur doctrinas quæ logicè conducunt ad destruendam ministerii unitatem:

Græci priùs adhærebant Ministerio Catholico quod pro vero tenebant; posteà ab illo recesserunt. Et licèt multotiès illis probata fuerit illegitimitas eorum schismatis, hoc schisma nihilominùs vocant legitimum. Implicitè ergo profitentur quamdam ministerii partem, licèt absque ratione, posse legitimè à vero ministerio recedere. Porro eodem jure quo recesserunt à ministerio catholico, schismata intra ipsorum societatem legitima evenire possunt.

Quoàd Protestantes, non solùm explicitè profitentur separationem esse legitimam, sed etiam facto scinduntur in sectas propè innumeras.

2° Non unitatem *doctrinæ:*

Nec *jure*. Rejectis veritatibus à vero ministerio jàm de fide definitis, Græci et Protestantes eo ipso negârunt infallibilitatem ministerii cujus ante separationis tempus

legitimitatem agnoscebant; proindè omninò negârunt existentiam cujusvis auctoritatis infallibilis; proindè eo ipso professi sunt rationem esse prorsùs independentem circa veritates religiosas. Porro admisso tali principio, doctrina ministerii legitimè posset quodam tempore contradicere doctrinæ præcedentium temporum, doctrina cujusdam partis legitimè posset contradicere doctrinæ alterius partis; quod repugnat ex anteà dictis.

Nec *facto*. Siquidem facto adfuerunt variationes apud Græcos et Protestantes circa fidem. — Apud Græcos: Ante schismatis tempora Græci profitebantur eamdem fidem quam ministerium catholicum. Post schisma, negârunt processionem Spiritûs Sancti à Patre et Filio, primatum S. Pontificis; et, ratione schismatis, logicè conducuntur ad rejiciendum omnes veritates ab Ecclesiâ catholicâ decursu temporum definiendas. — Apud Protestantes: Ante Pseudo-reformationis tempora, Lutherus et socii in eamdem cum catholicis conveniebant fidem. Posteà verò multas successivè rejecerunt veritates. Et, tempore præsenti, nulla penè stat veritas, quæ à prioribus reformatoribus adhûc admissa à posterioribus inconcussa permanserit.

2° *Quoàd Catholicitatem:* Prædicta ministeria non possident catholicitatem quoàd jura, nec quoàd doctrinam et loca.

1° Quoàd jura:

1° Istam sibi legitimè vindicare nequeunt. Quia 1. omnia ministeria acatholica nituntur principio legitimæ rebellionis. Atqui, posito tali principio, evanescit omne jus; siquidem ubi violatio juris illegitima non est, ibi non adest jus. Quia 2. suprà vidimus prædicta minis-

teria omninò carere potestate jurisdictionis, plura non gaudere potestate ordinis; proindè legitimè nequeunt sibi vindicare jura universalia.

2° Licèt admittatur quædam jura competere prædictis ministeriis, hæc jura non sunt catholica. Siquidem 1. non sunt illimitata; 2. jura saltem quorumdam, non sunt à potestatibus humanis prorsùs independentia.

1. Non sunt illimitata, sive oriantur ab Ecclesiâ, sive oriantur à populo vel à principibus. — Si oriantur ab Ecclesiâ : non sunt illimitata. Siquidem 1. Ecclesia non concedit jus infallibiliter docendi; imò non potest hoc jus concedere, præsertim alicui tantùm parti ministerii. 2. Quoàd potestatem jurisdictionis, facto constat Ecclesiam nunquàm concedere jurisdictionem illimitatam alicui tantùm parti ministerii. — Si oriantur à populo, vel à principibus : ista jura necessariò limites patiuntur.— Siquidem populus non potest conferre jura, nisi in seipsum, non verò in alios populos; princeps non potest concedere jura in subditos alius principis, sed tantùm *in* proprios subditos.

2. Jura, saltem quorumdam, non sunt à potestatibus humanis prorsùs independentia. Siquidem, cùm ista ministeria missionem obtineant à principibus humanis, eorum jura necessariò subjacent humanæ potestatis arbitrio.

2° Quoàd doctrinam :

Nec *jure*. Ministeria enim acatholica, rejectâ infallibilitate Ministerii Catholici, cui primitùs inhærebant, eo ipso profitentur implicitè aut explicitè independentiam rationis individuæ circa veritates fidei Christianæ; undè legitima fieri potest negatio præcipuæ partis doctrinæ Christi.

Nec *facto*. Græci enim facto negant Processionem Spiritûs S. à Patre et Filio, primatum S. Pontificis, licèt istæ veritates nitantur Scripturæ et Traditioni. Protestantes rejiciunt valorem Traditionis, proindè omnium veritatum quæ in Traditione continentur, imò rejiciunt plurimas veritates Scripturæ Sacræ.

3° Quoàd loca:

Infrà enim videbimus ecclesiam Græcam societatesque Protestantium carere universalitate loci; proindè et ipsa ministeria prædictâ universalitate minimè gaudent.

3° *Quoàd Sanctitatem*:

Illam non possident. 1. Profitentur enim independentiam rationis individuæ; undè errores possunt fieri legitimi. Ergo jure non possunt sanctitatem sibi vindicare. 2. Facto Protestantes rejecerunt plures veritates quibus nituntur omnia præcepta moralia, v. g. negârunt libertatem.

Ergo Ministerio Catholico-Romano unicè competunt notæ Missionis Mediatæ.

COROLLARIUM.

Ex dictis deduci potest per modum corollarii propositio sequens :

Ministerium Catholicum judex est supremus et infallibilis controversiarum.

Prob. Res ità est, si 1° in Ecclesiâ Christi existat judex de controversiis; si 2° prædictus judex debeat esse supremus et infallibilis ; si 3° Ministerium Catho-

licum sit judex, unicumque sit iste judex supremus et infallibilis. Atqui,

1° In Ecclesiâ Christi existit judex de controversiis; siquidem 1. una esse debet et doctrina ministerii et fides Ecclesiæ : necessariò proindè requiritur judex, ad dirimendas controversias, quibus aliter hæc unitas destrueretur. 2. Omni tempore, ut testatur historia ecclesiastica, controversiæ circa doctrinam Christi deferebantur ad tribunal Ecclesiæ. Proindè omni tempore admissa fuit existentia alicujus judicis controversiarum.

2° Prædictus judex debet esse supremus et infallibilis. Supremus : Alioquin, si ab ejus sententiis appellatio fieri posset, finis nunquàm imponeretur controversiis. Infallibilis : Necessitas hujus proprietatis concluditur ex necessitate præcedentis; nulla enim auctoritas nisi sit infallibilis, potest in rebus fidei proponere sententiam supremam et obligatoriam.

3° Ministerium Catholicum judex est, unicumque est iste judex supremus et infallibilis : Suprà enim probavimus unicum à Christo institutum fuisse infallibile ministerium; probavimus etiam notas veri ministerii unicè competere Ministerio Catholico; proindè ministerium Catholicum unicum esse ministerium infallibile. Ergo.

II.

Ecclesia Catholico-Romana est unicè Ecclesia indefectibilis à Christo instituta.

Veritas hujus propositionis deducitur ex sequentibus :

1° Ecclesiæ veræ necessaria est institutio divina, vestita propriis characteribus, quibus illa Ecclesia vera modo visibili distinguatur à quâlibet aliâ societate;

2° Institutio potest esse immediata vel mediata; alterutra sufficit;

3° Institutio immediata dignoscitur iisdem notis quibus probatur divinitas alicujus doctrinæ;

4° Mediata autem dignoscitur per apostolicitatem originis et apostolicitatem proprietatum;

5° Nulli Ecclesiæ competunt notæ institutionis immediatæ;

6° Ecclesia Catholico-Romana possidet omnes notas institutionis mediatæ;

7° Ipsi Soli competunt omnes istæ notæ.

Ergo Ecclesia Catholico-Romana unica est Ecclesia vera à Christo instituta, proindè unica est Ecclesia indefectibilis.

§ I.—Ecclesiæ veræ necessaria est institutio divina, vestita propriis characteribus quibus ista societas modo visibili distinguatur à quâlibet aliâ societate.

Prob. per part. 1ª *p.* Ecclesiæ veræ necessaria est institutio divina: Siquidem Ecclesia vera gaudet privilegio indefectibilitatis; porro societas humana per se non habet tale privilegium, sed illud à Deo tantùm obtinere potest.

2ª *p.* Vestita propriis characteribus: Nam 1. omnes homines, ut infrà probabitur, tenentur Ecclesiam ingredi, proindè illam cognoscere; quod fieri non posset, si vera Ecclesia propriis characteribus non innotesceret. 2. Ecclesia vera est indefectibilis in fide, proindè regula est fidei; adest ergo obligatio ejus fidem tenendi; ad

quod necessariò requiritur ut notis propriis innotescat.

3ª *p*. Quibus modo visibili distinguatur... id est, requiritur 1. ut Ecclesia sit in se visibilis; 2. sit visibilis quatenùs possidens notas veræ Ecclesiæ.

Et 1° requiritur ut sit *in se* visibilis. Quia 1. adest obligatio in ipsam ingredi, ejus fidei adhærendi; ad quod necessarium est ut sit visibilis et agnosci possit. Quia 2. Ecclesia constituitur personis profitentibus Religionem Christi: quæ omnia supponunt personas visibiles actus externos exercentes.

2° Requiritur ut sit visibilis *quatenùs possidens*... Alioquin homines non possent Ecclesiam veram agnoscere, nec proindè in illam ingredi.

§ III. — Institutio potest esse immediata, vel mediata; alterutra sufficit.

Prob. Ut societas quædam sit Ecclesia vera, requiritur et sufficit ut privilegio indefectibilitatis à Deo donata fuerit; porro privilegium istud habere potest immediatè, vel mediatè.

§ III. — Institutio immediata iisdem dignoscitur notis quibus probatur divinitas alicujus doctrinæ.

Prob. Concessio privilegii indefectibilitatis est actus positivus voluntatis divinæ, de quo constare non potest, nisi per revelationem : quæ revelatio ipsa probanda est argumentis propriis.

§ IV.—Mediatæ institutionis notæ sunt: Apostolicitas originis, Apostolicitas proprietatum.

Quæ propositio probanda est et explicanda.

Prob. 1ª *p*. Ecclesia vera debet esse apostolica ra-

tione *originis:* Privilegium enim indefectibilitatis à Christo concessum fuit soli Ecclesiæ collegio apostolico unitæ. Nunc ergo quælibet Ecclesia, ut eodem gaudeat privilegio, ut sit vera, debet esse continuatio Ecclesiæ apostolicæ; aliis verbis, debet esse apostolica ratione originis.

2ª *p.* Debet esse apostolica ratione *proprietatum:* Siquidem succedere debet Ecclesiæ apostolicæ, proindè eadem esse, proindè iisdem gaudere proprietatibus.

Explic. Nunc quærendum: quænam requirantur conditiones, ut Ecclesia quædam dici possit *apostolica* 1° ratione *originis*, 2° ratione *proprietatum?*

Quæst. Iª. Quænam requirantur conditiones ut Ecclesia dici possit *Apostolica ratione originis?*

Resp. Requiritur et sufficit ut Ecclesia uniatur ministerio apostolico.

Prob. Ecclesia primitiva eo ipso erat vera, quòd conjungebatur ministerio apostolico. Ergo.

Quæst. IIª. Quænam requirantur conditiones ut Ecclesia dici possit *Apostolica ratione proprietatum?*

Resp. Requiritur ut Ecclesia facto et jure sit *Una, Catholica, Sancta.*

§ 1. Requiritur ut *facto* sit:

I. Una,

quoàd corpus,— quoàd fidem.

I. Quoàd Corpus: id est, requiritur ut Ecclesia in unum coadunetur corpus, quocumque societatis membro obsequium præstante ministerio collectivè sumpto et S. Pontifici.

Prob. p. part. 1ª. Requiritur ut Ecclesia in unum coadunetur corpus : Suprà enim vidimus Ecclesiam à Christo institutam esse unam. Proindè quælibet ecclesia, ut sit vera, gaudere debet unitate corporis.

2ª *p.* Prædicta unitas Ecclesiæ pendet à subjectione cujusque membri erga Ministerium collectivè sumptum et S. Pontificem : Res ità est, si ministerio collectivè sumpto competat plenitudo potestatis apostolicæ, et si S. Pontifex sit caput corporis Ecclesiæ. Porro utrumque constat ex anteà dictis.

II. Quoàd Fidem : id est, Fides Ecclesiæ quodam tempore non potest contradicere fidei præcedentium temporum ; quædam pars Ecclesiæ non potest tenere fidem oppositam fidei majoris partis, quin Ecclesia, aut ista pars ecclesiæ, eo ipso desinat esse vera Ecclesia Christi.

Prob. p. part. 1ª. Ecclesia non potest in quodam tempore tenere fidem oppositam fidei præcedentium temporum : Siquidem Ecclesia vera est perpetua et perpetuâ gaudere debet indefectibilitate. Porro, si Ecclesia posset circa fidem sibi contradicere, non esset perpetua ; cùm enim è duobus contradictoriis unum sit necessariò falsum, Ecclesia intra quoddam temporis spatium in fide deficeret, proindè eo ipso non esset vera et perpetua Ecclesia Christi. Nec perpetuâ gauderet indefectibilitate, ut evidens est.

2ª *p.* Quædam pars Ecclesiæ non potest tenere fidem contradicentem fidei alterius partis : Alioquin dicendum foret hanc partem Ecclesiæ simul esse et non esse veram partem Ecclesiæ Christi. Ex unâ enim parte, pertineret ad Ecclesiam Christi, juxta hypothesim ; ex alterâ au-

tem parte, simul non pertineret, cùm de fide teneret doctrinam contradicentem veræ doctrinæ Christi.

Requiritur ut sit:

II. Catholica,

quoàd jura, — quoàd doctrinam, — quoàd loca.

I. Quoàd jura: id est, Ecclesiæ veræ competere debent jura universalia; aliis verbis, requiritur ut omnes homines teneantur in ipsam ingredi.

Prob. Christus, omnibus hominibus imponens præceptum observandi doctrinam suam, eo ipso voluit omnes homines subjici ministerio cui commisit munus doctrinam suam transmittendi hujusque doctrinæ observationem promovendi. Proindè omnibus imposuit præceptum in Ecclesiam suam ingrediendi.

II. Quoàd doctrinam: id est, requiritur ut Ecclesia admittat saltem implicitè, totam doctrinam Christi.

Prob. 1° Requiritur ut Ecclesia admittat totam doctrinam Christi : Nam Christus præscripsit observationem totius doctrinæ suæ, Matth. 28: *Euntes docete omnes gentes,... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*

2° Non requiritur ut *explicitè* admittat omnia quæ mandavit Christus : Alioquin dicendum foret nullam ex omnibus societatibus christianis esse veram Ecclesiam Christi; cùm nulla de fide explicitâ teneat omnia quæcumque mandavit Christus.

III. Quoàd loca: id est, requiritur ut Ecclesia amplectatur, universalitate simultaneâ, saltem moraliter, omnes partes orbis cogniti.

Prob. p. part. 1ª. Requiritur ut Ecclesia amplecta-

tur omnes partes orbis cogniti : Ps. 71, 8 et 11 : *Et dominabitur à mari usque ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terrarum... Et adorabunt eum omnes reges terræ : omnes gentes servient ei.* Ps. 21, 28 : *Convertentur ad Dominum universi fines terræ : et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium.* Malach. 1, 11 : *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus ; et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Matth. 28, 19 : *Docete omnes gentes.* Id. 24, 14 : *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus.* Marc. 16, 15 : *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Luc. 24, 46 : *Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere tertiâ die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* In textibus V. T., fatentibus ipsis adversariis, mentio est de Christo et de sacrificio novæ legis. Porro, ex his textibus regnum Christi universale futurum est ; sacrificium novæ legis omni loco debet offerri ; proindè universalis esse debet Ecclesia per quam Christus regnat in terris, et in quâ offertur novum sacrificium. Textus N. T. explicitè docent Ecclesiam Christi debere amplecti universum mundum.

2ª *p.* Requiritur ut prædicta universalitas sit simultanea : Siquidem textus prædicti nequeunt debito modo interpretari, nisi intelligantur de universalitate simultaneâ.

3ª *p.* Non requiritur universalitas *physicè* simultanea, sed sufficit universalitas *moraliter* simultanea :

Alioquin ex omnibus societatibus christianis, nulla dici posset vera Christi Ecclesia, cùm nulla extendatur ad loca ignota, imò cùm nulla amplectatur universalitate physicè simultaneâ omnia loca orbis cogniti. Specialiter, ex naturâ præcepti à Christo Apostolis impositi concluditur sufficientia diffusionis moraliter simultaneæ. Siquidem obligatio Evangelium prædicandi *omni creaturæ* adimplenda est humano modo: proindè, cùm nemo ad impossibile teneatur, ministerium non tenetur Evangelium prædicare in locis ignotis, nec apud gentes quas ministerium attingere non posset.

Requiritur ut sit:

III. Sancta,

sanctitate doctrinæ, — sanctitate membrorum.

I. Sanctitate doctrinæ: id est, requiritur ut Ecclesia nec in fide, nec in disciplinâ contradicat evangelicæ sanctitati. Siquidem 1. vera Ecclesia debet observare integram Christi doctrinam; proindè vera non est quæcumque societas quæ contradicit doctrinæ Christi. 2. Vera Ecclesia est indefectibilis; proindè societas quæ contradicit doctrinæ Christi, eo ipso in fide deficit, proindè non est vera.

II. Sanctitate membrorum: id est, requiritur ut inter ejus alumnos reperiantur qui sanctitate et virtutum splendore clarescant. Christus enim religionem suam prædicavit, Ecclesiamque suam instituit, ut homines in illâ et per illam sanctificarentur.

§ 2. Requiritur ut *jure* gaudeat prædictis notis,

Id est, ut nullam sive implicitè sive explicitè profitea-

tur doctrinam quæ logicè tenderet ad destructionem prædictarum proprietatum, propter rationes superiùs expositas.

§ V. — Nulli Ecclesiæ competunt notæ Institutionis Immediatæ.

Non Ecclesiæ Catholicæ: hanc enim institutionem sibi non vindicat (1).

Non alteri societati: nulla enim societas probare potest, ut suprà vidimus, institutionem suam immediatam.

§ VI. — Ecclesiæ Catholicæ Romanæ competunt omnes notæ Institutionis Mediatæ.

I° Ecclesia Romana est *Visibilis*.

I. Visibilis est in se: Siquidem coalescit personis visibilibus, quæ visibiliter profitentur religionem Christi, et coadunantur in unam societatem externam sub pastoribus et S. Pontifice, capite visibili.

II. Visibilis est quatenùs possidens cæteras notas: Ex infrà dicendis constabit.

II° Ecclesia Catholica est *Apostolica ratione originis.*

Prob. Ecclesia catholica est continuatio Ecclesiæ apostolicæ; duplici enim vinculo huic conjungitur, vinculo scilicet *interno*, seu vinculo ejusdem fidei, et vinculo *externo*, seu vinculo submissionis eidem ministerio.

1° Conjungitur vinculo ejusdem fidei: Siquidem 1. nunquàm probari potuit minima contradictio inter fidem

(1) Vid. notam superiùs allatam, ubi *de Ministerio*, § 5, pag. 51.

Ecclesiæ apostolicæ et fidem Ecclesiæ catholicæ. 2. Identitas ejusdem fidei à primævis temporibus usque ad tempora præsentia constat cuilibet perlegenti scripta Patrum et Doctorum; constabit aliundè totius theologiæ expositione.

2° Conjungitur vinculo externo, id est, Ecclesia catholica subjicitur eidem ministerio: Siquidem Ecclesia catholica unitur Ministerio catholico quod successit Ministerio Apostolico, ut suprà probavimus.

IIIo Ecclesia Romana est *Apostolica ratione proprietatum*, aliis verbis,

I. Est Una:

I. Quoàd Corpus. Facto constat Ecclesiam Catholicam in unum coalescere corpus, sub auctoritate Ministerii collectivè sumpti et sub R. Pontifice supremo capite.

II. Quoàd Fidem. Fides Ecclesiæ catholicæ nullam unquàm admisit novitatem, nullam unquàm variationis passa est labem. Aliundè historiâ constat Ecclesiam Catholicam à communione suâ semper repulisse omnes societates ab ejus fide discrepantes.

II. Est Catholica:

I. Quoàd Jura. Facto sibi vindicat jura universalia. Profitetur enim non esse salutem extra Ecclesiam Catholicam, seu, quod idem est, omnes homines teneri in ipsam ingredi. Eam autem reipsà gaudere prædictâ universalitate immediatè probari non potest, sed concluditur ex eo quòd ipsi competant omnes aliæ notæ veræ Ecclesiæ.

II. Quoàd Doctrinam. Ecclesia Romana tenet totam doctrinam Christi. Equidem exprobrârunt hæretici novitates plurimas doctrinæ Christi fuisse superadditas ab Ecclesiâ Romanâ; nunquàm verò aliquid fuisse prætermissum. Aliundè Ecclesia Romana tenet omnes veritates positivas quas retinuerunt aliæ societates christianæ.

III. Quoàd loca. Ecclesia Romana verè catholica est, seu à primævis sæculis diffusa fuit per majorem orbis cogniti partem.

Ecclesia Romana fuit catholica à primævis sæculis usque ad tempora S. Augustini; à sæculo S. Augustini usque ad tempora Pseudo-reformationis; à Pseudo-reformatione usque ad nostra tempora.

1° A primævis sæculis usque ad tempora S. Augustini: Testantur Patres. In ep. eccles. Smyrn. de martyrio S. Polycarpi, quam refert Euseb., Hist. eccl., lib. 4, c. 15, sequentia leguntur: *Postquàm precationis finem fecit, in quâ omnium qui cum ipso unquàm versati fuissent.... totiusque Ecclesiæ Catholicæ per universum terrarum orbem diffusæ mentionem fecerit...* S. Justin., Dial. cum Tryph., n. 117: *Nullum omninò genus est... in quo non, per nomen Crucifixi Jesu, preces et gratiarum actiones Patri et Creatori universorum fiant.* S. Iren., contr. hær., l. 3, c. 11, n. 8: *Quatuor regiones mundi sunt in quo sumus, et quatuor principales Spiritus, et disseminata est Ecclesia super omnem terram.* S. Cypr., de unit. Eccles.: *Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per totum orbem radios suos porrigit... Ramos suos in universam terram copiâ ubertatis extendit.* S. Cyrill., hierosol. Catech. 18, n. 23 et 27: *Catholica verò*

seu universalis vocatur; eò quòd per totum orbem ab extremis terræ finibus ad extremos usque fines diffusa est.... Sola est Sancta Catholica Ecclesia, quæ per orbem totum indeterminatâ gaudet potestate. S. August., de unit. Eccl., c. 7, n. 15: *Quàm multa et quàm manifesta sunt testimonia Ecclesiæ per omnes gentes diffusæ.*

2° A tempore S. Augustini usque ad Pseudo-reformationem testatur historia ecclesiastica Ecclesiam Romanam per majorem orbis cogniti partem fuisse diffusam.

3° A tempore Pseudo-reformationis, equidem fidèles numerosissimi ab Ecclesiâ Romanâ recesserunt; nihil autem sub respectu extensionis amisit Ecclesia nostra; imò novas à tempore Lutheri regiones amplexa est.

III. Est Sancta:

I. Sanctitate doctrinæ. Nihil enim, sive in doctrinâ, sive in institutis Ecclesiæ Romanæ, repugnat evangelicæ sanctitati.

II. Sanctitate membrorum. Omnibus enim temporibus in ipsâ plurimi reperiuntur perfectionis evangelicæ observantissimi sectatores. Isti proindè habendi sunt sancti, nisi dicatur, vel omnes fuisse hypocritas vel salutem obtineri non posse in Ecclesiâ Catholicâ. Porro, 1° ipsimet adversarii admittunt homines in Ecclesiâ Catholicâ bonâ fide viventes salutem consequi posse. 2° Suspicionem hypocrisis omninò refellit constans et eminentissima plurimorum sanctitas. Imò sæpè sæpiùs plurimorum sanctitas confirmatur miraculis, quibus ad severioris criticæ normam expensis fides nisi à viro planè sceptico denegari nequit.

Ecclesia Catholico-Romana gaudet *jure* prædictis proprietatibus. Illas enim proprietates tenet tanquam necessarias, simulque rejicit omnem doctrinam quæ logicè tenderet ad destructionem istarum proprietatum.

§ VIII. — Ecclesiæ Catholico-Romanæ unicè competunt notæ institutionis Mediatæ.

Prob. 1ª. Ecclesia Christi unica est et perpetua. Ecclesia Catholica vera est Ecclesia Christi, ut superiùs probavimus; omnes ergo aliæ societates sunt falsæ, nisi uniantur Ecclesiæ Romanæ. Porro ab ejus fide et communione recesserunt. Ergo.

Prob. 2ª. Si, præter Ecclesiam Romanam, alia societas esset vera, vel quædam specialis Ecclesia, vel societatis generalis omnibus christianis societatibus conflata. Porro neutrum dici potest:

I. Non prius: Nulla enim Ecclesia specialis possidet omnes notas veræ Ecclesiæ Christi.

Quoàd *visibilitatem:* Exceptâ istâ sectariorum ecclesiâ *invisibili* solis prædestinatis et justis conflatâ, de quâ inferiùs dicetur, omnes societates à Romanâ distinctæ equidem sunt visibiles *in se*; non sunt autem visibiles in altero sensu requisito, ut infrà videbitur.

Quoàd *apostolicitatem originis:* Nulla originem habet apostolicam. Siquidem nulla conjungitur Ecclesiæ Apostolicæ vinculo ejusdem fidei, nec subjectione Ministerio Apostolico. Prius patebit expositione Theologiæ. Probabitur enim in decursu Theologiæ omnes veritates à societatibus acatholicis rejectas niti Scripturæ et Traditioni per quas constat fides Ecclesiæ Apostolicæ. Posterius facto constat: nulla enim subjicitur Pastoribus

Catholicis et R. Pontifici, successoribus Apostolorum et S. Petri.

Quoàd *unitatem :* 1° Corporis ; 1. Nulla ex omnibus societatibus acatholicis hanc unitatem *jure* sibi vindicare potest, cùm, ut suprà probavimus, omnes profiteantur sive implicitè, sive explicitè, legitimam esse rebellionem. 2. *Facto* nulla gaudet unitate corporis, quâ pollere debet vera Ecclesia Christi. Equidem apud Græcos quædam adest unitas corporis intrinseca. Sed prædictâ unitate omninò carent societates Pseudo-reformatorum, quæ in dies dissolvuntur in sectas propè innumeras. Aliundè, licèt admittatur quamdam corporis unitatem inesse societatibus acatholicis, hæc unitas multùm differt ab unitate verâ, qualis inesse debet Ecclesiæ Christi. Siquidem societates prædictæ non subjiciuntur legitimis Pastoribus et S. Pontifici.

2° Fidei : 1. Hanc unitatem fidei nulla sibi legitimè vindicare potest, cùm, ut suprà diximus, omnes acatholicæ societates teneant sive implicitè, sive explicitè, rationem esse independentem circa veritates religiosas. 2. Facto apud omnes adfuerunt in fide variationes. Siquidem tempore quo recesserunt ab Ecclesiâ Catholicâ negârunt dogmata quæ primitùs ab ipsis admittebantur. Posteà, saltem societates Pseudo-reformatorum, successivè rejecerunt plures veritates quas tempore reformationis adhuc retinuerant.

Quoàd *catholicitatem :* 1° Nulla sibi vindicare potest jura universalia, vi quorum omnes homines teneantur in hanc societatem ingredi. Juxta enim omnium societatum principia, schisma legitimè fieri potest.

2° Nec catholicitatem doctrinæ : Non possunt illam

sibi vindicare, admissâ independentiâ rationis. Facto, omnes prædictæ societates rejecerunt plura dogmata quæ ab antiquâ Ecclesiâ tenebantur.

3° Nec catholicitatem loci : 1. Hæc catholicitas fit impossibilis, posito principio cui nituntur omnes prædictæ societates. 2. Facto constat Ecclesiam Græcam intra angustos restringi limites, et Pseudo-reformatorum societates in multas dissolutas fuisse partes, quarum nulla per totum orbem diffunditur.

Quoàd *sanctitatem* : Nulla dici potest sancta, sive ratione doctrinæ, sive ratione membrorum.

1° Ratione doctrinæ : 1. Sanctitatem doctrinæ nulla sibi legitimè vindicare potest. 2. Facto constat doctrinam omnium societatum prædictarum contradicere doctrinæ Christi. Sic, Græci negârunt primatum S. Pontificis, processionem Spiritûs S. Sic, Protestantes tenent libertatem per peccatum fuisse exstinctam, hominem ad malum à Deo impelli et necessitari; opera bona nequaquàm ad salutem esse necessaria, imò juxta quosdam, opera bona esse peccata ; justitiam ab eo qui electum se credit ipsis non amitti sceleribus.

2° Ratione membrorum : Plura et haud levissima contra sanctitatem societatum acatholicarum objici possent ; sequentia observare sufficiat. Apud istas societates opera sanctitatis multò rariora apparent quàm apud Romanam Ecclesiam. Et, licèt apud illas darentur quidam sancti, eorum sanctitas difficillimè probari posset cum eodem rigore quo sanctitas apud catholicos dijudicatur.

II. Non posterius : Societas generalis omnibus societatibus christianis conflata per professionem *articulo*-

rum fundamentalium (1) dici non potest vera Ecclesia Christi. Etenim non possidet notas veræ Ecclesiæ :

Quoàd *visibilitatem :* Equidem prædicta societas visibilis est *in se*, non verò visibilis est in altero sensu requisito.

Quoàd *apostolicitatem originis :* Hæc nota non competit societati de quâ hìc agitur. Siquidem, ut suprà probavimus, apostolicitas originis pendet à professione ejusdem fidei quam tenebat Ecclesia Apostolica, et à subjectione Ministerio Apostolico. Porro,

1° Non subjicitur Ministerio Apostolico : Rejicit enim Ministerium Catholicum, quod successit Ministerio Apostolico.

2° Non tenet eamdem fidem quàm Ecclesia Apostolica : Adversarii probare deberent doctrinam *articulorum fundamentalium* ab Ecclesiâ primitivâ fuisse admissam. Porro contrarium constat ratione, Scripturâ et Traditione.

1. Ratione. Doctrina fundamentalium articulorum admitti non potuit ab Ecclesiâ primitivâ. Siquidem juxta principia quibus nititur prædicta doctrina, tota corruit religio christiana. Doctrina christiana nititur testimonio Christi ; proindè omnes articuli hujus doctrinæ, nisi contrarium Scripturâ constet, eodem valore gaudent. Porro, cùm Scriptura S. taceat de distinctione inter articulos fundamentales et non fundamentales, rejici non possunt articuli quidam, quatenùs non funda-

(1) Nomine *articulorum fundamentalium* Protestantes designant quasdam veritates ab omnibus societatibus christianis admissas, et quarum fides ad salutem necessariò requiritur. Primus auctor hujus systematis est Juriæus.

mentales, quin eo ipso rejiciatur auctoritas Christi, cui nituntur articuli prædicti. Rejectâ auctoritate Christi circa quasdam ejus doctrinæ partes, logicè rejicienda est circa totam doctrinam.

2. Scripturâ. Matth. 28, 19: *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Marc. 16, 15: *Prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui non crediderit condemnabitur.* Undè Christus imposuit Apostolis præceptum prædicandi, et eo ipso fidelibus præceptum credendi absque ullâ exceptione omnia quæcumque mandaverat, non verò tantùm quosdam articulos quos Protestantes vocant fundamentales.

3. Traditione. Factis et testimonio Patrum probatur falsitas systematis adversariorum:

Factis: Si doctrina articulorum fundamentalium in primævis Ecclesiæ sæculis admissa fuisset, SS. Patres, quandò rem habebant cum hæreticis, istis probare debuissent illorum doctrinam contradicere doctrinæ fundamentalium articulorum. Ipsimet hæretici ad eam certissimè confugissent ad evinciendum hæreseos labem probando scilicet ipsorum novitates versari tantùm circa articulos minimè fundamentales. Porro, nec in Patrum, nec in hæreticorum scriptis ulla mentio fit de illo argumentandi modo.

Testimonio PP.: Innumera possent afferri testimonia Patrum quibus clarè probatur necessitas admittendi absque ullâ exceptione totam doctrinam Christi. Sed brevitatis causâ ea omittimus.

Quoàd *Apostolicitatem proprietatum:* Prædictam societatem istâ notâ carere probandum esset eodem modo superiùs observato.

Attamen notandum 1. Catholicitatem loci competere posse huic societati; 2. unitatem verò doctrinæ quam adversarii per suum systema sibi comparare tentârunt, nunquam fore possibilem. Siquidem, admissâ fallibilitate omnium societatum particularium, quibus coalescit societas generalis, quælibet societas particularis rejicere potest unum aut plures ex articulis fundamentalibus. Rejecto quodam articulo ab unâ societate, articulus prædictus, juxta systema, jàm non est fundamentalis; proindè cæteræ societates illum pro fundamentali tenere logicè non possunt, proindè ineluctabilibus subjiciuntur variationibus: aliundè hæc omnia factis confirmantur.

PROB. II.

ARGUM. RATION.

Le Ministère Catholique est infaillible;—l'Eglise Catholique est indéfectible.

Deux propositions à établir.

I.

Le Ministère Catholique est infaillible.

Pour le prouver, il suffit d'établir les trois propositions suivantes: 1° Jésus-Christ a établi un ministère religieux; 2° il a doué ce ministère d'infaillibilité; 3° ce ministère est le ministère catholique seul.

§ 1.— Jésus-Christ a établi un ministère religieux.

Cette proposition est vraie, si le but que s'est proposé J.-C. dans la prédication de sa doctrine exige comme complément nécessaire l'établissement d'un pouvoir doctrinal, législatif et sacerdotal. Or, il en est ainsi.

I. Le but de J.-C. a été de réunir les hommes de tous les lieux et de tous les temps dans une société religieuse unique, basée sur la croyance à sa doctrine; par conséquent il a dû établir un moyen pour conserver l'intégrité de sa doctrine, pour la communiquer aux hommes avec une autorité suffisante, pour en imposer la croyance et pour conserver l'unité dans cette société. Or,

1° Un pouvoir doctrinal peut seul conserver l'intégrité de la doctrine. Car le fait prouve qu'une doctrine livrée à la raison est promptement altérée et détruite.

2° Il est le seul moyen capable de communiquer la doctrine à tous les hommes. Car 1. la prédication de l'Evangile est pénible; donc elle exige qu'il y ait des hommes ayant devoir, et par conséquent pouvoir de prêcher. 2. En dehors de ce moyen, il n'y a que la raison particulière: or, ce moyen est insuffisant. Car la connaissance du Christianisme par la raison individuelle, est impossible à la généralité des hommes, puisqu'il faudrait que chaque individu s'assurât par lui-même de l'existence, de l'inspiration de l'Ecriture et de chacune de ses parties; de l'intégrité des textes primitifs; qu'il lût la Bible dans les textes originaux, ou dans une version dont il aurait constaté par lui-même la fidélité; qu'il interprétât chaque texte de la Bible de manière à pouvoir être certain de la légitimité de son interprétation. Or, cela est impossible à la très-grande majorité des hommes.

3° Un pouvoir doctrinal seul peut: commander la foi à une doctrine, car le devoir de croire suppose le droit de prescrire la croyance; conserver l'unité de la société, car sans autorité doctrinale les luttes dogmatiques seraient interminables, et par conséquent l'unité impossible.

Donc le but que s'est proposé J.-C. dans la prédication de sa doctrine exige l'établissement d'un pouvoir *doctrinal*.

II. Il exige aussi un pouvoir *législatif*. Car les lois données par J.-C. sont très-générales et exprimées dans des formules qui laissent, quant au mode, au lieu et au temps de l'observation, beaucoup à l'arbitraire. Par conséquent, si J.-C. n'avait pas établi un pouvoir pour déterminer ces circonstances, ses

lois ne seraient pas observées, ou le seraient mal. Donc il a dû établir ce pouvoir.

III. Un pouvoir *sacerdotal :* Dans toute religion il existe un sacrifice, des moyens surnaturels de communication avec Dieu, sacrifice et moyens de communication confiés au sacerdoce.

§ 2.—Jésus-Christ a doué ce ministère d'infaillibilité.

Car, sans cette prérogative, il serait incapable d'atteindre les fins pour lesquelles il est institué. Ainsi, il ne pourrait pas : prescrire la foi, car l'homme ne doit la foi qu'à une autorité infaillible ; conserver l'intégrité de la doctrine, car toute décision faillible est discutable, et ainsi légitimement altérable ; la communiquer d'une manière aussi efficace, car la faillibilité entraînerait la contradiction qui nuit à l'acceptation de la doctrine ; maintenir l'unité dans la société, car il ne pourrait pas juger en dernier ressort les luttes dogmatiques et morales.

§ 3.— Ce ministère est le ministère catholique seul.

Cette proposition résultera de la preuve des deux affirmations suivantes : 1. Le ministère établi par J.-C. doit être le plus parfait de tous. 2. De tous les ministères existants, le ministère catholique est le plus parfait.

I. Le ministère établi par J.-C. doit être le plus parfait de tous.

1° D'abord les adversaires le reconnaissent, puisqu'ils prétendent ne s'être séparés du ministère catholique que parce qu'il a été corrompu.

2° La raison le prouve : on conçoit que l'homme puisse se séparer du véritable ministère, lui en substituer un faux, altérer son idée ; mais il lui est impossible de perfectionner sa constitution, œuvre de la sagesse divine.

II. De tous les ministères existants, le ministère catholique est le plus parfait.

Le ministère n'est qu'un moyen ; la perfection du moyen dépend de l'intimité de ses rapports avec la fin. Le ministère

religieux le plus parfait sera donc celui dont les propriétés, les attributions, les moyens d'action et les œuvres seront le mieux accommodés à la fin qu'il doit atteindre. Or,

I. Sous ces différents points de vue, le ministère catholique l'emporte sur tous les autres :

1° *Propriétés*. Le ministère religieux doit par son origine *remonter jusqu'à J.-C.* Car nous avons prouvé qu'il doit posséder une autorité doctrinale infaillible, un pouvoir législatif universel et un pouvoir sacerdotal complet ; pouvoirs qui ne peuvent s'expliquer que par une concession divine et surnaturelle faite par J.-C.

Il doit être : *Catholique* ou *universel* ; car il est établi pour le bien de la société universelle que J.-C. est venu établir ;

Un : Car 1. il doit unir la société, et s'il n'était pas un, il la diviserait au lieu de l'unir. 2. Il est chargé d'établir, de conserver, de développer la société universelle des hommes, ce qui suppose une action forte et puissante qui elle-même est impossible sans unité.

Indépendant du pouvoir civil : 1. Autrement il ne pourrait pas être universel, car il serait nécessairement limité comme le pouvoir temporel auquel il devrait son existence. 2. L'autorité spirituelle doit régler même les actes du pouvoir temporel ; or, la règle ne peut dépendre de celui qu'elle doit diriger.

Le ministère catholique réunit ces propriétés : 1. Il touche à J.-C. par son origine, car l'histoire montre qu'il remonte jusqu'aux Apôtres et par eux à J.-C. Il est 2. catholique ou universel : car l'Eglise qu'il dirige est universelle ; 3. un : car le clergé inférieur a un centre d'unité dans les Evêques, les Evêques ont un centre d'unité dans les Archevêques, les Archevêques dans les Patriarches, tous dans le S. Pontife ; 4. indépendant : c'est une de ses principales maximes.

2° *Attributions*. Le ministère religieux, comme nous l'avons prouvé, doit posséder un pouvoir doctrinal infaillible, un pouvoir législatif universel et un pouvoir sacerdotal complet.

Or, le ministère catholique possède ces trois pouvoirs, car il se les attribue, et cette prétention est admise dans l'univers entier.

3° *Moyens d'action.* Au moyen de ces attributions, le ministère catholique s'est créé des moyens d'action parfaitement appropriés au but qu'il doit atteindre.

Au ministère il faut :

1. Un *symbole* obligatoire, invariable, indiscutable ; sans cela point de centre d'unité, point de règle de croyance, point de garantie d'unité dans la foi ;

2. Une *discipline* accommodée aux circonstances de personnes, de temps et de lieux : car sans discipline les lois divines ne seront point ou seront mal observées ; si la discipline n'est pas accommodée aux circonstances de personnes, de temps et de lieux, elle perdra beaucoup de son utilité, et peut-être même sera nuisible ;

3. Une *liturgie* obligatoire qui règle les cérémonies du culte et lui assure une action puissante sur le sentiment religieux : autrement, l'absence de cérémonies, ou des cérémonies livrées à l'arbitraire, priveraient le culte de son action sentimentale, ou le rendraient ridicule ;

4. Des *institutions religieuses* propres à étendre, à conserver, à perfectionner la société chrétienne : car tel est le but que s'est proposé J.-C. dans sa prédication et dans l'institution du ministère ; or, ce but, pour être atteint, exige comme moyens nécessaires des institutions particulières chargées de ces différentes fonctions.

Or, l'histoire du dogme prouve que depuis la naissance de l'Eglise les catholiques adoptent les symboles sans discuter ; qu'ils les regardent comme obligatoires ; que le symbole n'a jamais varié ;

L'histoire du droit Canon montre qu'à toutes les époques il a existé dans l'Eglise une discipline accommodée aux circonstances de personnes, de temps et de lieux, à laquelle se sont soumis les fidèles ;

Le symbolisme majestueux et touchant du culte pratiqué par l'Eglise prouve que le ministère catholique possède le troisième moyen d'action ;

L'histoire des corporations religieuses montre qu'il possède aussi le quatrième.

Pour augmenter encore l'influence des moyens que nous venons d'indiquer, le ministère catholique a imposé au clergé et aux corporations religieuses le célibat, qui, en détachant l'homme de lui-même, des liens de la famille, en l'affranchissant de la nécessité de pourvoir à ses besoins, crée en lui le dévouement, rehausse sa pureté, le met à la hauteur des fonctions saintes et sanctifiantes qu'il a à remplir, augmente en lui l'influence morale de la vertu.

4° *Œuvres*. Les œuvres du ministère catholique sont parfaitement appropriées au but que doit atteindre le ministère religieux, savoir : créer, conserver, étendre, perfectionner la société chrétienne. Car

1. Il a créé la société chrétienne par le moyen des Apôtres, ses premiers représentants ;

2. Il l'a étendue dans le monde entier, puisque tous les peuples chrétiens, ceux mêmes qui le combattent actuellement, lui doivent leur conversion ;

3. Il l'a conservée, en combattant par l'enseignement des Docteurs, des Pères et des Conciles, la fausse philosophie, le paganisme, l'hérésie et le schisme ;

4. Il l'a perfectionnée sous le rapport spirituel et temporel. Sous le rapport spirituel : car il a constamment combattu tous les vices par ses décisions, ses lois, sa prédication, et le plus ordinairement par ses exemples ; il a créé l'héroïsme chrétien dans les Martyrs, les Saints canonisés, les Ordres religieux, dont les membres renoncent à eux-mêmes, aux plaisirs, aux biens de la terre, et se dévouent à Dieu par les vœux obligatoires de chasteté, de pauvreté et d'obéissance. — Sous le rapport temporel : il a créé, étendu, conservé la société chrétienne, l'a imprégnée de l'esprit chrétien ; il a exercé une influence très-avantageuse au progrès des sciences, des arts, à la perfection de l'état social, comme nous l'avons prouvé plus haut ; enfin, de l'aveu des hommes de génie, des protestants eux-mêmes, l'histoire de la civilisation n'est que l'histoire de l'action du ministère catholique sur la société.

II. En dehors du ministère catholique, aucun ne possède l'ensemble des avantages que nous venons d'énumérer.

1° Le *ministère grec* ne les possède pas.

Propriétés : 1. Il ne remonte pas jusqu'à J.-C. par son origine, puisqu'il ne remonte, comme ministère indépendant, qu'à Michel Cérulaire au XI° siècle, tout au plus à Photius au IX° siècle. 2. Il n'est pas universel : il n'est pas plus étendu actuellement que lorsqu'il s'est séparé du ministère catholique, dont il n'était qu'une partie. 3. Il n'est pas un de *fait :* l'ensemble des églises grecques est sans unité, car elles n'ont aucun centre supérieur ; l'unité conservée par quelques-unes est un héritage du ministère catholique conservé après leur séparation, elle est un pur fait sans base solide, puisqu'elles sont fondées sur le droit de révolte. De *droit,* il ne peut pas être un, car son existence repose sur l'indépendance de la raison, principe qui légitime tout fractionnement indéfini. 4. Il n'est pas indépendant : la principale partie de cette Eglise, l'Eglise russe, est une Eglise nationale, qui dépend absolument du pouvoir civil; de même le Patriarche de Constantinople dépend, quant à l'exercice de ses fonctions, de l'empereur de Constantinople.

Attributions : Le ministère grec a les pouvoirs sacerdotaux, mais il ne peut légitimement s'attribuer les pouvoirs doctrinal et législatif: ces pouvoirs, qui lui avaient été conférés par l'Eglise Catholique, lui ont été retirés par elle ; du reste, sa prétention est combattue par le principe sur lequel repose son existence : légitimité de la révolte. Enfin, ses pouvoirs ne lui sont reconnus que par les membres de l'Eglise grecque, gens abrutis et ignorants.

Moyens d'action : Ils ont un symbole, une discipline, une liturgie ; mais toutes ces choses sont des héritages du ministère catholique ; elles sont chez eux sans base. Ils ont des institutions religieuses, mais qui sont beaucoup moins nombreuses, beaucoup moins appropriées aux besoins religieux des fidèles que celles créées par le ministère catholique. Le clergé inférieur, affranchi du célibat, est tombé dans l'ignorance, la dégradation et le mépris.

Œuvres : Au lieu de créer, de conserver, de perfectionner la société religieuse, il l'a divisée et altérée ; en se séparant du ministère catholique il a perdu sa vie ; aussi, chez les Grecs,

point de prosélytisme, point de vertus héroïques, point de progrès sociaux.

2° Le *ministère protestant* ne possède pas....

Propriétés : 1. Il ne remonte pas à J.-C., car l'histoire montre qu'il date de Luther. 2. Il n'est point catholique ou universel : de *droit*, il ne peut prétendre à cette propriété, puisqu'il admet la légitimité de la révolte ; de *fait*, il n'est pas reconnu comme ayant pouvoir de diriger, ou du moins il ne peut l'être sans inconséquence. 3. Il n'est point un : de *droit*, il ne peut l'être, puisqu'il admet la légitimité de la révolte, principe de fractionnement indéfini ; de *fait*, il s'est fractionné et se fractionne encore tous les jours. 4. Il n'est point indépendant : la plupart des Eglises protestantes sont devenues Eglises nationales et dépendent du roi ou du peuple.

Attributions : 1. Il n'a pas autorité doctrinale infaillible : il ne se l'attribue pas et ne peut pas se l'attribuer ; elle ne lui est pas attribuée par ses subordonnés. 2. Quant au pouvoir législatif, il ne prétend pas à ce pouvoir de droit divin ; il ne s'attribue qu'un pouvoir émané du peuple ou des princes, pouvoir nécessairement limité et limitable. 3. Il n'a pas le pouvoir sacerdotal : il l'avoue, car il ne s'attribue en cette matière d'autre pouvoir que celui qui est conféré au chrétien par le Baptême.

Moyens : 1. De *droit*, il n'a point de symbole obligatoire, indiscutable, invariable ; car il admet l'indépendance de la raison.

De *fait*, le symbole des premiers réformateurs est entaché des vices suivants :

Il supprime les bases de la morale ; car, d'après eux, l'homme n'est pas libre, Dieu seul est l'auteur du péché soit originel, soit actuel ;

Il admet que la justification dépend de la foi seule, que les œuvres sont inutiles ; d'après Calvin, la grâce est inamissible ;

Il supprime sans raison et contre toute raison les deux dogmes générateurs de la piété chrétienne, la Pénitence et l'Eucharistie :

La Pénitence : Elle consiste pour eux uniquement dans la foi ; ils suppriment donc la contrition et ses antécédents, la confession et ses accessoires, la satisfaction. Or, ces dogmes

influent sur la piété chrétienne, car ils sont des moyens d'expier le péché, de réformer l'homme, et par conséquent de prévenir le péché. — D'expier : car ces actes sont pénibles ; — de réformer : car la contrition renouvelle la foi, l'espérance, la charité, ses préliminaires, et, considérée en elle-même, elle rend à l'âme l'horreur du péché. La confession purifie l'âme par le rejet du péché. Les avis du confesseur dont elle est accompagnée sont une application particulière, et par conséquent la plus utile, de la morale chrétienne aux besoins du pénitent. La satisfaction imprime plus profondément dans l'âme l'horreur du péché ; — de prévenir le péché : car, en réformant l'homme, en lui imprimant l'horreur du péché, ces moyens le précautionnent contre la rechute.

L'Eucharistie : Tous suppriment l'Eucharistie comme sacrifice, la présence permanente ; Calvin même rejette la présence réelle de J.-C. dans l'Eucharistie. Or, rejeter ces trois dogmes, c'est supprimer l'acte de religion le plus excellent, le dogme le plus sanctifiant. — Le plus excellent : car, de tous les actes de l'homme, l'acte religieux est le plus excellent ; de tous les actes religieux, l'acte extérieur, à égalité de dispositions intérieures, est le plus excellent ; de tous les actes religieux extérieurs, le sacrifice est le plus excellent, puisqu'il exprime l'anéantissement de l'homme devant Dieu par la destruction de la Victime qu'il s'est substituée ; de tous les sacrifices, celui de J.-C. dans l'Eucharistie est le plus excellent, à raison de la Victime et du Prêtre. — C'est aussi supprimer le dogme le plus sanctifiant : par les *exemples* qu'il nous donne : car le sacrifice de la messe n'est que la continuation de celui de la croix, acte de renoncement le plus absolu, de dévouement le plus complet ; renoncement et dévouement manifestés aussi par la présence réelle, puisque J.-C. ne demeure sur nos autels que par amour pour nous et pour la gloire de son Père ; par les *motifs* qu'il nous présente pour accomplir la loi : l'amour que J.-C. nous manifeste dans le Sacrifice et le Sacrement de l'autel est un motif puissant pour engager à l'aimer et à accomplir ses commandements ; par les *moyens* qu'il nous fournit : puisque le dogme catholique nous montre sur l'autel J.-C., l'auteur de toute grâce, disposé à accueillir toutes nos demandes et dési-

reux de pénétrer par la communion au plus profond de notre être pour le sanctifier.

De *fait*, après les réformateurs, leur symbole a été discuté, il a subi mille alternatives, il est annulé.

2. La discipline protestante, sans autorité divine, est trop générale, trop vague pour assurer l'observation des lois divines.

3. La liturgie est illogique chez les protestants. Car le culte public est l'expression du symbole commun; or en principe tout est individuel dans le protestantisme. Le culte est chez les protestants nu et sans influence sur le sentiment religieux; il se réduit à peu près à une prédication sans autorité. Enfin, le protestantisme, en supprimant le célibat des ministres, leur a fait perdre le dévouement qu'il inspire au clergé catholique, l'estime et l'influence qu'il lui procure.

4. Les protestants ne peuvent pas avoir d'institutions religieuses, puisqu'ils ont supprimé les vœux. De fait ils n'en ont point.

Œuvres : 1. Le ministère protestant n'a point créé la société chrétienne : elle lui est antérieure. 2. Il ne l'a point développée : ses tentatives de mission ont été inefficaces. 3. Il ne l'a pas conservée : ses négations dogmatiques et morales tendaient à sa dissolution. 4. Quant au perfectionnement de la société : — sous le rapport *religieux :* le protestantisme a atténué et logiquement détruit la foi, et par là brisé le frein des passions, supprimé l'excitant à la vertu; de là l'indifférentisme religieux, le relâchement des mœurs, l'absence d'héroïsme ; — sous le rapport *temporel :* en matière de science, en émancipant l'esprit humain il l'a engagé dans toutes les aberrations de la philosophie moderne; quant aux arts, loin de contribuer à la création et au développement de l'art chrétien, il y a mis obstacle par l'atténuation de l'esprit chrétien, la négation de la présence réelle, l'interdiction des images; quant au bien temporel de la société, en altérant la morale il a affaibli les vertus sociales et domestiques, il a introduit le divorce dans la famille, enhardi l'esprit d'indépendance en matière temporelle, d'où résulte l'anarchie d'abord, puis par réaction le despotisme.

Donc le ministère protestant ne possède pas plus que le mi-

nistère grec les propriétés, les attributions, les moyens d'action, les œuvres exigés par le but du ministère religieux. Donc le ministère catholique, qui les possède, est de tous les ministères religieux le plus parfait ; est par conséquent le ministère établi par J.-C. et doué par lui de la prérogative de l'infaillibilité.

II.

L'Église Catholique est indéfectible dans sa croyance.

Car le ministère catholique, qui est infaillible, l'enseigne positivement.

Nota. Cette preuve, dans laquelle nous avons reproduit plusieurs des idées exposées déjà dans l'argument précédent, pour compléter notre argument de raison, ne doit être considérée que comme un cadre d'étude à développer par l'histoire.

PROB. INDIRECTA.

Admittenda est infallibilitas ministerii catholici ; admittenda est indefectibilitas Ecclesiæ catholicæ, si negari nequeant quin inducatur scepticismus universalis. Porro res ità est.

Siquidem, rejectâ auctoritate Ecclesiæ catholicæ, logicè admittendum est systema Protestantium de interpretatione Scripturæ per rationem privatam. Systema prædictum logicè conducit ad scepticismum in materiâ fidei. Tandem scepticismus in materiâ fidei logicè conducit ad scepticismum universalem.

Et I. rejectâ auctoritate Ecclesiæ catholicæ, logicè admittendum est systema Protestantium de interpretatione Scripturæ per rationem privatam : Siquidem, si rejicienda est auctoritas Ecclesiæ catholicæ, à fortiori

rejici debet auctoritas cujuslibet societatis christianæ; cùm 1. nulla societas, exceptâ Ecclesiâ catholicâ, originem habeat à Christo, ex quo tantùm auctoritas de quâ hìc agitur oriri potest; cùm 2. doctrina omnium societatum ab Ecclesiâ catholicâ distinctarum careat unitate, quæ tamen essentialis est et necessariò inesse debet doctrinæ auctoritatis infallibilis. Porro, rejectâ existentiâ auctoritatis visibilis, supernaturalem potestatem tenentis intra societatem Christi, traditio divina jàm non gaudet valore majori quo traditio humana. Cùm enim, juxta hypothesim, Ecclesia errare possit, Ecclesiæ testimonium circa veritates revelatas, seu ejus traditio, non gaudet valore majori quo testimonium humanum. Negato autem valore Traditionis divinæ et auctoritatis Ecclesiæ, unicum superest medium cognoscendi doctrinam Christi, scilicet interpretatio Scripturæ per rationem individuam.

II. Hoc autem systema logicè conducit ad deismum: sive enim Scriptura S. interpretanda sit per rationem privatam cujusque hominis, sive interpretanda sit per rationem collectivam omnium societatum christianarum, sive interpretanda sit utroque modo simul juncto, systema de quo agitur logicè conducit ad negationem doctrinæ christianæ, deinde ad deismum:

1° Negatio doctrinæ christianæ logicè sequitur ex systemate, quocumque modo Scriptura interpretetur:

Si per rationem privatam cujusque individui: in hâc hypothesi, logicè tenendæ sunt tanquam legitimæ omnes Scripturæ interpretationes, licèt inter se repugnantes. Imò, si inspiratio Scripturæ clarè non apparuerit rationi privatæ, auctoritas divina hujus libri legitimè

neganda erit; proindè, cùm, juxta adversarios, doctrina Christi in solâ Scripturâ contineatur, neganda erit ista doctrina, aut saltem inducetur indifferentismus absolutus circa religionem christianam.

Item, si Scriptura interpretanda sit per rationem collectivam omnium societatum: Siquidem 1. juxta illud systema habendi sunt tanquam indifferentes articuli quos adversarii vocant *non fundamentales*, licèt isti articuli sint numerosiores in doctrinâ Christi quàm cæteri quos reputant *fundamentales*. Proindè 2. evanescit certitudo articulorum fundamentalium, cùm articuli utriusque generis eâdem auctoritate nitantur scilicet testimonio Christi. 3. Cùm, juxta systema, quælibet societas errare possit, quælibet legitimè potest rejicere unum aut plures articulos symboli communiter recepti; symbolum proindè variationes patitur; imò, cùm variatio possit afficere omnes articulos symboli, symbolum decursu temporis omninò evanescere debet.

Item, si regula fidei quærenda sit in Scripturâ S. utroque modo simul juncto interpretatâ: Siquidem, vel quilibet modus interpretandæ Scripturæ ab altero independens est et eodem valore gaudet, vel alter ab altero pendere debet. Si prius: cùm nullus sit certus et infallibilis, dari possunt interpretationes contradictoriæ; porro interpretationes contradictoriæ eodem valore gaudentes nihil nisi dubium generare queunt. Si posterius, id est, si alter interpretandæ Scripturæ modus ab altero pendere debeat: cùm uterque seorsùm sumptus logicè conducat ad scepticismum circa doctrinam Christi, uterque simul sumptus etiam ad scepticismum conducere debet.

2° Ex negatione doctrinæ christianæ logicè sequitur deismus: Siquidem, si rejicienda est Revelatio Christiana, à fortiori logicè rejiciendæ sunt omnes aliæ revelationes, cùm nulla nitatur probationibus tàm numerosis et tàm validis. Porrò negatio revelationis nihil aliud est quàm deismus.

III. Deismus autem logicè conducit ad scepticismum in materiâ religiosâ: Siquidem, rejectâ quâvis revelatione, rejiciuntur omnes probationes quibus revelatio nititur; proindè logicè rejiciendus est valor facultatum quibus præbentur revelationis probationes; undè scepticismus religiosus.

IV. Scepticismus autem in materiâ religiosâ logicè conducit ad scepticismum universalem: cùm enim veritates religiosæ iisdem nitantur principiis quibus veritates cujusvis alius ordinis, priores rejici nequeunt, quin logicè rejiciendæ sint posteriores.

EXPLICATIO.

Ex dictis sequitur Ministerium Catholicum esse in docendo infallibile, Ecclesiam Catholicam esse in credendo indefectibilem. Nunc per modum explicationis quærendum: 1° ad quos pertineat auctoritas doctrinalis infallibilis, et quibusnam de causis auctoritate doctrinali gaudentes infallibiliter statuere possint; aliis verbis, quodnam sit *subjectum*, quodnam sit *objectum* infallibilitatis Ministerio Catholico divinitùs concessæ; 2° quodnam sit *subjectum*, quodnam et *objectum* indefectibilitatis?

1ª PARS.

EXPLICATIO DE INFALLIBILITATE MINISTERII.

I.

De Subjecto Infallibilitatis.

QUÆR. *Ad quos pertineat auctoritas doctrinalis infallibilis?*

Hæc quæstio duplicem complectitur, scilicet: 1º ad quos pertineat auctoritas doctrinalis; 2º penes quos prædicta auctoritas sit infallibilis?

§ 1. — Ad quos pertineat auctoritas doctrinalis?

Resp. Auctoritas doctrinalis pertinet: ad Episcopos seorsim sumptos; ad Episcopos collectivè sumptos, sive sint dispersi, sive sint congregati in Concilio generali aut particulari; ad S. Pontificem; et ad ipsos tantùm.

Prob. p. part. 1ª *p.* Auctoritas doctrinalis pertinet: 1. ad Episcopos seorsim sumptos: Act. Ap. 20, 28: *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Episcopis incumbit munus regendi Ecclesiam Dei; porro ad regimen Ecclesiæ necessaria sunt, non solùm præcepta moralia, sed etiam doctrina; ergo Episcopi gaudent potestate doctrinali. I Tim. 6, 2: *Hæc doce, et exhortare.* Tit. 2, 15: *Hæc loquere et exhortare, argue cum omni imperio.*

2. Ad Episcopos collectivè sumptos: Auctoritas enim doctrinalis competit cuilibet Episcopo, à fortiori Episcopis collectivè sumptis.

3. Ad S. Pontificem: 1. Episcopi gaudent potestate

prædictà, à fortiori S. Pontifex illâ gaudere debet. 2. S. Pontifex est caput Ecclesiæ, Ecclesiam proindè regere debet; ipsi proindè competit potestas Ecclesiam regendi sive per leges morales, sive per leges dogmaticas. 3. Christus dixit Petro, et in personâ Petri ejus successoribus: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Joan. 21. Ergo S. Pontifici commissa est cura pascendi et regendi gregem Christi. Ergo ad S. Pontificem pertinet potestas gregem pascendi per doctrinam et regendi per leges morales. Item Christus Petro dixit: *Et tu aliquandò conversus, confirma fratres tuos.* Luc. 22, 32. Ergo S. Pontifex habet potestatem confirmandi fratres in fide; proindè gaudet potestate doctrinali. 4. Concil. Florentinum, in decreto unionis cum Græcis, vocat R. Pontificem *Christianorum doctorem.*

2ª *p.* Pertinet tantùm ad prædictas personas: Si potestas doctrinalis apud alios resideret, vel apud presbyteros, vel apud laïcos. Porro suprà probavimus, ubi de constitutione Ministerii, presbyteros et laïcos nullâ gaudere potestate in causis fidei definiendis.

§ 2. — Penes quos auctoritas doctrinalis sit infallibilis?

Resp. 1° Certum est, et de fide, auctoritatem doctrinalem, positis quibusdam conditionibus, residere infallibilem apud Episcopos collectivè sumptos, sive congregatos in Concilio generali, sive dispersos.

2° Certum est, et de fide, auctoritatem doctrinalem infallibilem non pertinere ad Episcopos seorsim sumptos, nec ad Episcopos congregatos in Concilio particulari.

3° Communiter admittitur R. Pontificem gaudere potestate doctrinali infallibili.

1ª Pro. — Certum est, et de fide, auctoritatem doctrinalem, positis quibusdam conditionibus, residere infallibilem apud Episcopos collectivè sumptos, sive congregatos in Concilio generali, sive dispersos.

Quæ propositio probanda est et explicanda.

Prob. 1ª. Suprà vidimus Ministerium Catholicum gaudere potestate doctrinali infallibili. Ergo infallibilitate gaudet Concilium generale, quod repræsentat universum Ministerium. Ergo et Episcopi dispersi collectivè sumpti, cùm per ipsos constet Ministerium.

2ª. Vera est propositio nostra, cùm Ecclesia Catholica illam de fide teneat.

3ª. Initio decreti in Concilio Hierosolymitano lati, Apostoli dicunt, act. 15, 28 : *Visum est Spiritui Sancto et nobis*... Ergo decisiones Concilii generalis, et, pari ratione, decisiones Episcoporum non congregatorum, sunt oracula Spiritûs S.; proindè sunt infallibiles.

Explic. Diximus: auctoritatem doctrinalem residere... *positis quibusdam conditionibus*. Nunc quærendum 1. quænam requirantur conditiones ut Concilium sit generale, ejusque decisiones sint irrefragabiles; 2. quænam requirantur conditiones ut decisio Ecclesiæ dispersæ sit infallibilis?

Ad 1ᵃᵐ, scilicet: *Quænam requirantur conditiones ut Concilium sit generale?*

Resp. Requiritur 1° ut convocatio Concilii fiat per S. Pontificem, aut vi cujusdam delegationis ab ipso concessæ; 2° requiritur et sufficit ut, quantùm fieri potest, convocatio innotescat omnibus Episcopis jurisdictione gaudentibus; 3° requiritur ut Episcopi conveniant numero sufficienti; 4° ut S. Pontifex Concilio

præsideat per se aut per legatos; 5° ut discussiones sint liberæ, et præcipuè decreta cum plenâ libertate ferantur; 6° ut decreta Concilii à R. Pontifice confirmentur.

1ª *Conditio*. Requiritur ut convocatio Concilii fiat per S. Pontificem, aut vi cujusdam delegationis ab ipso concessæ.

Prob. p. part. 1ª *p.* Requiritur ut convocatio fiat per S. Pontificem :

1° *Ratione*. Res ità est, si 1. S. Pontifex gaudeat, si 2. solus gaudeat potestate necessariâ ad convocandum Concilium. Atqui,

1° S. Pontifex gaudet potestate necessariâ; siquidem, quatenus est caput Ecclesiæ, potestate præest omnibus Episcopis, proindè jus habet Episcopos ad Concilium convocandi.

2° S. Pontifex solus gaudet potestate necessariâ: si, præter S. Pontificem, quidam alii gauderent potestate prædictâ, vel quædam auctoritas civilis, vel quædam altera auctoritas ecclesiastica. Porro,

1. Jus Concilium convocandi non competit ulli auctoritati laïcæ: siquidem convocatio Concilii est actus jurisdictionis in ordine spirituali; porro auctoritas civilis nullum jus habet in illo ordine. Aliundè Concilium indici debet ab eo qui jus habet omnes totius orbis Episcopos cogendi; porro nulla auctoritas civilis, etiam quoàd actiones civiles, universali per totum orbem jure gaudet.

2. Nec competit alicui auctoritati ecclesiasticæ à S. Pontifice distinctæ: quia 1. nulla auctoritas ecclesiastica, præter S. Pontificem, supremam in omnes Episco-

pos tenet potestatem. Quia 2. cùm S. Pontifex Concilio interesse debeat, S. Pontifex ad Concilium convocandus esset; porro nulla auctoritas ecclesiastica superior est S. Pontifici; proindè nulla jus haberet S. Pontificem ad Concilium cogendi.

2° *Traditione*. Ecclesiæ traditio constat factis, testimoniis.

Factis: Omnia Concilia generalia fuerunt congregata jussu aut consensu R. Pontificum, vel saltem eorum indictio fuit R. Pontificis ratihabitione firmata. Ob istius conditionis defectum, Ephesinum Eutychianorum, Constantinopolitana Iconoclastarum sub Leone et Copronymo, Pisanum schismaticorum et alia Concilia fuerunt reprobata.

Testimoniis: Julius I, in ep. ad Orientales, apud Cassiodor. hist. tripart. scribit: *Canon ecclesiasticus est non debere absque sententiâ R. Pontificis Concilia celebrari*. Hunc canonem *apostolicum* vocat Marcellus in ep. ad Episcopos Antiochenos; Synod. Alexandrina in ep. ad Felicem Papam eum dicit *renovatum in Concilio Nicæno;* illumque referunt Socrates, l. 2 hist., c. 13, et Sozomenus, l. 3, c. 9. — Pelagius II in ep. ad Joannem Constantinopolitanum et ejus Synodum scribit: *Generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi B. Petri singulari privilegio est tradita; et nulla unquàm Synodus rata legitur, quæ apostolicâ auctoritate non fuerit fulta*.—Conc. Chalcedon., act. 1, prohibet Dioscorum inter Episcopos sedere, *quia Synodum ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquàm licuit, nunquàm factum est*. — Conc. Lateran. V, sess. 11, in decreto *Pastor æternus*,

declarat ex monumentis ecclesiasticis manifestè constare *quòd solus R. Pontifex, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habens, tàm Conciliorum indicendorum quàm transferendorum ac dissolvendorum, plenum jus et potestatem habeat.*

2ª *p.* Aut vi delegationis ab ipso concessæ : Siquidem in genere quælibet auctoritas potest, nisi contrarium constet, jus suum exercere sive per se, sive per delegatos. Porro in casu dato contrarium non constat.

2ª *Conditio.* Requiritur et sufficit ut omnes Episcopi ad Concilium vocentur.

Prob. p. part. 1ª *p.* Requiritur ut omnes Episcopi... Nam 1. Concilium generale debet repræsentare Ministerium collectivè sumptum ; ergo ad Concilium vocari debent omnes Episcopi jurisdictione gaudentes, cùm per istos constet Ministerium. 2. Facto constat omnes Episcopos ad Concilia generalia semper fuisse convocatos.

2ª *p.* Sufficit, id est, non requiritur ut aliæ personæ ad Concilium vocentur : Siquidem,

1° Ut Concilium sit generale, sufficit ut Concilium repræsentet universum Ministerium, proindè sufficit ut omnia membra Ministerii Catholici, id est Episcopi, ad Concilium vocentur.

2° Si aliæ personæ essent ad Concilium jure vocandæ, vel presbyteri, vel laici. Porro — Non presbyteri : nam 1. si jure ad Concilium essent convocandi, omnes Concilio conveniendi jus haberent ; porro tanta multitudo non posset regi, maximaque confusio in Ecclesiâ potiùs nasceretur. 2. Facto constat nullos presbyteros quibusdam Conciliis fuisse vocatos ; hæc tamen Concilia

ab omnibus habentur legitima. 3. Solis Episcopis, non verò simplicibus presbyteris, dictum est: *Docete omnes gentes... pascite qui in vobis est gregem Dei... posuit vos Spiritus S. regere Ecclesiam Dei.* — Nec laïci: Siquidem, si presbyteri, à fortiori laïci jus prædictum non habent. Aliundè accessum ad Concilia nec presbyteris nec laïcis, sed solis Episcopis patere constat traditione; specialiter Patrum Chalcedonensium exclamatione, in act. 4, contra monachos et laïcos Concilium ingressos: *Mitte foràs superfluos, Concilium Episcoporum est;* et can. 17 Concil. Cptani IV, in quo Patres hujus Synodi repellunt quod *à quibusdam imperitis* dicebatur, non posse scilicet Synodum absque Principali præsentiâ celebrari, *cùm*, inquiunt, *nusquàm sacri canones convenire sæculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites.*

3ª *Conditio.* Requiritur ut Episcopi conveniant numero sufficienti. Quæ propositio in se evidens est.

Quoàd autem numerum sufficientem, nihil omninò definitum est. Juxta theologos, requiritur quidem ut convocatio facta innotescat omnibus, saltem Provinciis majoribus; ut nullus ex toto orbe Episcopus, jurisdictione propriâ gaudens, non excommunicatus, excludatur; ut reipsà conveniant absolutè multi. Sed satis est ut è diversis nationibus et regnis eo numero conveniant Episcopi, quo prudenter existimentur universæ Ecclesiæ referre traditiones.

4ª *Conditio.* Requiritur ut S. Pontifex Concilio præsideat per se aut per legatos.

Prob. p. part. 1ª *p.* Requiritur ut S. Pontifex Concilio præsit: Siquidem 1. S. Pontifex Concilio interesse,

proindè ipsi præsidere debet. Etenim S. Pontifex superior est omnibus Concilii membris, et nullum habet superiorem. 2. Traditione constat R. Pontificem omnibus Conciliis generalibus, actione talibus, præsedisse per se, vel per legatos.

2ª p. Sufficit ut S. Pontifex per legatos præsideat: Nisi de contrario constet, quælibet auctoritas in genere valet potestatem exercere per se, aut per legatos; atqui contrarium non probatur. Aliundè, historiâ teste, exceptis Lateranensibus, Lugdunensibus, Viennensi et Florentino, quibus ipsi Pontifices R. præfuerunt, omnibus aliis Conciliis præsederunt per legatos.

5ª *Conditio*. Requiritur ut Concilium plenâ libertate gaudeat in discutiendis controversiis, et præcipuè in decretis ferendis.

Prob. Alioquin decreta non habenda essent decreta Concilii, sed potiùs eorum qui vim et coactionem in Episcopos exercuissent.

6ª *Conditio*. Requiritur ut decreta Concilii à S. Pontifice confirmentur (1).

Prob. 1ª. Concilium generale infallibilitate non gaudet, nisi quatenùs repræsentat Ministerium universum. Proindè ejus decisiones non sunt irrefragabiles, nisi corroborentur confirmatione S. Pontificis, qui, ut Princeps et Caput, tanquam pars præcipua concurrit ad constituendum Ministerium Catholicum.

2ª. Confirmationem R. Pontificis esse necessariam

(1) Nomine *confirmationis* intelligi potest, vel mera accessio ad Patrum judicium, quâ Pontifex consentit decisioni; vel declaratio quâ Pontifex ut præses aut judex Patrum exponit decisionem esse legitimè factam.

docet constans traditio, specialiter Julius I, apud Socrat., l. 2, c. 13, declarat *Canon Ecclesiasticus vetat ne decreta absque Romani Episcopi sententiâ Ecclesiis sanciantur*. Gelasius I, l. de anathem.: *Quod firmavit in Synodo Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit; quod refutavit, habere non potuit firmitatem*. Idem declarat Sixtus III, in ep. ad Episcopos Illyr.; Nicolaus I, in ep. 8; etc. Aliundè historiâ constat confirmationem Conciliorum à R. Pontifice semper fuisse petitam. Specialiter hæc leguntur in relatione Concil. III Gen. actioni 5 adjectâ: *Quia autem necesse est ut omnia, quæ consecuta sunt, sanctitati tuæ significentur, non potuimus non scribere*. Et Patres Concilii Cptani III ad Agathonem Papam: *Orthodoxæ fidei splendidam lucem vobiscum clarè prædicavimus, quam ut iterùm per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem*.

Quandònam autem Concilium censeatur à S. Pontifice confirmatum?

R. Duplex hypothesis fingi potest: vel S. Pontifex præsidet Concilio per se, vel per legatos.

1° Si Concilio præsideat per se: Concilium censetur confirmatum, quandò Episcopi cum Papâ concordant. Secùs, si dissentiant.

2° Si Concilio præsideat per legatos, vel legati ad Concilium missi sunt cum determinatis instructionibus S. Pontificis, vel non.

Si prius: Concilium in definiendo sequens expressam sententiam Pontificis eâdem auctoritate gaudet ac si esset confirmatum.

Si posterius: Quandò Concilium definit dissentienti-

bus legatis, Concilii decisiones eo ipso non irrefragabiles.

Quandò autem concordat cum legatis instructione S. Pontificis non munitis, duplex adest sententia. Juxta *primam*, decreta nihilominùs infallibili gaudent valore, quia legati personam gerunt S. Pontificis, eorum proindè consensus æquivalet assensui S. Pontificis. *Secunda* probabilior negat: Quamvis enim legati Concilio præsint nomine Pontificis, reverà nihilominùs non sunt Pontifices, nec sciunt quæ sit mens Pontificis, nec habent illud privilegium non errandi quod habet S. Pontifex. Undè, juxta posteriorem sententiam, requireretur ratihabitio S. Pontificis, vel ut Ecclesiæ innotescat omnia juxta mentem Pontificis acta fuisse, vel ut definitio infallibilis habeatur.

Observ.—1ª. Licèt ad Episcopos tantùm pertineat jus Conciliis conveniendi, ad ea convocari possunt et ordinariè vocantur aliæ personæ. Vocantur principes, sive propter honorem, sive ut Concilium defendant, ejusque decretorum promoveant observationem. Vocantur etiam ex presbyteris aliisque clericis viri docti, qui juvent in disputando, vel in aliis ministeriis. Prædicti doctores et presbyteri obtinere possunt, S. Pontificis aut Concilii arbitrio, quamdam vocem deliberativam, juxta regulas à jure canonico determinatas.

Item, licèt per se non habeant qualitatem necessariam, nec semper vocati fuerint, nunc vi privilegii et consuetudinis ad Concilia vocantur et voce deliberativâ gaudent: Cardinales, Procurator Episcopi absentis, Procurator Capituli sede vacante, Generales ordinum, Abbates exempti. Notandum tamen prædictorum suf-

fragia minoris esse ponderis quàm suffragia Episcoporum, qui jure ordinario et ex officio proprio sola sunt membra Concilii; et, in casu dissensionis, sententiam Episcoporum, licèt numero inferiorum, prædictorum sententiæ prævalere.

2ª. Licèt conditiones ad œcumenicitatem Concilii requisitæ actualiter non adfuerint omnes, Concilium nihilominùs posteà fieri potest œcumenicum, accedente S. Pontificis approbatione, et acceptatione explicità aut implicità majoris Episcoporum partis.

3ª. Omnes dubitationes quæ oriri possunt circa œcumenicitatem cujusdam Concilii resolvuntur per fidem Ecclesiæ.

Ad 2am, scilicet: *Quænam requirantur conditiones ut decisio Ecclesiæ dispersæ sit infallibilis?*

Resp. Requiritur et sufficit ut decisioni à S. Pontifice propositæ vel admissæ accedat acceptatio, sive explicita, sive implicita, majoris partis Episcoporum.

Prob. Requiritur ut decisio à S. Pontifice proponatur, vel recipiatur; alioquin, juxta Romanos, non esset infallibilis. Requiritur acceptatio majoris partis Episcoporum; alioquin, juxta Gallicanos, decisio non haberetur irrefragabilis.

Explic. Diximus 1. recipiatur *à majori Episcoporum parte*; non enim requiritur unanimis consensus omnium Episcoporum, ut constat perpetuâ Ecclesiæ praxi, et cùm aliundè prædicta unanimitas sit moraliter impossibilis.

Diximus 2. recipiatur *explicitè vel tacitè*. Siquidem Episcopi possunt propositæ decisioni adhærere sive

explicitè, ut evidens est, sive tacitè. Quandò enim agitur de re magni momenti, et Episcopi per totum orbem dispersi non reclamant, et ipso censentur decisionem suo silentio approbare, juxta illud S. Aug., ep. 119, c. 19 : *Ecclesiæ Dei ea quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.*

IIa Ppo. — Certum est auctoritatem doctrinalem infallibilem non pertinere ad Episcopos sive individualiter sumptos, sive congregatos in Concilio particulari (1).

Prob. 1a. Neque per Scripturam, neque per Traditionem, neque per rationem contrarium probari potest. Non per Scripturam : verba enim quibus infallibilitas à Christo fuit concessa solummodo spectant Ministerium collectivè sumptum. Neque per Traditionem : quæ potiùs probaret fallibilitatem cujuscumque Episcopi et Conciliorum particularium. Neque per rationem : infallibilitas enim minimè necessaria est cuilibet Episcopo et Concilio particulari, ut Ecclesiæ unitas servari possit: Christus enim sufficienter providit huic unitati per concessionem infallibilitatis factam Ministerio disperso vel congregato in Concilio generali, et S. Pontifici.

Prob. 2a. Facto constat et ab omnibus admittitur prædictas auctoritates errâsse.

Corollaria. 1um. Episcopus seorsìm sumptus, aut Concilium particulare, non potest præcipere fidem

(1) Concilium *particulare* dicitur quod partem tantùm Ecclesiæ universalis repræsentat. Aliud est *nationale*, ad quod conveniunt Episcopi unius nationis, sub Patriarchâ aut Primate præside. Aliud est *provinciale*, quod conflant plures Episcopi unius provinciæ complectentis diœceses plures : vocatur etiam *metropoliticum* à Metropolitano præside.

decisioni suæ. Siquidem fides præstari nequit nisi definitioni infallibili, cùm fidei objectum debeat esse omninò certum, ut dicetur ubi *de Dogmate in genere*.

2um. Nihilominùs non licet factis aut dictis contradicere decisioni latæ ab Episcopo aut Concilio particulari. Auctoritates enim prædictæ jus habent decisionem ferendi, ac proindè jus obedientiam ac reverentiam præscribendi.

IIIa Ppo. — Communiter admittitur R. Pontificem *ex cathedrâ* docentem esse infallibilem.

Præmittenda: Controversia non est de R. Pontifice quatenùs spectatur ut doctor privatus ; cùm ferè omnes theologi concedant R. Pontificem, loquentem ut, doctor privatus qui particularem suam opinionem exponit, errare posse. Si Christus Pontificem infallibilitate donavit, hoc privilegium evidenter ipsi concessit quatenùs est Ecclesiæ Caput et Doctor.

Item citra controversiam est decisionem R. Pontificis ex cathedrâ loquentis, accedente consensu omnium, seu majoris partis Episcoporum, esse infallibilem. Talis enim decisio, ut suprà diximus, habenda est ut decisio Ministerii universi.

Versatur ergo tantùm controversia circa quæstionem sequentem, scilicet : utrùm sententia R. Pontificis ex cathedrâ loquentis sit infallibilis, independenter ab Ecclesiæ consensu.

Negant theologi gallicani definitionem R. Pontificis esse infallibilem, antequàm accedat consensus majoris partis Episcoporum.

Valdè communiùs affirmant cæteri theologi.

Hanc ultimam sententiam, quam tenemus, probamus directè et indirectè.

Antequàm autem hujus sententiæ rationes exponamus, præviè determinandæ sunt conditiones requisitæ ut definitio Pontificis dici possit *ex cathedrâ*.

Juxta omnes, requiritur 1. ut Pontifex definiens immunis sit à metu et violentiâ : alioquin decisio non posset attribui S. Pontifici. Requiritur 2. ut decisio proponatur Ecclesiæ universæ. Pontifex enim infallibilitate gaudet solummodò quatenùs est pastor supremus et doctor universalis ; porro non censetur doctor universalis, nisi quando decisionem proponit Ecclesiæ universæ. Requiritur 3. ut Pontifex definitionem proponat, obligans sub anathemate omnes fideles ad illam de fide credendam. Infallibilitas enim Pontifici concessa est solummodò ut asservaretur in Ecclesiâ fidei unitas; Pontifex proindè in definiendo non est infallibilis, nisi definitionem præbeat tanquam fidei regulam, seu nisi præscribat fidem.

Juxta quosdam, insuper requiruntur aliæ conditiones, scilicet : ut Pontifex rei decernendæ maturum præmittat examen; præhabeat Cleri Romani, nunc Cardinalium, consultationem; publicas ante definitionem præcipiat preces. Pontifex enim, aiunt hujus sententiæ sectatores, in rebus tàm gravis momenti maximam afferre debet prudentiam. Sed istæ conditiones meritò ab aliis rejiciuntur. Etenim, si absolutè requirerentur, cùm de quarumdam observatione non semper certò constare possit, adhæsio firma decisioni propositæ, seu fides, esset impossibilis. Aliundè S. Pontifices potestatis suæ usum ad maximas prudentiæ regulas semper conformârunt. Quibus positis,

Probationes directæ.

Prob. 1ª. *Arg. theol.* Si S. Pontifex errori obnoxius esset, ejus decisiones reformari possent. Porro reformari nequeunt. Ergo.

Reformari nequeunt decisiones Pontificis: Quia 1° in nullâ societate subditi jus habent reformandi sententias capitis; à fortiori nequeunt reformari sententiæ Pontificis, qui voluntate Christi supremum constitutus est Ecclesiæ caput. Quia 2° ut Pontificis sententiæ reformari possint, necessaria est quædam auctoritas superior Pontifici, et adversam tenens sententiam: si enim prædicta auctoritas sit inferior, nullum jus habet respectu superioris; et, si eamdem teneat sententiam, jàm non locus est reformandi. Porro nulla existit auctoritas competens. Si quædam adesset, vel Ecclesia dispersa, vel Concilium generale. Atqui, nec Ecclesia dispersa: cùm decisio Ecclesiæ dispersæ non sit infallibilis absque propositione aut acceptatione S. Pontificis. Nec Concilium generale: cùm ejus decreta irrefragabilia non sint absente confirmatione Pontificis. Ergo (1).

Aliundè facto constat R. Pontifices ex cathedrâ locutos nunquàm errâsse circa fidem. Porro tàm constans veræ fidei prædicatio, quæ in nullâ aliâ Ecclesiâ

(1) Constans est catholicorum persuasio posse errori succumbere Concilia, quantumvis numerosa, nisi approbatione supremi totius Ecclesiæ capitis ac Petri successoris muniantur, cui Christus ipse promisit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam;* et pro certo asseruit: *Ego rogavi pro te;* nec sufficienter adest totum Ecclesiæ corpus, si reliquis membris caput ipsum non concurrat nec suffragetur. *Cabassut. Notitia... eccles. sec.* 16, *trid.*

visa est, explicari nequit nisi admittatur infallibilitas R. Pontificum.

Prob. 2ª. *Script.* S. Petrus infallibilitate fuit à Christo donatus. Ergo S. Pontifices eodem privilegio gaudent.

Pr. ant. Matth. 16, 18: *Et Ego dico tibi: quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Undè sic: 1. Si Petrus errori fuisset obnoxius, potuisset in fide errare; proindè fundamentum Ecclesiæ concuti; proindè portæ inferi adversus Ecclesiam prævalere potuissent; quod contradicit promissioni Salvatoris. 2. Si Petrus errori fuisset obnoxius, potuisset circa fidem errare, proindè eo ipso ab Ecclesiâ separari, Ecclesia proindè fundamento carere potuisset; quod impossibile est.

Luc. 22, 31 et 32: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquandò conversus confirma fratres tuos.* Undè sic: 1. Christus rogavit ut fides Petri non deficeret. Ergo fides Petri unquàm deficere nequit; aliis verbis, Petrus est infallibilis: alioquin dicendum foret orationem Christi vacuam et inutilem fuisse, quod repugnat. 2. Petro commissum est munus fratres suos in fide confirmandi. Ipsi proindè data est infallibilitas; sola enim auctoritas infallibilis subditos in fide confirmare potest.

Joan. 21, 16 et 17: *Pasce agnos meos... pasce oves meas.* Petrus à Christo constitutus est Pastor universi gregis; gregem proindè per doctrinam sanam pascere debet: ad quod infallibilitas in fide necessariò requiritur. Ergo.

Pr. conseq. Ergo S. Pontifices eodem privilegio gaudent. Nam 1. infallibilitate donatus est Petrus, quia fundamentum Ecclesiæ fuerat constitutus. Ergo eàdem infallibilitate gaudet R. Pontifex, successor Petri, cùm Pontifici, quasi fundamento, perpetuò nitatur Ecclesia perpetua Christi. 2. Infallibilitate donatus est Petrus, ut fratres suos in fide confirmaret. Ejus proindè successori competit idem privilegium, si finis à Christo intentus in hujus privilegii concessione permanenter existat. Porro res ità est: nunc enim, magis quàm tempore Apostolorum, necessarium est Christianos in fide confirmare. 3. Infallibilitate donatus est Petrus, quatenùs erat Pastor supremus Ecclesiæ. Eadem proindè prærogativa competit R. Pontifici, qui, ut suprà vidimus, successit Petro in munere pascendi oves et agnos.

Prob. 3ª. *Traditione.* Traditio constat testimoniis 1. SS. Pontificum, 2. Conciliorum, 3. Patrum et Doctorum, qui sive extra, sive intra Galliam floruerunt.

1° Testim. SS. Pontificum. Agatho in ep. ad Constantinum Imp., quæ lecta est in VI Concilio: *Petrus spirituales oves Ecclesiæ ab ipso Redemptore omnium ternâ commendatione pascendas suscepit. Cujus adnitente præsidio, hæc Apostolica ejus Ecclesia nunquàm à viâ veritatis in quâlibet erroris parte deflexa est.* Et posteà, act. 8 ab omnibus probatâ: *Hæc est*, inquit, *veræ fidei regula, quam in prosperis et in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei gratiam à tramite Apostolicâ traditionis nunquàm errâsse probatur, nec hæreticis novitatibus unquàm depravata succubuit, quia dictum est Petro:* Simon,

Simon, ecce Satanas, etc. Ego autem rogavi pro te, etc. *Hic Dominus fidem Petri non defecturam promisit, et confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores confidenter fecisse semper cunctis est agnitum.* Nicolaus I, in ep. ad Michael. Imp.: *Quoniam, cùm, secundùm canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deserendum, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum, patet profecto Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio; siquidem ad illam de quâlibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab eâ autem nemo sit appellare permissus.* S. Leo, scribens ad Patres Conc. Chalcedonensis, illis ipsemet legem constituit, et quæque sint agenda præscribit: *Nunc in vicariis meis adsum, qui jamdudùm in fidei prædicatione non desum... Non liceat defendi quod non licet credi, cùm, secundùm evangelicas auctoritates, secundùm propheticas voces, Apostolicam doctrinam plenissimè et lucidissimè per litteras quas ad beatæ memoriæ Flavianum episcopum misimus, fuerit declaratum quæ sit de Sacramento Incarnationis D. N. Jesu Christi pia et sincera confessio.* Simplicius, ep. ad Zenon. Imp.: *Perstat in successoribus suis hæc et eadem Apostolicæ norma doctrinæ, cui Dominus totius curam ovilis injunxit, cui se usque ad finem sæculi minimè defuturum, ac portas inferi nunquàm prævalituras esse promisit.* Similia referunt Innocentius I. in ep. ad Milevitanos, Zosimus in ep. ad Carthagin., Joannes VIII in ep. ad Petrum Comitem, et alii, quorum testimonia tradunt Bellar-

min., *de R. Pont.*, l. 4; Wirceburg., *de Princip. direct.*; Petitdidier, *Traité hist. sur l'aut. et l'inf. des Papes*; etc.

2° Testim. Conciliorum. Conc. Ephesinum, act. 1: *Apostolica et Sancta Sedes Cœlestini sanctissimi Episcopi... de præsenti negotio sententiam dixit, regulamque præscripsit, quam nos quoque secuti... formam illam executioni mandavimus, canonicum apostolicumque judicium in illum* (Nestorium) *proferentes.* Conc. Chalcedon., perlectâ epistolâ S. Leonis Papæ, Patres statim eam susceperunt acclamantes: *Anathema ei qui non ità credit. Petrus per Leonem ità locutus est.* Conc. Cptani III Patres, in ep. ad Agathonem: *Itaque tibi, ut primæ Sedis Antistiti, universalis Ecclesiæ capiti, quid agendum relinquimus, stanti supra firmam petram, acquiescentes veræ confessionis litteris, per quas ut à summo Apostolorum vertice divinitùs præscriptas, exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus.* Undè Concilia prædicta agnoverunt decisionem R. Pontificis esse obligatoriè tenendam, utpotè à successore Petri præscriptam; proindè Patres prædictorum Conciliorum admittebant infallibilitatem S. Petri ejusque successorum in causis fidei.

Conc. Lugdun. II: *Ipsa quoque Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in B. Petro, Apostolorum principe, sive vertice, cujus R. Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit.* Conc. Florent., sess. 25, consentientibus Græcis decrevit: *Definimus sanctam apostolicam Sedem, et R. Pontificem in universum orbem tenere primatum;*

et ipsum R. Pontificem successorem esse B. Petri, principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universam Ecclesiam à D. N. J. C. plenam potestatem traditam esse. Undè juxta doctrinam Conc. Lugd. et Florent., S. Pontifex primatum tenet R. Pontifex cum plenâ et supremâ potestate. Ergo R. Pontifex est infallibilis; alioquin non gauderet potestate plenâ, cùm Ecclesia sive dispersa, sive congregata posset docere infallibiliter, quod ipse non posset; non gauderet potestate supremâ, cùm ab ejus sententiis utpotè errori obnoxiis appellatio fieri posset.

3° Testim. PP. et DD. qui extra et intra Gallias floruerunt.

Quoàd priores, S. Hyppolitus mart., in orat. de consummat. mundi: *Princeps Petrus, fidei petra, quem beatum judicavit Christus Deus noster; ille Doctor Ecclesiæ, illè primus discipulorum, ille qui regni claves habet.* S. Cyril. Alex., dial. de Trin. disserens de interrogatione Salvatoris ad Petrum, et de mercede propter responsum à Petro receptâ, dicit: *Jàm verò dè illâ sententiâ remunerationem non multò pòst reportavit, Christo dicente:* Beatus es, etc. *Per annuntiationem nihil aliud quàm inconcussam et firmissimam discipuli fidem vocavit, in quâ Ecclesia Christi ità fundata et firmata esset, ut non laberetur, et esset inexpugnabilis inferorum portis, in perpetuum manens.* S. Cyprian., l. de unit. Eccles.: *Exordium ab unitate proficiscitur ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur... Qui Cathedram Petri, super quam fundata*

est Ecclesia, deserit, in Ecclesiâ esse confidit? S. Hieron., in exposit. Symb. 24, 9, 1, c. 15, hæc habet ad Damasum Papam: *Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesiâ Catholicâ didicimus, quamque semper tenuimus; in quâ, si minus peritè aut minus cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri et fidem et sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatûs tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.* S. August., ep. 157: *In verbis Apostolicæ Sedis tàm antiqua atque fundata, certa et clara est catholica fides, ut nefas sit dubitare Catholicis Christianis.*

Quoàd posteriores, S. Iren., l. 3 adv. hæres., c. 3: *Ad hanc enim Ecclesiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undiquè fideles, in quâ semper ab his qui sunt undiquè fideles conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio.* S. Thom., Sum. theol., 2-2, q. 1, art. 10: *Dicendum quod nova editio Symboli necessaria est ad vitandum insurgentes errores. Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussâ fide teneantur. Hoc autem pertinet ad auctoritatem S. Pontificis, ad quem majores et difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur... Undè et Dominus Petro dixit, quem S. Pontificem constituit:* Ego rogavi pro te, etc. *Et hujus ratio est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ... quod servari non posset, nisi quæstio fidei exorta de-*

terminetur per eum qui toti Ecclesiæ præest; ut sic ejus sententia à totâ Ecclesiâ firmiter teneatur.

Testim. *Universitatis Parisiensis.* Stephanus episcopus Parisiensis, an. 1324, assentientibus Decano et Capitulo suæ cathedralis, Guillelmo archiepiscopo Viennensi theologiæ professore, et pluribus membris Facultatis Parisiensis, sic de Ecclesiâ Romanâ disserit: *Nos igitur attendentes cum eis* (id est, Decano, Capitulo et cæteris) *quòd sacrosancta Romana Ecclesia, fidelium omnium mater et magistra in firmissimâ Petri Christi vicarii confessione fundata, ad quam, velut ad universalem regulam catholicæ veritatis pertinet approbatio doctrinarum et reprobatio, declaratio dubiorum, determinatio tenendorum, et confutatio errorum ...:* In tractatu theologico ab eâdem Facultate oblato Clementi V, an. 1340, sequentia leguntur: *Prima conclusio est, quòd ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali supremâ, circa ea quæ sunt fidei, judicialiter definire. Et hoc probatur, quia ad illius tanquam supremi judicis auctoritatem pertinet in fide judicialiter definire, cujus fides nunquàm deficit. Sed Sanctæ Sedis Apostolica fides nunquàm deficit; quia de hâc sede dictum est: Petre, rogavi pro te ut non deficiat fides tua.*

Testim. *Cleri Gallicani.* In comitiis generalibus an. 1579 Meloduni habitis, ità præcepit: *Cleri et laici apertâ professione eam fidem pronuntient, quam Sanctâ Romana Ecclesiâ, magistra, columna et firmamentum veritatis, profitetur et colit: ad hanc enim propter suam principalitatem necessum est omnem convenire Ecclesiam.* Et in fine: *Omnia hæc Sanctæ Romanæ*

Ecclesiæ, cujus ex præceptis populum fidelem institui, et certam fidei ac morum correctionis regulam constitui oportet, judicio et auctoritati subjicimus. Idem Clerus Gallicanus, an. 1626, in monitis ad Archiepp. et Epp., hæc habet : *Hortamur igitur Episcopos omnes, ut Sacram Apostolicam Sedem, Romanamque Ecclesiam utpotè in Dei sponsione infallibili Apostolorum ac martyrum sanguine fundatam... omni honore cultuque prosequantur... sanctissimumque Patrem et Pontificem nostrum, quippè Ecclesiæ universalis caput visibile, Deique in terris vicarium, Episcopum Episcoporum, et Patriarcham Patriarcharum venerabuntur. Is enim successor est Petri, à quo apostolatus episcopatusque initium originemque sumpserunt, et super quem Christus Jesus Ecclesiam suam fundavit, quandò illi claves regni cœlorum atque infallibilitatis donum in causis fidei reliquit, quam non sine ingenti miraculo immobilem illibatamque in ejus successoribus durare etiamnùm videmus.* An. 1653, subscribentibus 85 Episcopis, in ep. ad Innocent. X, Clerus Gallicanus ità loquitur : *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, in quâ fides Petri nunquàm deficiens perpetuò conservatur.*

Probatio indirecta.

Possidet sententia affirmans infallibilitatem R. Pontificis. Nunc ergo retinenda est, nisi validis rationibus impugnetur. Atqui rationes à Gallicanis allatæ non valent. Ergo.

Dicunt I. Thesis Ultramontanorum malè probatur. Quia 1. ex argumentis ab ipsis allatis rectè quidem

deducitur indefectibilitas Sedis Apostolicæ, minimè verò infallibilitas R. Pontificis. Quia 2. Scripturæ textus spectant Ministerium collectivè sumptum, non verò Petrum; proindè ex his textibus concludi non potest infallibilitas Petri, nec ejus successorum.

R. ad 1um: Equidem rationes allatæ probant indefectibilitatem Sedis Apostolicæ. Falsum est autem illas probare tantùm indefectibilitatem hujus Sedis. Siquidem 1. interpretatio textuum allatorum, qualis à Gallicanis restringitur, est arbitraria, et contradicit genuino sensui prædictorum textuum qui naturaliter intelligendi sunt de infallibilitate Petro concessâ. 2. Infallibilitate donatus est Petrus, quatenùs erat fundamentum Ecclesiæ; porro cuilibet Pontifici competit ista ratio fundamenti respectu Ecclesiæ. 3. Indefectibilitas Sedis Apostolicæ concipi non potest, quin Pontificum series, et proindè quilibet Pontifex sit infallibilis. Etenim, si quilibet Pontifex, etiam Pontificum series errare potest, proindè Sedes jàm non est indefectibilis.

Ad 2um: Falsò asseritur Scripturæ textus spectare tantùm Ministerium collectivè sumptum. In aliis quidem Christus loquitur de Collegio apostolico; alii verò directè et specialiter respiciunt Petrum, quales isti: *Tu es Petrus... Ego rogavi pro te... Pasce oves...*

Dicunt II. Sententia Ultramontanorum falsa est. Ad quod probandum,

Objiciunt 1° Si R. Pontifex esset infallibilis, inutilia et otiosa dici deberent Concilia generalia.

Resp. 1. Eodem argumentandi modo concludi posset fallibilitas Ecclesiæ dispersæ. Sic enim ratiocinari liceret: si Ecclesia dispersa esset infallibilis, inutilia

dici deberent Concilia generalia, cum multò facilius sit obtinere definitionem ab Ecclesiâ dispersâ, quàm à Concilio generali. Porro tamen hæretica esset talis conclusio, ergo falsum est principium ex quo deducitur. 2. Objectio supponit Concilia esse necessaria. Porro necessitas Conciliorum non clarè constat. Adversarii necessitatem Conciliorum concludunt ex eorum frequentiâ in primævis Ecclesiæ sæculis. Sed ista ratio non valet. Facto enim constat nulla habita fuisse Concilia generalia à tempore Concilii Hierosolymitani usque ad Concilium Nicænum, id est usque ad annum 325. Aliundè ex frequentiâ Conciliorum temporibus subsequentibus non rectè concluditur horum necessitatem agnitam fuisse à S. Pontificibus qui ea convocârunt. Historiâ enim teste, S. Pontifices quamplurimum Concilia indixerunt ad obtemperandum sollicitationibus Imperatorum. 3. Admitti potest, cum Bellarmino, *de Concil.*, l. 1, et aliis, moralis necessitas Conciliorum, quin eo ipso neganda sit Pontificis infallibilitas. Concilium enim, etiam admisso infallibilitate Pontificis, pertile est et aptissimum præbet medium, sive ad cognoscendas Ecclesiarum traditiones quas Pontifex antequàm definiat consulere debet, sive ut decisiones cum majori solemnitate ferantur, ut leges disciplinares magis accommodentur circumstantiis personarum et locorum; ut decreta fidei et leges disciplinares sic appropriata moribus et indoli populorum facilius acceptentur et reducantur in praxim.

Objic. 2° Si Pontifex esset infallibilis, solus esset judex controversiarum in materiâ fidei.

Resp. 1. Hæc objectio eamdem difficultatem patitur

circa Episcopos suscipientes definitionem Concilii generalis. 2. Falsò asseritur Episcopos jàm non esse controversiarum judices, si admittatur infallibilitas S. Pontificis. Antequàm enim data fuerit R. Pontificis definitio, Episcopi possunt rem examinare, causam discutere, et quamdam ferre sententiam, salvâ tamen auctoritate Pontificis. Post definitionem autem Pontificis, etiam ipsis superest quædam facultas examinandi, sed solummodò ut rationem dogmatis reddere, adversarios refellere, suosque erudire queant. Etiam ipsis superest quædam facultas judicii, sed tantùm simplicis adhæsionis et conformationis, quâ cum capite consentientes judicium universalis Ecclesiæ efformient. Atque in hoc ultimo judicandi modo adhuc servatur Episcoporum doctrinalis auctoritas : eorum enim assensus definitioni Pontificis non est actus meræ obedientiæ, ut in cæteris fidelibus, sed auctoritatis et judicii, cùm per suam adhæsionem sententiam ferant quâ se decisioni Pontificis jungunt.

Inst. Saltem, si agatur de universis Episcopis dispersis, aut de Concilio generali, eorum decisiones non sunt infallibiles absque assensu Pontificis. Porro hoc falsum est, cùm Christus infallibilitatis privilegio dehaverit universum Ministerium collectivè sumptum.

Resp. ad ant. Adversarii supponunt Ministerium verum et infallibile existere posse separatum à Pontifice. Porro suppositum negamus. Equidem verum est, et factis constat, quamdam Episcoporum partem posse judicio Pontificis non adhærere. Nunquàm verò omnes Episcopi visi sunt Pontificis judicio reluctantes. Imò hoc impossibile est, cùm Ecclesia Christi sit una et in diversas partes scindi nequeat. Quo posito,

R. ad conseq. Credimus Ministerium collectivè sumptum infallibilitate gaudere, quandò conjungitur Pontifici. Hoc autem negamus, si Ministerium à Pontifice separetur. Siquidem in ultimo casu, Ministerium est acephalum, et eo ipso non est Ministerium verum cui Christus infallibilitatem promisit; Christus enim hoc privilegium promiserat Collegio Apostolico cui præerat S. Petrus. Undè, in casu scissionis inter Episcopos, infallibilitas residet tantùm penes Episcoporum partem quæ adhæret S. Pontifici.

Objic. 3° Petrus nihil agebat inconsultis Apostolis. Ergo non credebat se esse infallibilem independenter ab assensu cæterorum Apostolorum.

Resp. Ex eo quòd Petrus nihil egerit inconsultis Apostolis, minimè concludendum est assensum Apostolorum fuisse necessarium ad firmandas ejus decisiones. Ad summum liceret concludere Petrum non usum fuisse privilegio sibi concesso. Petrus autem ità potuit agere ob rationes speciales, v. g. ad cognoscendas traditiones, vel ad relinquendum exemplum successoribus suis.

Objic. 4° In Concilio Chalcedon. (an. 451) act. 2, examini subjecta est epistola S. Leonis Papæ. Ergo Concilium non agnoscebat inerrantiam S. Pontificis.

Resp. Factum allatum solummodò valeret contra infallibilitatem R. Pontificis, si clarè constaret PP. Conc. Chalcedon. examinâsse S. Leonis epistolam ad eam reformandam. Porro 1. hoc non probatur, 2. contrarium constat.

1° Non probatur PP. Conc. Chalcedon. examinâsse S. Leonis epistolam ad eam reformandam: Siquidem

quædam decisio examini submitti potest ob diversos fines ; scilicet, sive ad ejus sensum intelligendum, sive ad perpendendas rationes quibus nititur, sive ad illam expendendam juxta regulam Scripturæ et Traditionis, sive ad illam reformandam. Porro non constat ultimum hunc finem fuisse intentum à PP. Conc. Chalcedon.— Imò decisionem examini submitti posse, quin eo ipso liceat concludere hanc esse reformabilem, probatur pluribus factis. Sic Gallicani Episcopi sibi vindicant jus quoddam examinis et judicii respectu decisionum Pontificis, quin eo ipso sibi vindicent jus illas reformandi. Sic Bossuet in suis colloquiis cum Leibnitz consentiebat ad examinandas de novo decisiones Concilii Tridentini, quin eo ipso senserit has decisiones reformari posse. Sic in Concil. Florentino, ut obtemperaretur Græcorum cavillationibus, ad novum examen submissæ sunt decisiones dogmaticæ Concilii Lugdunensis.

2° Certum est PP. Conc. Chalcedon. examini non submisisse S. Leonis epistolam ad eam reformandam. Perlectâ enim in act. 28 epistolâ hujus Pontificis Patres acclamârunt : *Hæc Patrum fides.... Petrus per Leonem ità locutus est.* Quibusdam autem Episcopis post hæc dubitantibus de vero sensu aliquarum hujus epistolæ partium, à Patribus concessi fuerunt quinque dies, ut qui dubitaverant docerentur. Sed nihil indè contra thesim concludi potest.

Objic. 5° Cùm Pontifex Victor tulisset decretum de celebrando Paschate die dominicâ proximè sequente lunam decimam quartam mensis Martii, inter Orientales, qui hunc festum celebrabant ipsâ die hujus lunæ decimâ quartâ, plures contra Pontificis decretum

reluctarunt Episcopi. Ergo illâ ætate non agitoscebatur Infallibilitas R. Pontificis.

Resp. 1° Ex facto allato unum tantùm sequitur, scilicet hos Episcopos errâsse.

2° Conclusio ab adversariis deducta contra infallibilitatem R. Pontificis non valet: Decretum enim S. Victoris non erat dogmaticum, sed decisio merè disciplinaris, cui, nisi absque peccato, saltem salvâ fide contradici poterat. Hanc autem decisionem fuisse merè disciplinarem constat 1. ipsâ quæstionis naturâ. 2. Regnante S. Anicetio; R. P. S. Polycarpus, Smyrnensis Episcopus, Romam devenerat ad conferendum cum Pontifice circa eamdem Paschatis celebrationem. Porro assentiente R. Pontifice; utraque Ecclesia morem suum retinuit; quod fieri non potuisset; si dissensio Orientales inter et Occidentales ecclesias circa dogma versata fuisset.

Item *objic*: Cum S. Stephanus R. P. sub excommunicationis pœnâ declarasset abrogandam esse praxim de iterando baptismo ab hæreticis collato; nihilominus S. Cyprianus, Firmilianus; aliique multi tùm Africæ tùm Orientis Episcopi, decreto Pontificis non adhæserunt. Ergo.

Resp. Equidem quæstio de iterando hæreticorum baptismo duplicem includebat: dogmaticam, scilicet: *utrùm baptismus ab hæreticis collatus sit validus;* et practicam; *utrùm* nempè *baptizati ab hæreticis sint rebaptizandi?* Omissâ tamen priori, quæ erat fidei, controversia maximè versabatur circa posteriorem, quæ tractabatur tanquam res meræ disciplinæ. Hoc autem constat tùm facto S. Stephani; qui solummodò

præscripsit nihil innovandum in praxi, *nihil innovetur, nisi quod traditum est;* tum facto Cypriani et Africanorum, qui suis in Conciliis ac litteris protestabantur cuilibet Ecclesiæ liberum in hâc quæstione relinqui usum ac judicium. Cyprianus autem et Africani non potuissent hâc de re liberum cuilibet relinquere judicium, si de quodam fidei articulo tunc agi credidissent.

Objic. 6° Plures SS. Pontifices errârunt circa fidem. Ergo.

Resp. Ut ex quodam facto concludi possit fallibilitas R. Pontificum, requiritur ut error versatus fuerit circa decisionem dogmaticam, et ex cathedrâ datam, id est datam cum plenâ libertate, propositam universæ Ecclesiæ, et præcipientem fidem. Porro in omnibus factis allatis desunt istæ conditiones, ut constabit examine præcipuorum.

Obj. 1ª. Petrus ter Christum negavit. Joan. 18, 25. Cephas, sive Petrus, à Paulo reprehensus est quòd gentes cogeret judaïzare. Galat. 2. Ergo.

R. ad 1ᵘᵐ. Equidem Petrus peccavit, sed Christo adhuc vivente, ideòque nondùm erat Christi Vicarius et S. Pontifex. Aliundè prædicta negatio non erat decisio vestita omnibus conditionibus requisitis.

Ad 2ᵘᵐ: Equidem Petrus exemplo suo coegit quodam modo etiam Barnabam judaïzare; et fortè in hoc erravit. Nunquam verò decreto dogmatico sancivit esse judaïzandum.

Obj. 2ª. Liberius cum Arianis communicavit, damnationi S. Athanasii et formulæ Sirmiensi subscripsit.

R. 1° Veritas factorum allatorum inter criticos maxi-

mè controvertitur, et à pluribus non minimi ponderis, quorum hodiè sententia prævalet, omninò rejicitur. Etiam admissâ veritate factorum,

2° Quoàd communicationem cum Arianis et damnationem S. Athanasii : fortè adfuit culpa, seu, ut dicunt Patres, *crimen conversationis*, in hoc verò non erat decisio dogmatica. Aliundè Liberius in errorem inductus fuerat circa crimina quæ S. Athanasio ab Arianis imputabantur.

3° Quoàd subscriptionem formulæ Sirmiensi : 1. minimè notum est utrùm Liberius subscripserit secundæ formulæ Sirmiensi ; an priori, quæ grammaticè catholica erat, et quam S. Hilarius in libro *de Synodis* excusat. 2. Aliundè, etiamsi concedatur hanc formulam fuisse hæreticam, subscriptio Liberii dici non potest definitio fidei ex cathedrâ. Hæc enim subscriptio non erat libera, sed per vim manifestam metu extorta. Pontifex non proponebat Ecclesiæ universæ hanc formulam de fide tenendam. Præclarum in hâc re afferri potest ipsius S. Athanasii testimonium hist. Arian. ad Monach., num. 41 : *Porro Liberius extorris factus, post biennium denique fractus est, minisque mortis perterritus subscripsit. Verùm eâ ipsâ re comprobatur cum violentia eorum, tum Liberii in hæresim illam odium, ejusque pro Athanasio suffragium quamdiù scilicet liberè arbitrioque suo agere licuit. Nam quæ tormentorum vi præter priorem sententiam eliciuntur, ea non reformidantium, sed vexantium sunt placita* (1).

(1) De facto Liberii, præter Bellarmin., *de R. Pont.*, l. 4, ch. 9; vid. Ballerini, *de Primat. R. P.*, c. 15, § 8; Muzarelli, append. ad tract. *de Auctorit. R. P. in Conc. gen.*, ad caleem t. 1 ; Corgne,

Obj. 3ª. Honorius I consultus à Sergio patriarchâ Constantinopolitano de duplici in Christo voluntate et operatione apertè propugnavit suis epistolis hæresim Monothelitarum, et eâ causâ nominatim excommunicatus est à VI, VII, VIII Concilio generali. Ergo.

R. 1. Honorius non intendit definire quæstionem à Sergio propositam. 2. Etiamsi concedatur Honorium tulisse decisionem, hæc decisio non fuit hæretica. 3. Dato etiam hanc decisionem erroneam fuisse, non erat decisio ex cathedrâ.

1° Honorius non intendit quæstionem definire. Ipse testatur in epistolâ ad Sergium : *Utrùm autem propter opera divinitatis et humanitatis, una, an geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent.* Et in 2ª ep. ad Sergium, protestatur : *Non debemus definire, non oportet definire.*

2° Etiamsi concedatur Honorium tulisse decisionem, hæc decisio non fuit erronea.

1. Hoc fatentur ipsi Gallicani, inter quos auctor *Defens. declarat. Cleri Gallic.*, l. 7, c. 22, asserens : *Honorii verba orthodoxa maximè videri.*

2. In ipso Concilio generali VI, sess. 4, à quo Honorius dicitur fuisse condemnatus, lectæ sunt epistolæ Agathonis, Honorii successoris. In istis epistolis, omnium Patrum suffragio comprobatis, Agatho asserit Apostolicam Christi Ecclesiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errâsse, nec hæreticis novitatibus succubuisse ; et post relata Christi verba : *Et tu aliquandò conversus confirma fratres tuos*, ait omnes

Dissert. crit. et histor. sur le Pape Libère ; De Maistre, *du Pape*, c. 13 ; Tournelay, de Ecclesiâ, t. 2, p. 186, etc.

Petri successores Apostolicos Pontifices fratres suos semper in fide confirmàsse. Porro S. Pontifex Agatho ista certò non asseruisset, aut Concilium certò restitisset, si Honorii epistolæ hæreticæ habitæ fuissent.

3. Si probari posset Honorium fuisse hæreticum, vel per ipsius epistolarum examen, vel per sententiam contra Honorium latam in Conciliis VI, VII et VIII. Porro nullo modo probari potest Honorium errâsse in fide.

Non per hujus Pontificis epistolas: Quòd si, in 1ª epistolâ ad Sergium, Honorius unam tantùm voluntatem in Christo memorat, non unam divinitatis et humanitatis voluntatem intelligebat, sed unam tantùm humanitatis, ut duas humanas voluntates sibi invicem repugnantes excluderet, quas nonnullos admittere Sergius in suis epistolis significaverat. Honorium autem ità sentiisse constat, tùm ipso epistolæ contextu, in quo Pontifex probat voluntatem carnis, spiritui repugnantem in Christo non fuisse; tùm testimonio Joannis IV in ep. ad Constantin. imperatorem; tùm S. Maximi testimonio in dialog. cum Pyrrho, ubi ipse refert testimonium Pontificis secretarii ad imperatorem scribentis: *Quòd unam Domini nostri voluntatem diximus, non est accipiendum, quasi de duabus divinæ et humanæ naturæ dictum voluntatibus, sed humanæ tantùm. Cùm enim Sergius scripsisset prædicare quosdam duas esse Christi voluntates contrarias, nos rescripsimus Christum duas voluntates contrarias non habere.*

Nec per sententiam contra Honorium latam in Conciliis VI, VII et VIII. Siquidem 1. nonnulli critici, inter quos Baronius, Binius, Bellarminus, putant suppositiia esse omnia quæ habentur de Honorio in Con-

cilio VI ; item rejiciunt eodem titulo epistolam Leonis II ad Epp. Hispaniæ, in quâ etiam anathematizatur cum Sergio et cæteris Pontifex Honorius. Quòd autem eadem sententia lata fuerit contra Honorium in VII et VIII Concilio, iidem critici contendunt ista Concilia in errorem inducta fuisse per fraudem adhibitam circa acta Concilii VI. 2. Etiamsi concedatur Honorium in Concilio VI fuisse damnatum, Pontifex prædictus non fuit damnatus ut hæreticus, sed solummodò quatenùs omissâ definitione ex officio edendâ hæreticis faverat.

3° Tandem etiam dato epistolam Honorii fuisse hæreticam, nihil sequitur contra infallibilitatem S. Pontificis loquentis ex cathedrâ. Siquidem Honorius non locutus fuerat ex cathedrâ. Non præcipiebat enim fidem, et epistolas suas non universæ Ecclesiæ, sed tantùm Sergio proposuerat (1).

Objic. 7° Factis et decisionibus quorumdam Conciliorum probatur fallibilitas R. Pontificum. Sic in Concilio Pisano depositi fuerunt Benedictus XIII et Gregorius XII. Concilium Constantiense in 4ª et 5ª sess. decrevit Concilium superius esse Pontifici, et tres Pontifices deposuit. Concilium Basileense decreta Concil. Constant. renovavit, et deposuit Eugenium IV. Ergo prædicta Concilia facto et decretis profitebantur Concilium superius esse Pontifici, proindè Pontificem non esse infallibilem.

(1) De lapsu Honorii, præter Bellarm., *de Rom. Pont.*; Petean ; Wirceburgenses ; vid. Ballerini, *de vi et ratione primatûs R. Pont.*, c. 15, § 9; De Maistre, *du Pape*, l. 1, c. 15; *Lettres* du card. Litta *sur les quatre art.*, lettre 23 ; S. S. Grégoire XVI, *Triomphe du Saint-Siége*, c. 16; etc.

Ad 1um de Concilio Pisano :

R. 1. Ex sententiâ in isto Concilio latâ contra Benedict. XIII et Gregor. XII, solummodò sequitur Patres Pisanos credidisse Concilium superius esse Pontifici dubio. Porro hæc conclusio, quæ ab omnibus ferè Ultramontanis admittitur, non contradicit doctrinæ asserentium Pontificem certum et loquentem ex cathedrâ esse infallibilem. Aliundè Concilium Pisanum non est œcumenicum.

Ad 2um de Concilio Constantiensi :

R. Quoàd sententiam in isto Concilio latam contra Pontifices dubios, idem respondemus quod de sententiâ Concil. Pisani.

Quoàd decreta in 4^{a} et 5^{a} sess. edita, ista decreta nihil probant. Siquidem 1. intelligenda sunt de Pontificibus dubiis. 2. Dato etiam prædicta decreta sensu latiori intelligenda esse, non gaudent auctoritate irrefragabili.

1. Decreta Concilii Constantiensis intelligenda sunt de Pontificibus dubiis. Hoc deducitur ex ipsâ declaratione Patrum initio sess. 5^{æ} et formâ quâ redacta fuerunt decreta. Hæc enim habentur in sess. 5^{a} : *Hæc Sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, pro exstirpatione ipsius schismatis, et unione et reformatione Ecclesiæ Dei in capite et in membris, in Spiritu Sancto legitimè congregata, ad consequendum faciliùs, securiùs, liberiùs unionem et reformationem Ecclesiæ Dei... declarat, quòd ipsa... potestatem à Christo immediatè habet; cui quilibet cujuscumque statûs vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem et exstirpationem schis-*

matis et reformationem dictæ Ecclesiæ in capite et in membris... Quicumque... præceptis hujus Sanctæ Synodi et cujuscumque alterius Concilii generalis legitimè congregati super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit... Undè videre est sensum hujus decreti naturaliter restringi debere quæstionibus quæ tunc agitabantur, scilicet *exstirpationi schismatis* et *reformationi* Ecclesiæ; proindè Patres declarantes Concilium superius Pontifici, minimè intendisse Pontifices certos, sed unicè dubios, præsentes aut futuros.

2° Dato etiam prædicta decreta sensu latiori intelligenda esse, ista decreta non gaudent valore irrefragabili.

Nam 1° tempore sess. 4ª et 5ª Concilium non erat œcumenicum. Tunc enim Concilium solà Joannis XXIII obedientiâ constabat. Imò prædicta decreta edita fuerunt, eodem Joanne, non solùm, nec per se, nec per legatos præsidente, sed palàm repugnante. Et prætereà in iisdem ferendis exclusum fuerat suffragium collegii Cardinalium; undè ob talem defectum ista decreta *conciliariter* facta non credebantur à multis, ut testatur Card. Petrus Dailly in tract. de Potest. eccles.: *Deliberatio, exclusâ deliberatione dicti Collegii, et non facta in communi sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda conciliariter facta.*

2° Prædicta decreta non fuerunt approbata à Martino V, qui, ab eodem Concilio electus, legitimus Pontifex creatus est. Hoc autem concluditur ex sequentibus:

1. Oratoribus Polonis postulantibus damnationem cujusdam libelli, et minitantibus se ad Concilium gene-

rale appellaturos, si Pontifex istum libellum non condemnaret, Martinus in ipso Concilio sub pœnâ excommunicationis oratoribus prohibuit, ne à Pontifice ad Concilium generale provocarent, et speciali bullâ (an. 1418) declaravit nullo unquam casu licere per hujusmodi appellationes se ab Apostolicis judiciis subducere. Quam bullam decretorum Constantiensium fundamentale penitùs robur destruxisse Joan. Gerson ipsorum præcipuus promotor conquerebatur. (*Gers. op.*, t. 2, p. 303.) Undè clarè apparet Martinum non agnovisse Concilium superius Pontifici, proindè non approbâsse decreta sess. 4ª et 5ª.

2. Martinus V, in resp. ad Polonos, quæ habetur in ultimâ sess., dixit: *se omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materiâ fidei per præsens Concilium conciliariter tenere, et inviolabiliter observare velle, ipsaque sic conciliariter facta approbare, et ratificare, et non aliter, nec alio modo.* Undè 1. Martino declarante se approbare velle decreta *in materiâ fidei*, naturaliter indicatur quædam distinctio facienda inter decreta Concilii; decreta scilicet *in materiâ fidei*, quæ Pontifex approbat; et alia non in materiâ fidei, quæ Pontifex non ratificat. Porro ad duplicem finem congregata fuerat Synodus Constantiensis: primò ad exstirpationem errorum Wicleff, Huss, Hieron. Praguensis; secundò ad exstirpationem schismatis. Proindè, ipsâ rerum naturâ dici debent *in materiâ fidei* decreta spectantia prædictos errores; et ad posteriorem classem reducenda sunt decreta spectantia exstirpationem schismatis. Decreta proindè 4ª et 5ª sess., quæ sub posteriori classe comprehenduntur, dici nequeunt à Martino

V approbata. Aliundè ipsius Concilii actis, sess. 5, constat decreta prædicto modo esse distinguenda. Decreta enim pro exstirpando schismate dicuntur lata *per modum constitutionum synodalium*. De cæteris autem, in fine hujus 5ae sess. narratur unum è Patribus, perlectis constitutionibus, legisse *avisamenta in materiâ fidei*, seu relativa ad errores Joan. Huss et Wicleff. 2. Martino declarante se approbare velle decreta *conciliariter facta, non alio modo*, approbata censeri nequeunt decreta 4ae et 5ae sess. quæ conciliariter edita non fuerunt, ut superiùs vidimus.

3o In bullâ contra errores Wicleff et Joan. Huss, Martinus præscribit ut de prædictis erroribus suspectus, seu in eorum assertione deprehensus, interrogetur : *utrùm credat quòd Papa canonicè electus... sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesiâ Dei*. Ergo Martinus non potuit approbare decretum apertè contradicens huic declarationi.

Ad 3am de Concilio Basileensi :

R. Quoàd factum Concilii deponentis Eugenium IV : Pontifex quem deponere attentârunt Patres Basileenses erat legitimus. Certum est autem factum Concilii fuisse illegitimum, cùm Ecclesia universa hanc depositionem reputaverit invalidam. Ergo, quin factum allatum probet Concilium superius esse Pontifici, econtrà ex illo sequitur Pontificem superiorem esse Concilio non concordanti cum Papâ.

Quoàd renovationem decretorum Constantiensium in Conc. Basileensi, nihil etiam indè sequitur. Decreta enim de quibus agitur non fuerunt ab Eugenio IV comprobata. Equidem Eugenius, revocans bullas quibus

dissolutionem Concilii Basileensis decreverat, adhæsit huic Synodo; sed, ut ipse declarat, *absque præjudicio juris et præeminentiæ Sedis Apostolicæ*. Undè evidenter constat Eugenium non approbâsse decreta prædicta, quæ apertè edita fuerant *præjudicio Sedis Apostolicæ*. Aliundè Eugenium nunquàm approbâsse ista decreta probatur responso hujus Pontificis in congressu Florentino Cardin. Juliano objicienti litteras memoratas pro continuatione Concilii Basileensis (ut testatur Cardin. Turrecremata qui Synodo Florent. interfuit): *Nos quidem benè progressum Concilii approbavimus, volentes ut procederet ut inceperat; non tamen approbavimus ejus decreta.*

Corollarium. Ex conclusione nostrâ circa infallibilitatem R. Pontificis, sequitur falsitas 2i articuli declarationis Cleri Gallicani an. 1682, asserentis Concilium superius esse Pontifici. Admissâ enim prædictâ infallibilitate, judicium dogmaticum Pontificis non potest à Concilio reformari, proindè Pontifex non est inferior Concilio.

II.

De Objecto Infallibilitatis.

Quær. *Quibusnam de causis auctoritate doctrinali gaudentes possint* 1. *statuere*, 2. *infallibile judicium ferre?*

Prædictæ quæstiones examinandæ sunt circa auctoritatem 1. Concilii generalis et Ecclesiæ dispersæ, 2. S. Pontificis, 3. Conciliorum particularium et Episcoporum seorsim sumptorum.

Præmittenda: In genere duplicis ordinis quæstiones

ad tribunal auctoritatis ecclesiasticæ, quatenùs ista est doctrinalis, deferri possunt, videlicet: quæstiones spectantes aut non spectantes veritates revelatas.

Sub priori classe comprehenduntur: quæstiones relativæ ad canonicitatem et inspirationem librorum in quibus continetur revelatio; quæstiones relativæ ad veritates sive dogmaticas sive morales, ad facta quæ in revelatione continentur.

Ad posteriorem classem reduci possunt: 1. quæstiones quæ, licèt non versentur circa veritates revelatas, specialem nihilominùs relationem habent cum divinâ missione Ministerii à Christo instituti; quales sunt quæstiones relativæ ad disciplinam, ad facta dogmatica, ad Sanctorum canonizationem, ad facta particularia; 2. quæstiones quæ nullam omninò relationem habent cum prædictâ Ministerii missione; quales sunt quæstiones *merè* scientificæ. Quibus positis,

QUÆST. 1a. Quibusnam de causis Concilium generale et Ecclesia dispersa possint statuere et infallibile judicium ferre?

Resp. 1° Concilio generali et Ecclesiæ dispersæ nulla specialis competit auctoritas ad judicandum de causis quæ nullam relationem habent cum missione ipsi divinitùs inditâ, seu ad judicandum de quæstionibus merè scientificis.

2° Concilio generali et Ecclesiæ dispersæ competit jus ferendi judicium circa facta particularia: ista judicia non sunt equidem infallibilia, maximâ nihilominùs cum veneratione amplecti debent et de iis appellare non licet.

3° Concilio generali et Ecclesiæ dispersæ competit

jus ferendi judicium circa omnia quæ ad revelatæ doctrinæ depositum pertinent. Ista judicia sunt infallibilia. Item.

4° Ipsis competit jus statuendi circa disciplinam generalem, circa facta dogmatica, circa Sanctorum canonizationem. Ista decreta sunt infallibilia.

Quæ propositiones sunt seorsim probandæ.

Ia Pro. *Concilio generali et Ecclesiæ dispersæ nulla specialis competit auctoritas ad judicandum de causis merè scientificis.*

Prob. Siquidem 1. non constat specialem hanc potestatem fuisse concessam Concilio generali et Ecclesiæ dispersæ; imò 2. contrarium probatur.

1° Si quodam modo probari posset jus prædictum Concilio et Ecclesiæ dispersæ fuisse concessum, solummodò per Scripturam, Traditionem aut rationem. Atqui 1. non per rationem: auctoritas enim de quâ hic agitur minimè necessaria est ut Concilium et Ecclesia fines sibi assignatos obtinere queant. Divina enim Ecclesiæ missio versatur tantùm circa prædicationem et conservationem Christianæ religionis aut ad eam pertinentia; Ecclesiæ proindè potestas non extenditur ad ea quæ nullam omninò relationem habent cum religione Christi, qualia sunt quæstiones merè scientificæ. 2. Neque per Scripturam et Traditionem: in quibus nulla mentio est de concessione istius auctoritatis Ecclesiæ factâ.

2° Contrarium probatur communi doctrinâ Ecclesiæ, et communi theologorum consensu.

Corol. Undè si Concilium aut Ecclesia dispersa unquàm statueret de quæstionibus merè scientificis, ejus decisiones non gauderent majori valore quo decisiones cujusdam cœtûs Doctorum de iisdem statuentis.

Observ. Dicimus : de quæstionibus *merè* scientificis. Siquidem Ecclesia proprio jure potest damnare omnes opiniones scientificas quæ contradicerent alicui veritati revelatæ. Et facto, opinionem scientificam damnat eo ipso quo judicium profert circa veritatem revelatam cui contradicit opinio scientifica.

IIª Ppo. *Concilio generali et Ecclesiæ dispersæ competit jus ferendi judicium circa* facta particularia. *Ista judicia non sunt equidem infallibilia, de iis nihilominùs appellare non licet.*

Nomine judicii circa *facta particularia* intelligimus judicia circa culpabilitatem aut innocentiam talis personæ, judicia de criminibus, de possessionibus, aut rebus hujusmodi. Quo posito, prob. per part. propositio.

1ª *p.* Concilio... competit jus ferendi judicium circa facta particularia : Siquidem 1. Ecclesiæ competit potestas legislativa, ut videbitur ubi *de Legibus in genere.* Ecclesia proindè jure proprio potest leges ferre, illas sancire per pœnas ; infractores proindè suarum legum judicare ut pœnæ justè imponantur. 2. Propositio nostra constat constanti doctrinâ et praxi Ecclesiæ, communique theologorum consensu.

2ª *p.* Ista judicia non sunt infallibilia : Infallibilitas enim Ecclesiæ in tali materiâ probari non potest, imò contrarium constat.

Infallibilitas Ecclesiæ circa facta particularia probari non potest. Neque per rationem : etenim Ecclesia non indiget infallibilitate prædictâ ut missionem suam adimplere valeat. Ipsi sufficit ut subditis suis imponere possit obligationem obtemperandi suis judiciis. Porro, ex

omnium consensu, infallibilitas ad hoc non requiritur : obligatio enim *faciendi* potest existere, quin auctoritas præcipiens sit ac debeat esse infallibilis ; longè in eo differens ab obligatione *credendi*, quæ necessariò requirit auctoritatem infallibilem, et impossibilis evadit, ubi auctoritas proponens errori obnoxia est. Neque per Scripturam et Traditionem, quæ prorsùs silent de divinâ hujus juris concessione.

Contrarium constat Ecclesiæ doctrinâ et theologorum consensu.

3ª *p.* Nihilominùs de iis appellare non licet: cùm procedant ab auctoritate supremâ, cujus sententiæ à nemine reformari queunt.

Corol. Undè non adest obligatio adhærendi assensu interno fidei judiciis Ecclesiæ circa facta particularia ; sed tantùm adest obligatio ea suscipiendi cum maximâ reverentiâ, quatenùs edita ab auctoritate supremâ supernaturali Spiritûs S. lumine directâ.

IIIª Ppo. *Concilio generali et Ecclesiæ dispersæ competit jus ferendi judicium circa* omnia quæ ad revelatæ doctrinæ depositum pertinent. *Ista judicia sunt infallibilia.*

Prob. 1ª. Superiùs probavimus Ministerium Catholicum à Christo donatum fuisse infallibilitatis privilegio ad transmittendum et explicandum revelatæ doctrinæ depositum. Ergo jus prædictum cum infallibilitate competit Concilio generali, quod repræsentat universum Ministerium ; ergo et Ecclesiæ dispersæ, quæ nihil aliud est quàm Ministerium Catholicum.

Prob. 2ª. Omni tempore decisiones Conciliorum aut Ecclesiæ dispersæ circa quæstiones ad revelationem

pertinentes propositæ fuerunt tanquam de fide tenendæ, et tanquam de fide tenendæ fuerunt receptæ. Ergo.

Corol. I. Ergo Concilium et Ecclesia dispersa infallibili judicio statuere possunt de canonicitate et inspiratione librorum in quibus continetur divina revelatio (1).

Corol. II. Ergo, quandò Ecclesia definit de fide quamdam veritatem, hæc veritas habenda est pro revelatâ, proindè adest obligatio huic veritati de fide divinâ adhærendi.

Nota. Licèt Ecclesia definiens errare nequeat, attamen infallibilis non est quandò, antequàm judicium ferat, disceptat et ratiocinatur. Proindè omnes rationes, explicationes, quæ in Ecclesiæ decretis afferuntur, non pertinent ad fidem.

Corol. III. Ergo Concilium et Ecclesia dispersa possunt infallibili judicio condemnare omnes doctrinas quæ contradicerent veritatibus revelatis. Etenim si auctoritates prædictæ possunt infallibiliter definire talem doctrinam esse revelatam, eo ipso possunt condemnare omnes propositiones quæ contradicerent huic veritati definitæ.

Explic. Decreta Ecclesiæ in condemnatione propositionum infallibilia sunt, sive propositiones damnentur *in specie,* sive damnentur *in globo.*

Condemnatio dicitur *in specie,* quandò specialiter

(1) Hic propriè tractandum fuisset de inspiratione Librorum utriusque Testamenti, quæ maximè probatur auctoritate Ecclesiæ, ut videri potest in priori volumine *de Locis theologicis*, sect. 2, disp. 1, quæst. 1ª, part. 2ª.

afficit unam aut plures propositiones quibus inuritur nota seu censura determinata; v. g. talis propositio est hæretica. Dicitur *in globo*, quandò doctrina quædam in genere damnatur, nullâ speciali notâ propositionibus inflictâ; vel quandò notæ attribuuntur propositionibus respectivè, non definito tamen quænam notarum species singulis propositionibus competat. Hoc ultimo modo Conc. Constantiense, sess. 8, proscripsit 45 articulos Joan. Wicleff, declarans: « aliquos et plures... esse notoriè hæreticos, et à SS. Patribus reprobatos, alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos et blasphemos, quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos temerarios et seditiosos. » (1) Quo posito,

1° Infallibilia sunt Ecclesiæ judicia quibus propositiones in specie damnantur. Hoc ab omnibus admittitur.

2° Item infallibilia sunt quandò condemnatio fit in globo. Quod contra Jansenistas probatur,

1. Ratione. Si condemnatio propositionum in globo non esset infallibilis, maximè, ut volunt adversarii, quia inutilis esset, et nihil distinctè credendum proponeret. Porro hoc falsum est. Licèt enim condemnatio sit simpliciter in globo, eo ipso admonentur fideles cavere ab illâ doctrinâ, utpotè falsâ aut saltem periculosâ. Et, si propositiones quibusdam notis afficiuntur *respectivè*, eo ipso indicatur nullam esse propositionem quæ uni aut pluribus è notis appositis non subjaceat, aut saltem quamlibet propositionem distinctè sumptam

(1) De *notis theologicis* fusiùs tractabitur ubi *de Dogmate in genere*.

subjacere notæ mitissimæ. — Si Ecclesia, quæ, fatentibus adversariis, infallibilis est quandò propositiones condemnat in specie, infallibilitate non gauderet quandò condemnat in globo, tunc dicendum foret ejus decisionum infallibilitatem à circumstantiâ merè accidentali pendere, scilicet ab eo quòd propositiones damnatæ speciali notâ non determinentur: quod admitti nequit.

2. Traditione. Concilium Nicænum, testibus Socrate, l. 1, ch. 9, et Sozomeno, l. 1, ch. 21, proscripsit doctrinam Arii expressam in libro ipsius *Thalia;* PP. Concil. Cptani II, act. 8, can. 2, anathematizârunt Arium, Nestorium, Eutycheten, Origenem, cum impiis eorum scriptis; Concil. Constantiense damnavit in globo errores Joan. Wicleff et Joan. Huss. Imò prædicta Concilia præscripserunt decisiones suas assensu interno fidei tenendas, ut infrà videbimus. Ergo prædictorum Conciliorum Patres id juris sibi competere existimârunt; aliundè nullæ obstiterunt reclamationes. Ergo.

3. De hâc quæstione consentiunt omnes theologi catholici.

Corol. IV. Ergo Concilium et Ecclesia dispersa possunt infallibiliter statuere de iis quæ pertinent ad internam Ecclesiæ constitutionem, id est de extensione et limitibus jurium quæ jure divino competunt cuilibet ecclesiasticæ potestati. Hæc enim pertinent ad revelationem, in quâ continetur constitutio divina Ecclesiæ.

IVa Ppo. *Concilio generali et Ecclesiæ dispersæ competit jus statuendi circa* disciplinam generalem, *circa* facta dogmatica, *circa* Sanctorum canonizationem. *Ista decreta sunt infallibilia.*

I. De disciplinâ generali.

Infallibilitas Ecclesiæ circa præsentem materiam ja-

cet, non quidem in eo quòd leges disciplinares semper præbeant media salubriora et magis apta ad coercenda vitia, nec in eo quòd pro circumstantiis mutari nequeant; sed in eo tantùm quòd istæ leges non possunt contradicere doctrinæ fidei, bonis moribus, aut in detrimentum religionis vergere, saltem tempore quo latæ fuerunt.

Ecclesiam in instituendâ disciplinari lege generali esse infallibilem sequitur ex promissis Christi. Etenim, si Ecclesia sit infallibilis in causis fidei et morum, eo ipso non potest disciplinam generalem instituere, aut ubique vigentem approbare, quæ fidei vel morum principiis adversaretur.

II. De factis dogmaticis.

Observ. Dogmaticum dicitur factum quod intimè cum dogmate connexum est. Hæc est in genere quæstio circa factum dogmaticum: *utrùm talis doctrina in tali libro contineatur, necne?*

Cùm Ecclesia damnâsset quinque propositiones è libro Jansenii, cui titulus *Augustinus*, excerptas, ad eludendum Ecclesiæ decreta, Jansenii sectatores damnârunt quidem quinque propositiones in se, non verò quatenùs erant in libro præfato contentæ, et distinguentes inter quæstionem *juris* et quæstionem *facti*, negârunt infallibilitatem Ecclesiæ circa facta dogmatica. Contra quos hanc Ecclesiæ infallibilitatem probamus,

1° *Ratione.* 1. Concilium generale et Ecclesia dispersa possunt infallibili judicio condemnare quamdam propositionem doctrinæ Christi adversantem: fatentur ipsi Jansenistæ. Ergo Ecclesia potest hujus propositionis verum intelligere sensum; arbitraria enim esset con-

demnatio, si fieret absque prævià cognitione genuini sensûs propositionis. Ergo Ecclesia potest verum cognoscere sensum cujusdam libri, cùm liber nihil aliud sit quàm collectio propositionum. 2. Ecclesia potest definire utrùm talis doctrina sit revelata, seu contineatur necne in Scripturâ aut Traditione; talem Ecclesiæ definitionem pro certâ et infallibili tenent Jansenistæ. Ipsi etiam de fide tenendum agnoscunt judicium quo Concilium Tridentinum, sess. 4, decrevit pro sacris et canonicis suscipiendos esse libros qui in Vulgatâ versione habentur; agnoscunt proindè Ecclesiam potuisse infallibiliter discernere verum sensum Vulgatæ versionis. Porro hæc omnia nihil aliud sunt quàm facta dogmatica. 3. Si Ecclesia non gauderet potestate judiciali circa sensum propositionum et librorum, non posset ab erroris contagio fideles ipsi commissos præservare. Si infallibilitate careret circa facta dogmatica, posset hæreticos libros pro orthodoxis proponere, et vice versâ. Porro utrumque falsum est: siquidem Ecclesia à Christo donata est omnibus juribus et privilegiis, quæ ad integram depositi conservationem fideliumque salutem sunt necessaria.

2° *Auctoritate*. Hæc est tempore præsenti fides Ecclesiæ. Eamdem autem fuisse fidem à primævis sæculis, sequentibus constat: PP. Conc. Nicæn. in ep. synodali ad Ecclesiam Alexandrin. scribunt: *Placuit Concilium communibus suffragiis anathema denuntiare et ei ipsi* (Ario) *et nefariæ ejus opinioni et verbis sententiisque execrabilibus quibus usus est ad Filium Dei blasphemiis onerandum*. Imò, testibus Socrate, l. 1, c. 9, et Sozomeno, l. 1, c. 21, in eodem Concilio proscriptus est

libellus Arii, cui titulus *Thalia*. Omnes qui intererant, à Concilio compulsi sunt subscribere non solùm symbolo fidei, sed et damnationi Arii; Episcopi consenserunt, quinque exceptis, inter quos erant Eusebius Nicomediensis et Theognis Nicænus, qui ob eam causam à Concilio damnati et depositi fuerunt. Socrat., l. 1, c. 8. — In Conc. Ephesino I, act. 1, perlectâ Nestorii ad S. Cyrillum epistolâ, Patres aiunt: *Omnia quæ epistola hæc complectitur cum fide Nicænâ apertè pugnant, suntque ab eâdem omninò aliena; quare omnes qui ità credunt, à rectâ fide alienos esse judicamus*. Et posteà Episcopi simul clamaverunt: *Quicumque Nestorium non anathematizat, anathema sit... Omnes Nestorii epistolam et dogmata anathematizamus.... impiam fidem Nestorii anathematizamus*. Insuper Nestorii defensores, licèt ab erroris suspicione purgati, non priùs ad pacem atque communionem fuerunt recepti, quàm propriâ manu damnationi et depositioni hæresiarchæ subscripsissent. Ep. S. Cyril. ad Donat., part. 3 Conc. Ephes., c. 38. — PP. Concil. Constantinopolitani II, act. 8, can. 2, decreverunt: *Si quis non anathematizat Arium, Nestorium, Eutycheten, Origenem, cum impiis eorum scriptis, anathema sit*. In eodem Concilio damnata fuerunt Tria Capitula (scripta Theodori Mopsuesteni, Theodoreti contra anathematismos S. Cyrilli ac Synodum Ephesinam, et epistola Ibæ Edesseni episcopi ad Marinum Persam); et anathema dictum est omnibus qui Trium Capitulorum damnationi subscribere renuerunt. — Approbante Concil. Constantiensi, Martinus V formulam edidit, quâ sic interrogari debebant qui de erroribus Wiclefi, Joan. Huss suspecti deprehendeban-

tur: *Utrùm*, scilicet, *credant quòd condemnationes Joannis Wicleff, et Joannis Huss, et Hieronymi de Pragâ, factæ personis eorum, libris et documentis, per sacrum Concilium Constantiense, fuerint ritè et justè factæ, et à quolibet catholico pro talibus tenendæ et firmiter asserendæ?* — Innocentius X et Alexander VII damnàrunt quinque propositiones excerptas ex *Augustino* Jansenii, in sensu ab eodem Jansenio intento, illasque *sincero animo* rejiciendas præscripserunt. Posteà Clemens XI in bullâ *Vineam Domini* decrevit hanc Jansenii doctrinam *non ore solùm, sed et corde rejici et damnari debere*. Prædictas constitutiones universalis Ecclesia amplexa est. — Undè: Concilia et SS. Pontifices existimàrunt sibi competere jus definiendi quæstiones circa facta dogmatica, et eas infallibili judicio dirimendi, cùm decisiones suas absensu interno tenendas proponerent. Decreta Conciliorum et SS. Pontificum amplexa est universalis Ecclesia. Ergo (1).

III. De canonizatione Sanctorum.

Observo. Canonizatio est sententia definitiva de confitendis cujusdam defuncti sanctitate cœlestique gloriâ, et de publico cultu ei impendendo. Agimus de decretis *canonizationis*, non verò de judiciis quibus Servi Dei declarantur *Beati*. Generaliter enim admittitur ista decreta non gaudere valore decisionis infallibilis, quia in his deest una è conditionibus requisitis ut decisio sit pro infallibili tenenda, scilicet propositio decreti Ecclesiæ universæ (2). Quo posito, infallibilitas Ecclesiæ

(1) Vid. eruditam disputationem quam instituit Tournely, in suo tract. *de Ecclesiâ*, t. 2, quæst. 5, art. 5.

(2) Hoc est discrimen inter *canonizationem* et *beatificationem:*

circa Sanctorum canonizationem sequentibus præcipuè argumentis probatur.

1° Nullus unquam deprehensus est error in judiciis ab Ecclesiâ emissis de sanctitate Servorum Dei ; quod gravem jàm præbet præsumptionem in gratiam eorum infallibilitatis.

2° Si Ecclesia non esset infallibilis in canonizatione Sanctorum, posset ad imitationem et cultum fidelium proponere damnatum : quod gravem induceret errorem circa fidem et bonos mores, religionem apud infideles objiceret ludibrio, ecclesiasticamque infringeret ac debilitaret auctoritatem.

3° Si Ecclesia non esset infallibilis in canonizatione Sanctorum, maximè quia de sanctitate Servorum Dei constare non potest, nisi humanis ac proindè obnoxiis errori testimoniis ; aut quia in negotio canonizationis agitantur quæstiones de factis particularibus in quibus definiendis Ecclesia, juxta omnes, errare potest. Porro neutrum valet. Non prius : humana quidem audiuntur, et pro argumentis virtutum et miraculorum habentur testimonia ; ista autem testimonia aut veritati congruent, aut ab eis admittendis se continebit Ecclesia, Spiritu Sancto, cujus lumine dirigitur, providente ne pronuntiet. Non posterius : in factis quidem merè personalibus falli potest Ecclesia ; non verò in factis ad evangelicæ

1. una est judicium definitivum, altera verò non ; 2. decreto canonizationis præcipitur ut pro sancto habeatur canonizatus, eique religionis cultus impendatur ; dùm in genere beatificatio simplex est cultûs permissio ; 3. ordinariè cultus Beatificati restringitur ad aliquam provinciam, diœcesim aut religiosam familiam ; vi autem decreti canonizationis, omnes fideles tenentur pro sancto habere eum qui canonizatus est.

doctrinæ commendationem vel contemptum, ad pietatis incrementum vel offensionem spectantibus, qualia sunt facta de quibus agitur (1).

4° Consentiunt, paucis exceptis, omnes theologi et canonistæ.

Corollaria. Ex dictis de infallibilitate Ecclesiæ circa facta dogmatica et canonizationem Sanctorum sequentia deducimus :

1° Assensus debitus decisionibus Ecclesiæ in hâc materiâ non est assensus fidei divinæ. Istæ enim decisiones non versantur circa quæstiones ad revelationem pertinentes.

2° Decisiones Ecclesiæ relativæ ad facta dogmatica tenendæ sunt de fide ecclesiasticâ.

Certitudine fidei teneri nequeunt Ecclesiæ decreta de canonizatione Sanctorum, cùm de hâc quæstione non planè consentiant omnes theologi catholici. Nihilominùs

(1) « *Omnibus objectis,* ait Bened. XIV in celeberrimo opere de Beatif. et Canoniz. Serv. Dei, l. 1, c. 44, *unicâ eâque solidissimâ responsione satisfit, si dicatur quidquid ex materiæ et testium qualitate pro fallibilitate desumitur, plenè submoveri ex divinâ Providentiâ, et Spiritûs Sancti præsentiâ,* » quæ scilicet in re tanti momenti errare atque errori pondus auctoritatis suæ adjungi non patietur. « *Nos ipsi,* inquit in eodem capite doctissimus Pontifex, *qui tot annorum spatio munus fidei Promotoris sustinuimus, nostris, ut ità dicam, oculis vidimus divinum eamdem Spiritum Romano Pontifici assistentem in definiendis canonizationis causis. In aliquibus namque ex eis quæ felicissimo cursu progrediebantur, repentè difficultates anteà nunquam præcognitæ excitatæ sunt, quæ prædictum felicem cursum retardârunt; in aliis contrà quædam promotæ difficultates, quæ insuperabiles videbantur, suadebantque silentium illis esse imponendum, ex monumentis insperatè repertis, mirâ facilitate sublatæ sunt, atque ideò causæ ad suum optatum finem pervenerunt.* »

ista decreta maximâ cum veneratione amplecti debent; et juxta Suarezium, *de fide*, disp. 5, sect. 8, n. 8; Melchior. Canum, *de loc. theol.*, l. 5, c. 5; Benedict. XIV, *de Serv. Dei beat.*, l. 1, c. 45, n. 28, *temeritatis* et *impietatis* notas incurrerent qui fidem istis Ecclesiæ decretis detrahere auderent.

QUÆSTIO IIa. Quibusnam de causis S. Pontifex statuere possit?

Resp. 1° Certum est R. Pontificem posse definire easdem quæstiones quas Concilium generale et Ecclesia dispersa. Summus enim Pontifex est Pastor et Doctor supremus.

2° Quoàd valorem ejus decisionum, Gallicani negant eas esse infallibiles antequàm accedat consensus saltem tacitus Episcoporum; Romani autem veriùs affirmant.

QUÆSTIO IIIa. Quibusnam de causis Concilia particularia et Episcopi seorsim sumpti statuere possint?

Resp. 1° Certum est Concilia particularia et Episcopos seorsim sumptos posse statuere de quæstionibus quæ pertinent ad doctrinam et mores, ad facta dogmatica, ad disciplinam.

Concilia particularia et Episcopi olim gavisi sunt jure decernendi sanctis religiosi cultûs honores. Alexander autem III et Innocentius III, duodecimo sæculo, prohibuerunt ne deinceps aliquis coli inciperet sine R. Pontificis approbatione; et omnis controversia prorsùs sublata est per bullam Urbani VIII, an. 1634, clarissimè reservantem Sedi Apostolicæ omnia ad cultum publicum Beatorum pertinentia.

2° Certum est decisiones Conciliorum particularium et Episcoporum seorsim sumptorum non esse infallibiles.

IIª PARS.

EXPLICATIO DE INDEFECTIBILITATE ECCLESIÆ.

I.

De Subjecto Indefectibilitatis.

QUÆR. *Quodnam sit subjectum indefectibilitatis?*

Resp. Indefectibilis est, seu in credendo errare non potest collectio membrorum Ecclesiæ. Hoc superiùs probatum est.

EXPLIC. Cùm autem in societate à Christo institutâ duo sint distinguenda, *corpus* scilicet et *anima*, ulteriùs

Quær. *Utrùm indefectibilitas pertineat ad corpus, utrùm ad animam?*

Nomine *corporis* intelligitur collectio membrorum Ecclesiæ inter se conjunctorum sequentibus vinculis, videlicet: per Baptismum; per subjectionem R. Pontifici legitimisque Pastoribus cum Pontifice R. communicantibus; per professionem externam ejusdem fidei; per communionem, aut saltem jus ad communionem eorumdem sacramentorum. Ecclesia autem secundùm *animam* spectata, est collectio personarum quæ actualiter jus habent ad visionem intuitivam; id est, quæ sunt actualiter in statu gratiæ et adimplent omnia ad salutem necessaria necessitate medii. Quo posito,

Resp. Indefectibilis est Ecclesia *secundùm corpus*, non verò secundùm animam spectata. Etenim, cùm vi promissionum Christi Ecclesia in fide deficere ne queat, quod universa credit Ecclesia regula est fidei

tenendæ; ad quod necessariò requiritur ut fides Ecclesiæ innotescere valeat. Porro Ecclesia secundùm animam spectata cognosci non potest, ut patet ex definitione. Ergo.

Quinam autem *sint de corpore Ecclesiæ?*

Resp. In genere ad corpus Ecclesiæ pertinent omnes et soli, qui in eam aggregati fuerunt, et ab eâ non recesserunt, sive voluntate propriâ, sive auctoritate potestatis ecclesiasticæ. — Ex hoc principio, quod in se evidens est, deducimus :

In specie de corpore Ecclesiæ non sunt :

1° *Infideles*, nequidem *Catechumeni*. Siquidem non receperunt Baptismum, per quem solum homines inseruntur corpori Ecclesiæ, ut docet Scriptura, specialiter D. Paulus, I Cor. 12, 13 : *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi;* ut tradunt Patres, Tertul., de præscript., 41; SS. Greg. Nazian., orat. 4; Cyrillus Alex. in Joan., l. 12; Chrysost. in Joan., homil. 24; ut declaravit post Conc. Florent. in decret. pro Armen. Concilium Trident., sess. 14, cap. 2 de Pœnit. *Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non priùs in ipsam per baptismi januam ingressus fuerit.*

2° *Hæretici publici*. Siquidem 1. per professionem externam doctrinæ contradicentis doctrinæ Christi, resciderunt unum è vinculis quo societati catholicæ conjungebantur, scilicet vinculum ejusdem fidei. 2. D. Paulus ad Gal. 1, 7, docet : *Si quis vobis evangelizat præter id quod accepistis, anathema sit.* Et ad Tit. 3, 10 : *Hæreticum hominem post unam et alteram correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi*

est, et delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus. 3. Consentiunt Patres, inter quos S. August., lib. *de Unic. Baptism.* contra Petilian.: *Nihil prodest hæreticis ad salutem, quod extra Ecclesiam verum baptisma per ignorantiam et tradunt et tenent.* S. Hieron., dial. contra Luciferian.: *Sicubi audieris eos qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, sed à quocumque alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses seu Compenses, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam.* Vid. S. Iren., l. 3 adv. hær.; Tertul., *de Præscript.*; S. Cyprian., ep. ad Jubaian., etc.

Dicimus: hæretici *publici*; hæretici enim *occulti* sunt etiam de corpore Ecclesiæ. Siquidem 1. omnibus vinculis externis Ecclesiæ corpori religantur, sicut cæteri fideles. 2. Si prædicti hæretici ad Ecclesiæ corpus non pertinerent, dicendum foret Ecclesiam veram ab aliis societatibus distingui per characteres merè internos, proindè omninò invisibiles, proindè Ecclesiam veram esse invisibilem, quod ex anteà dictis est falsum. 3. Consentiunt omnes theologi.

3° *Schismatici publici.* Nam 1. derelictâ communione R. Pontificis et legitimorum Pastorum, ab ipsis præcisum est unum è vinculis essentialibus, quibus fideles in unicam conjunguntur societatem. 2. Ecclesia in Scripturis metaphoricè designatur sub parabolâ unius *ovilis*, unius *corporis*, unius *arboris*; porro jàm non est de ovili ovis deserens gregem, non est de corpore membrum præcisum, non est de arbore ramus avulsus. 3. Schismaticus, ait S. Iren., l. 4, c. 64, *est extra veritatem; in Ecclesiâ non est*, scribit S. Cyprian., ep. 9 ad

Flor.; *est ab Ecclesiâ Dei separatus*, docet S. Hieron. in c. 1 Amos et c. 3 ep. ad Titum; *non pertinet ad Ecclesiam*, ut ostendit S. August., de fid. et symb., c. 10; *deserit matrem, se separat, à radice Ecclesiæ amputatur, rebellis discedit*, ut loquitur S. Optat., l. 1 contr. Parmen.

Dicimus : schismatici *publici;* etenim schismatici *occulti* etiam ad corpus Ecclesiæ pertinent, ob rationes superiùs allatas.

4° *Excommunicati denuntiati.* Ecclesia enim potest eos è corpore suo repellere, et facto eos repellit per excommunicationem denuntiatam. — Ecclesiam posse contumaces à communione suâ repellere seq. constat: 1. Auctoritas humana jus habet à societate civili repellendi omnes qui huic societati nocere possunt. Ergo à pari etiamque à fortiori auctoritas ecclesiastica simili jure gaudere debet. 2. Matth. 18, 17 : *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ergo in quibusdam casibus Ecclesia potest sicut ethnicos et publicanos habere, id est à communione suâ rescindere reluctantes. Et ibid. v. 18 : *Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo.* Ergo, nisi constet de contrario, quod in hoc casu non probatur, Ecclesia potest in ordine spirituali omnia solvere, proindè solvere vincula quibus fideles corpori suo conjunguntur, seu eos à communione suâ præscindere. 3. Omni tempore Ecclesia prædicto jure usa est absque ullâ reclamatione ; ergo reipsâ prædicto jure gaudet. — Ecclesia facto repellit è corpore suo per excommunicationem denuntiatam ; hic semper fuit

sensus excommunicationis denuntiatæ. S. Cyprian., ep. 62: *Spiritali gladio superbi et contumaces necantur, dùm de Ecclesiâ ejiciuntur*. S. August., de unit. Eccles., c. 25: *Si tunc quisque præciditur cùm visibiliter excommunicatur, consequens erit ut tunc rursùs instauratur, cùm visibiliter communioni restituitur*.

Dicimus: excommunicati *denuntiati*. Siquidem excommunicati non denuntiati ab Ecclesiâ non sunt separati; ob rationes superiùs expositas.

Corollaria. 1° Ergo de corpore Ecclesiæ non sunt omnes et soli prædestinati. — Non omnes: Siquidem prædestinati existere possunt apud infideles, hæreticos et schismaticos. Sic Paulus, qui in decretis Dei futurus erat vas electionis, nondùm erat de Ecclesiâ quandò christianum in gregem sæviebat. Hinc à S. August. tract. 45 in Joan. sapienter dictum est: *Secundùm præscientiam Dei et prædestinationem, quàm multæ oves foris, quàm multi lupi intùs, et quàm multæ oves intùs et quàm multi lupi foris*. — Non soli prædestinati: Nam 1. certum est eos qui per baptismum Ecclesiæ fuerunt aggregati non omnes vitam æternam apprehensuros. 2. Ecclesia est societas visibilis, ut suprà demonstratum est; prædestinatio autem est aliquid incertum quod citra revelationem homines penitùs latet. Proindè, si Ecclesia solis prædestinatis constaret, sequeretur eam esse invisibilem, quod falsum est. 3. Ecclesia in Scripturis à Christo designatur sub figurâ *areæ* triticum et paleam habentis, *gregis* oves et hædos complectentis, *sagenæ* pisces bonos et malos comprehendentis, *convivii* hospites ornatos et veste nuptiali destitutos excipientis: quæ figuræ, juxta SS. Patres,

specialiter juxta SS. Cyprian., lib. 3 ep. 3 et l. 4 ep. 2; August., l. 2 contra Crescon., c. 34; Chrysost. in 2 ad Tim., homil. 6, designant reprobos unà cum probis in Ecclesiâ conjunctos.

2um. Ergo de corpore Ecclesiæ non sunt omnes et soli justi. —Non omnes: Etenim fieri potest, et quidem certum est, justos esse apud infideles, hæreticos et schismaticos. —Non soli: Nam 1. aliter Ecclesia esset invisibilis, cùm certò nequeat dijudicari quinam sint in classem justorum referendi. 2. Hoc constat ex parabolis quibus Christus de Ecclesiâ suâ locutus est. 3. Consentiunt Ecclesiæ Patres, inter quos S. Chrysost. in illud Ps. 39: *Multiplicatæ sunt* (iniquitates) *super capillos capitis mei*, ait: *Neque ex perfectis universa constat Ecclesia, sed habet eos etiam qui otio et socordiæ se dedunt, mollemque et dissolutam vitam amplectuntur, libenterque serviunt voluptatibus*... Et S. Hieron., dial. contr. Luciferian.: *Arca Noë Ecclesiæ typus fuit; ut in illâ omnium animalium genera, ità et in hâc universarum et gentium et morum homines sunt; ut ibi pardus, hœdi, lupus et agni, ità et hic justi et peccatores*... Vid. etiam SS. Cyprian., ep. ad Maximum; August., tract. 6 in Joan., v. 2; lib. de verâ relig., c. 6, etc.

II.

De Objecto Indefectibilitatis.

Quæs. *Quodnam sit objectum indefectibilitatis Ecclesiæ?*

Resp. Circa idem objectum versatur indefectibilitas Ecclesiæ ac infallibilitas Ministerii. Aliis verbis, quæcumque Ministerium Catholicum infallibiliter definire

potest, de his omnibus universa Ecclesia in credendo errare nequit. Alioquin Ecclesia credens posset in rebus essentialibus à doctrinâ Ministerii recedere, proindè in diversas partes scindi; quod impossibile est, cùm Ecclesia Christi sit essentialiter una.

Observ. Ut veritas quædam dici possit *de fide,* vi auctoritatis universæ Ecclesiæ hanc veritatem tenentis, non sufficit ut prædicta veritas universaliter admittatur, insuper requiritur ut habeatur tanquam de fide ab universâ Ecclesiâ.

Ex omnibus hucusquè dictis sequitur Ecclesiam definiri posse: *cœtum fidelium* (id est, baptizatorum) *inter se conjunctorum sequentibus vinculis, scilicet: subjectione erga R. Pontificem Pastoresque cum Capite communicantes; externâ professione ejusdem fidei, sive à Ministerio definitæ, sive ab universâ societate catholicâ traditæ; communione, aut saltem jus ad communionem eorumdem sacramentorum.*

PROPOSITIO II.

EO IPSO ECCLESIA DICI POTEST LOCUS PRINCIPIORUM.

Prob. Siquidem doctrina Ministerii Catholici, fides Ecclesiæ Catholicæ suggerunt veritates primarias, objectivè certas et fecundas; — *primarias:* cùm istæ veritates sint admittendæ vi auctoritatis testimonio Ecclesiæ inhærentis, non autem vi argumentationis ad illas recipiendas adhibitæ; — *objectivè certas:* cùm proponantur ab auctoritate quæ in errorem inducere

non potest ;—*fecundas:* constabit enim in decursu theologicæ expositionis innumeras oriri conclusiones ex decisionibus et fide Ecclesiæ.

QUÆSTIO SECUNDA.

UTRUM ECCLESIA FUNCTIONES HABEAT IN THEOLOGIA ET QUASNAM?

Ad 1[am] q. p. R. *Affirm.* Siquidem, ex unâ parte theologia est scientia religionis, et ex alterâ, Ecclesia nihil aliud est quàm medium divinitùs institutum ad solvendas omnes quæstiones ad religionis revelatæ depositum pertinentes.

Ad 2[am] : R. Ecclesia conservat et proponit integra divinæ revelationis monumenta, Scripturam scilicet et Traditionem, divinam revelationem in istis fontibus obscurè contentam interpretatur et evolvit, uno verbo solutionem præstat omnium quæstionum quæ circa religionem oriri possunt.—Quoàd valorem solutionum, determinatur ipso sensu vel judicio Ecclesiæ. Sic v. g. quandò solutio proponitur *de fide* tenenda, solutio est infallibilis; quandò proponitur tanquam *certa*, pro certâ, nondùm verò *de fide* habenda est.

ERRATA. — Falsò indicata fuit appendix pa-

APPENDIX

AD TOTAM SECTIONEM II, DE LOCIS SUPERNATURALIBUS.

In prædictâ parte præsentis tractatûs probatum est Scripturam, Traditionem, decisiones Ministerii catholici, fidem Ecclesiæ catholicæ suggerere principia ad evolvendas quæstiones theologicas; assignatæ sunt functiones cujusque loci relativè ad scientiam theologicam. In complementum, breviter notandæ sunt quædam regulæ quas theologus in argumentatione prætermittere non debet: istis regulis determinatur modus legitimè utendi Scripturâ, Traditione, decisionibus Ecclesiæ, etc., sive ad probandas veritates, sive ad confutandos errores (1).

I. De usu theologico Scripturæ Sacræ.

Argumentum è Sacrorum librorum verbis depromptum est irrefragabile, modò 1° ista verba sint certò verba Dei, modò 2° eorum sensus certò cognoscatur.

Porro 1° ut verba Scripturæ certò asserantur verbum Dei, necesse est 1. ut contineantur in libris sacris, quos Ecclesia Catholica pro canonicis indubitatò admittit; 2. ut depromantur ex editione vulgatâ. — Ut contineantur in libris: quia sine Ecclesiæ judicio certi non sumus quænam sint scripturæ divinitùs inspiratæ. Undè divina auctoritas librorum apocryphorum, v. g. III vel IV Esdræ, est incerta; suppositiorum autem, v. g. epistolæ Pauli ad Laodicenses, est nulla. — Ut depromantur ex editione vulgatâ: quia hæc sola judicata fuit authentica ab Ecclesiâ. Quoàd cæteros textus aut versiones, theologus de iis uti potest, sive in interpretandis locis obscuris editionis vulgatæ, sive ad adstruendum argumenta *ad hominem*, sive ad efformanda alia argumenta, quæ tamen sumpta *in se*, seu independenter ab extrinsecâ auctoritate, valore absoluto non gaudent.

(1) Vid. specialiter doctissimum tractatum P. Kilber, S. J., *de Principiis theologicis* (t. 1 Theologiæ Wirceburg.), è quo prædictas regulas magnâ ex parte excerpsimus.

2° Ut sensus verborum Dei certò cognoscatur, requiritur ut sit clarus; aut, si sit obscurus, ut adsit expositio Ecclesiæ, vel unanimis Patrum interpretatio.

Triplex distinguitur sensus in Scripturâ sacrâ: litteralis, mysticus, accommodatitius.

Ex sensu *litterali* efformatur argumentum certum, modò textus sit clarus; quia in hoc casu percipitur verus sensus à Spiritu Sancto intentus.

Ut ex sensu *mystico* formetur argumentum efficax, debet vel ex alio Scripturæ textu, vel ex Ecclesiæ definitione aut traditione, vel ex consensu Patrum constare sensum illum à Spiritu S. esse intentum; quia hic sensus cùm mediatè tantùm significetur, ob res immediatè significatas varius et obscurus est, nec cuivis obvius, nec connexionem necessariam habet cum loquentis intentione; undè sine præfatis circumstantiis incertum manet an à Spiritu Sancto fuerit intentus.

Ex sensu *accommodatitio* non efformatur argumentum certum et efficax.

Nota. Sola verba, quæ sunt proprium Scriptoris Sacri dictum, habent auctoritatem divinam et efficaciter fulciunt argumentum theologicum; non verò verba quæ scriptor sacer refert ex alio homine; v. g. illa cæci nati, Joan. 9, 31: *Scimus, quia peccatores Deus non audit*, aut illa insipientis, Ps. 52, 2: *Non est Deus.*

II. De usu theologico Traditionis.

Triplex, ut dictum est, distinguitur traditio, scilicet: *divina*, *apostolica* et *ecclesiastica*.

Porro traditio *divina*, modò sit certa, præbet theologo argumentum valore absoluto gaudens, tùm ad stabilienda fidei moruaque dogmata, tùm ad confutandos errores istis dogmatibus oppositos.

Traditio *apostolica*, modò sit certa; traditio *ecclesiastica* universalis et perpetua, modò quoque sit certa, præbent argumentum idoneum firmumque ad varia Religionis capita stabilienda.

Diximus: *modò sit certa*. Siquidem, ut traditio sacra in suâ specie efficaciter probet, eam certam esse oportet; cum principio dubio legitimâ argumentatio niti nequeat.

Porro traditio quædam est certò divina, apostolica aut ecclesiastica, si talis judicata fuit ab Ecclesiâ, aut à Patribus unanimiter consentientibus. Tenenda est pro divinâ, apostolicâ aut ecclesiasticâ, proùt in illâ agnoscuntur notæ unius aut alius.

Traditio *divina* dignoscitur notis sequentibus: 1° si sit doctrina quam universa Ecclesia tenet tanquam dogma fidei; 2° si sit praxis quæ à nullâ potestate humanâ, sed à solo Deo constitui potest, servaturque ab Ecclesiâ universâ; 3° si sit doctrina vel praxis, quam simili modo tenuit et servavit universa Ecclesia quovis sæculo; 4° si sit ejusmodi, quòd omnes vel saltem plerique Patres, vel Ecclesiæ pastores et doctores, sive in Concilio œcumenico congregati, sive seorsim scribentes, cæteris scientibus et non contradicentibus, illam doceant ex divinâ traditione provenire, aut doctrinam contrariam tanquam hæreticam rejiciant, aut praxim tanquam medium ad salutem necessarium exigant; qualis est v. g. cultus imaginum; 5° si sit traditio quam tanquam divinam custodiunt et tenent ecclesiæ etiam particulares, in quibus perseverat haud interrupta Episcoporum ab Apostolis à quibus fundatæ fuerunt successio, qualis jàm una est Ecclesia Romana, v. g. admissio inspirationis librorum deutero-canonicorum, valoris baptismi hæreticorum, etc.

Traditio *apostolica* dignoscitur notis sequentibus: 1° si quod ecclesiasticâ quidem potestate institui poterat, non tamen ostenditur fuisse sic institutum, nihilominùs in Ecclesiâ universâ et omnibus retrò temporibus servatum est; 2° si Patres Apostolis proximi, jàm suis temporibus usum antiquum et communem rituum aut cæremoniarum referant, aut Apostolicam institutionem talis usûs positivè declarent.

Traditio *ecclesiastica* dignoscitur: 1. si ipsa rei ratio tardiorem epocham exigat; 2. si institutionis origo designari possit; 3. si vigeat tantùm in aliquâ ecclesiâ particulari; 4. si à paucis, licèt antiquis scriptoribus, commemoretur, sed contradicant alii numero et auctoritate pares aut præcipui; 5. si viri ecclesiastici et apostolica præsertim Ecclesia traditionem tanquam novellam repudient.

III. De usu theologico decisionum Ecclesiæ, fidei Ecclesiæ.

I. Circa *Concilia* valent istæ regulæ:

1° Concilium œcumenicum præbet argumentum irrefragabile.

2ª Nullius valoris est ratiocinium, quod ex Concilio generali, vel simpliciter, vel quoâd illam partem improbato desumitur.

3ª Concilium particulare, quamvis à S. Pontifice approbatum, majus certitudinis fundamentum non exhibet, quàm quantum præbet Romanæ Sedis auctoritas.

4ª In formando ex Conciliis argumento distinguendum est: 1. inter consultationes aut disceptationes Patrum, et enuntiationes judiciales aut doctrinales; 2. inter unius aut plurium Patrum opiniones aut sententias, et decreta conciliariter edita; 3. inter decretorum præambula, rationes, clausulas, aut alia forsàn præter institutum inserta, et ipsam dispositionem; 4. inter sensum verborum alienum et proprium, inter rei modum et substantiam, etc.

II. Circa *S. Pontificem* è cathedrâ loquentem observandæ sunt regulæ sequentes:

1ª Ex sententiâ decretoriâ S. Pontificis, à majori Episcoporum parte acceptatâ, firmissimum oritur argumentum.

2ª Etsi de fide non sit, hujusmodi sententiam ante acceptationem esse penitùs irrefragabilem; exindè tamen convincens argumentum derivari potest.

3ª Discernendum semper est in Pontifice officium à personâ; magister universalis à privato doctore.

III. Circa *Ecclesiam* sequentes notabimus regulas:

1ª Nullius alterius Ecclesiæ, præter quam Romano-Catholicæ auctoritas per se præbet efficax argumentum.

2ª Ex communi consensu totius Ecclesiæ Catholicæ, amplectentis veritatem aliquam vel repudiantis falsitatem, firmum habetur fundamentum pro eâdem veritate recipiendâ vel falsitate rejiciendâ.

3ª Judicium dogmaticum Ecclesiæ, aliquid pro vero aut falso habendum declarantis, certum est momentum ad illud pro vero aut falso tenendum.

4ª Si quidpiam teneat Ecclesia priorum sæculorum, id ipsum etiam nunc à quovis orthodoxo tenendum esse legitimè infertur.

5ª Ubi antiqua siluit Ecclesia, aut dubitari impunè passa est, si quid circa illud moderna definiat aut consensu communi probet improbetve, indubiè id tenendum est.

6ª Non infirmatur argumentum, ab Ecclesiæ auctoritate depromptum, ex eo quòd pauci respectivè Episcopi ejus definitioni refragentur.

7ª Cavendum ne quid pro Ecclesiæ universalis doctrinâ adducatur, quod tale reverà esse per se non constet, aut idoneis testibus non probetur.

SECTIO III.

DE LOCIS MIXTIS.

DISPUTATIO I.

DE SS. PATRIBUS.

Prænot. 1° In sensu stricto nominis, Ecclesiæ *Patres* sunt scriptores ecclesiastici, doctrinâ et sanctitate florentes, antiquitate vigentes, expressâque aut tacitâ Ecclesiæ designatione eo titulo gaudentes. — In sensu latiori nomine *Patrum* etiam designantur scriptores ecclesiastici qui, licèt non illibatâ sanctitate, antiquitate et doctrinâ pollent, quales v. g. Tertullianus, Eusebius Cæsareensis.

2° Sub titulo præsenti non agimus de auctoritate Patrum in quæstionibus purè philosophicis; certum est enim eorum auctoritatem in hâc materiâ non plùs valere, quàm valent rationes quibus nituntur. Agimus tantùm de SS. Patribus, quatenùs Scripturam et Traditionem interpretantur, fidei dogmata et præcepta morum proponunt, ecclesiasticamque disciplinam tradunt. Quo posito,

Quærendum: 1° utrùm SS. PP. possint suggerere principia scientiæ theologicæ, id est, utrùm eorum doctrina sit locus principiorum; 2° in quânam extensione, intra quosnam limites principia è SS. PP. de-

prompta applicari valeant scientiæ theologicæ? — Utriusque solutio quæstionis pendet à solutione sequentium, scilicet: 1. utrùm, et 2. in hypothesi affirmativâ, quænam SS. PP. concedenda sit auctoritas? Undè,

QUÆSTIO I.

UTRUM SS. PP. CONCEDENDA SIT QUÆDAM AUCTORITAS?

Observ. Lutherani et Calvinistæ, negantes necessitatem et auctoritatem Traditionis, eo ipso nullam SS. Patribus tribuunt auctoritatem in quæstionibus ad doctrinam revelatam pertinentibus. Contra quos,

Resp. Magnà SS. Patribus concedenda est auctoritas.

Prob. 1ª. Res ità est, si SS. Patres præ se ferant characteres quibus ipsis concilietur fides. Atqui, attentâ eorum antiquitate, cùm alii exstiterint Apostolorum coævi, cæteri autem non longè distantes à primævis Ecclesiæ sæculis, constat eos potuisse puram et completam habere notitiam fidei et morum Ecclesiæ primitivæ. Attentis eorum ingenio, gravitate et doctrinâ, constat nullos aptiores exstitisse ad dignoscendam veritatem, ad eam ab errore discernendam, et ad verum doctrinæ revelatæ sensum scriptis suis transmittendum. Attentis demùm eorum sanctitate et morum integritate, eorum zelo et vigilantiâ in persolvendo pastorali et doctorali munere, eorum indefesso ardore in confutandis erroribus, quamplurimorum constantiâ in perferendis ærumnis et persecutionibus à veritatis hostibus ipsis illatis, constat nullos haberi posse testes magis sinceros, proindè majori fide dignos. De his proindè valet illud Eccli. 8, 11: *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim*

didicerunt à patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum.

Prob. 2ª. Ecclesia catholica, ut suprà probavimus, errare non potest in his quæ pertinent ad fidem et mores. Porro constanti fide et praxi Ecclesiæ constat maximam auctoritatem SS. Patribus omni tempore fuisse concessam. Omnibus enim sæculis Ecclesia, specialiter in Conciliis, proposuit investigandam sectandamque SS. PP. auctoritatem, sive ad confutandos errores, sive ad erudiendos fideles, sive ad efformanda fidei decreta. *Hæc est fides Patrum... In tali sensu Sanctos Patres fuisse comperimus... Sequentes itaque SS. PP. confessiones et eorum intentioni æquis vestigiis insistentes, profitemur... Sequimur in omnibus SS. Patres et Doctores sanctæ Dei Ecclesiæ...* Has aut similes formulas usurpant omnium ferè Conciliorum Patres. Ergo.

QUÆSTIO II.

QUÆNAM SIT SS. PP. AUCTORITAS?

Resp. 1º Patres inter se inæquali auctoritate gaudent, nullus irrefragabili. 2º Plurium Patrum quibusdam reclamantibus, major est auctoritas, nondùm tamen irrefragabilis. 3º Unanimis Patrum consensus auctoritatem parit irrefragabilem.

Prob. p. part. 1ª Prop. Patres inter se inæquali auctoritate gaudent: Siquidem inter se differunt, sive sub respectu ingenii, eruditionis, scientiæ; sive sub respectu scriptorum, cùm alter nulla retractanda scripserit, alter verò errores retractaverit; sive sub respectu

quæstionum de quibus specialiter tractaverunt: undè v. g. præ cæteris eminent SS. Athanasius et Hilarius circa divinitatem Christi, S. Basilius circa divinitatem Spiritûs Sancti, S. Augustinus circa gratiam et liberum arbitrium. — Nullus gaudet auctoritate irrefragabili: Nullus enim infallibilitate donatus est, quatenùs homo, ut evidens est; nequidem quatenùs Ecclesiæ doctor, cùm nullum afferri queat testimonium de divinâ hujus privilegii concessione. Hinc damnata est ab Alexandro VIII sequens Jansenistarum propositio: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.*

2ª Prop. Plurium Patrum, quibusdam reclamantibus, major est auctoritas, nondùm tamen irrefragabilis. — Major est auctoritas: hoc evidens est; — nondùm irrefragabilis: cùm ex adversâ parte remaneat auctoritas aliorum Patrum. — In hoc casu, nisi accedat definitio Ecclesiæ, aut nisi sententia Patrum contradicentium solido careat fundamento, auctoritas plurium præbet tantummodò probabilitatem, eo nihilominùs majorem, quo asserentes numero et pondere cæteris præstant.

3ª Prop. Unanimis Patrum consensus auctoritatem parit irrefragabilem. Siquidem 1° si unanimis PP. consensus in errorem inducere posset, non staret Traditionis divinæ auctoritas, quæ in eorum scriptis præcipuè continetur; Ecclesia ipsa errare posset, cùm SS. Patrum doctrinam sequatur. Porro neutrum admitti potest ex anteà dictis. — 2° Ephes. 4, 11: *Ipse dedit quidem Apostolos... alios autem Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus Ministerii, in ædificatio-*

nem corporis Christi... Porro, si consensus unanimis PP. foret obnoxius errori, Doctores non fuissent dati ad ædificationem corporis Christi, nec ad impediendum ne fideles circumferantur omni vento doctrinæ. — 3° Concilia semper proposuerunt unanimem consensum PP. tanquam fidei regulam, et damnârunt omnes qui ab illo recedere attentabant. Conc. Ephes. act. 1 : *Divinitùs placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens SS. PP. tenuerit antiquitas.* Conc. Nicæn. II, act. 1 : *Qui doctrinas SS. PP. et Ecclesiæ traditionem contemnunt... et voces Arii, Nestorii, Eutychetis et Dioscori jactant, dicentes quod, nisi satis ex Veteri et Novo Testamento instructi essemus, SS. PP. et Ecclesiæ Catholicæ traditiones non sequeremur, anathema.* Idem docet Conc. Constantinop. III, act. 2; et Conc. Trid., sess. 4, in decret. de edit. et usu sacr. libr., expressè prohibet *ne quis Scripturam contra unanimem SS. Patrum sensum audeat interpretari.*

Ex dictis concludimus :

1° SS. Patres suggerunt *principia* propriè dicta, quandò unanimiter consentiunt de quâdam veritate. Etenim in hoc casu testes sunt sive Traditionis divinæ, sive fidei et praxis Ecclesiæ.

2° Quandò autem non consentiunt, possunt equidem præbere fundamenta scientiæ theologicæ ; sed ista fundamenta *per se*, seu independenter à judicio Ecclesiæ, non valent absolutam præstare certitudinem. Argumenta et sententiæ, quæ in hoc casu nituntur testimonio Patrum, majori aut minori valore gaudent, pro numero et pondere testimoniorum.

APPENDIX (1).

« *Quænam sint cautelæ et regulæ pro intelligentiâ, quinam canones pro usu theologico SS. Patrum?*

» *Nota.* Præter auctoritatem Patrum, quæ sedem argumentationi theologicæ præbet, ad alia attendere oportet eum, qui sine abusu et solido cum fructu, legere SS. Patrum opera, lecta intelligere et intellecta usurpare desiderat. Ad tria universim capita reducere eadem juvat, *scripta* scilicet, *scribentes* et *scriptionem* : circa quæ, postquàm *cautelas* pro lectione et *regulas* pro intelligentiâ dederimus, *canones* circa usum eorumdem addemus.

» *Dico I.* Cautelæ pro *lectione* Patrum sunt sequentes :

» I. Circa *scripta* : 1° Discerne inter libros verè aut falsò Patribus adscriptos; item inter certò genuinos et dubios aut incertos. 2° Adverte an originarium sit scriptum, an versio tantùm, et quo auctore facta. 3° Disquire de textu laudato, integerne sit, an corruptus, mutilus, vel à contextu divulsus.

» II. Circa *scribentes* : 1° Attende an Patrum quis juvenis adhùc aut verò senex, an catechumenus etiamnùm vel fidei mysteriis plenè imbutus, an lapsus in errorem aut antè lapsum, an animo pacato et extra offensam aut subiratus et contentiosus scripserit ; cujusmodi diversitatem in Augustino, Lactantio, Tertulliano et Cypriano notare juvat. 2° Dispice an scriptor merum agat testem rerum suâ ætate creditarum vel observatarum ; an doctorem, quod credendum vel observandum sit, præscribentem ; an utrumque simul præstet. 3° Nota an loquatur in personâ propriâ vel alienâ ; an solùm disputando, et velut dubitanter inquirendo procedat, vel asserendo ; an oratoriè et rem forsàn exaggerando, aut dogmaticè et rigoroso sermone eloquatur ; an obiter et velut aliud agendo, an principaliter et ex proposito rem tractet. 4° Observa an doctrinâ, antiquitate, præ-

(1) Eam excerpsimus è tractatu P. Kilber *de Principiis theologicis*.

sertim fidei integritate excellat, aut lapsus in errorem sit, qui benignâ interpretatione mitigari nequeat, vel communi jàm judicio nec temerè sit notatus. 5° Respice ad tempus ortam hæresim forsàn præcedens, aut ubi de damnato posteà errore, salvâ adhùc fide, dubitari poterat vel contrà.

» III. Circa *scriptionem :* 1° Examina nùm quæstionis, quæ tractatur, materia sit philosophica vel naturalis alterius scientiæ; an verò theologica, atque ad fidem pertinens, aut disceptare in utramque partem orthodoxis adhùc licita. 2° Distingue an sensus verborum sit proprius et simplex, aut metaphoricus et figuratus; an constans et conveniens cum alibi dictis, aut contrà retractatus vel discrepans. 3° Perpende an sensus forsàn obscurus ex contextu vel comparatione cum aliis, vel ex scopo ac directione illustrari nequeat. 4° Observa nùm iisdem aut similibus mediis phrasis fortassè durior et sensu jàm obsoleta emolliri non possit. 5° Adverte ad scopum scribentis, crinomenon argumenti, et substratam quæstionis materiam. 6° Denique attende ad quos sermo sit prolatus, contra quos disputatio sit directa, et quâ occasione quæstio sit tractata.

» *Dico II.* Regulæ pro *intelligentiâ* Patrum sunt sequentes : 1° Opera genuina Patrum disce vel ex judicio criticorum catholicorum et sobriorum, vel ex editionibus recentioribus et probatis. 2° Primigenia lectio præhabenda est translatæ ; pro versionibus seligendis prior etiam regula valet. 3° Textum laudatum confer cum libro, nisi laudatoris fides sit probata. 4° Qualitates Patrum pernosce ex eorum historiâ ; officium scriptoris collige ex verborum formulis ; oratoriam locutionem capé etiam ex auditoribus, ad quos sermo est factus. 5° Diligens ad lectionem attentio docebit, quæ loquatur persona, quæ dubitet, quæ asserat. 6° Durius dictum, si res faveat, securitati temporis aut zelo impugnationis tribue. 7° Errorem Patris, nisi apertus sit, excusa, et designatis mediis emolli ; ab eodem etiam, aut singulari forsàn opinione illius aliquâ, modestè discede, et salvâ ejus honorificentiâ, ut Aug. inquit. 8° Locutionem dogmaticam intellige tùm ex opposito contrarium sentientibus anathemate, aut oppositi tanquam hæretici dogmatis damnatione ; tùm ex asserti tanquam dogmatis fidei propositione, aut in catechesi vel sermone ad neophytos tanquam credendi inculcatione. 9° Meta-

phoram dignosce, si nec in omni aut longiore sermone, nec sæpè, nec coram quibuscumque phrasis hujusmodi occurrat, neque admirationem moveat aut probationem exigat. 10° Semper præ oculis habe scriptionis et scribentis finem ac scopum.

» *Dico III.* Canones pro *argumentatione* ex Patribus sunt sequentes: 1° Patrum scripta non præbent argumentum, nisi genuina et certa, atque ex originario textu vel probatâ versione desumpta. 2° Non valet auctoritas Patris in eo, quod Ecclesia vel Pontifex tanquam erroneum respuit vel declarat. 3° Ut textus quidpiam probet, integer, clarus, cum mente auctoris congruens, nec retractatus sit, oportet. 4° Patres loquentes ut testes rerum suâ ætate creditarum aut observatarum, etsi etiam omnes non referantur, præbent certitudinem de facto; quia videntur exceptione majores. 5° Patrum auctoritas sive paucorum sive plurium in quæstionibus philosophicis aut scientiarum naturalium, haud certum suppeditat argumentum; sed tantùm probat, quantùm naturalis ratio persuadet. 6° Eorumdem Patrum auctoritas in genere quæstionum theologicarum quæ ad fidem non spectant, certitudinem non facit. 7° In materiâ fidei vel morum dogmaticâ unius alteriusve Patris non reprobata auctoritas probabilitatem quidem affert, non item certitudinem. 8° Plurium Patrum auctoritas in eâdem materiâ firmum omninò argumentum theologo necdùm præstat, si alii adhùc pauciores reclament; nisi fortè pauciorum sententiam reprobaverit Ecclesia, aut plurium illam probârit. 9° Unanimis consensus Patrum aliquid velut fidei dogma tradentium firmum certumque subministrat fundamentum, illud pro fidei dogmate acceptandi. 10° Iidem cum proportione canones tenent in expositione sacrarum Scripturarum circa illarum sensum à Deo intentum.

» *Observa.* Juvat subindè aut etiam oportet selectum tùm doctrinæ ex Patribus, tùm Patrum pro doctrinâ facere. Pro priori normam dare poterit placitum Vincentii Lirinensis: *Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: antiquitatem verò ità, si ab his nullatenùs sensibus recedamus, quos sanctos majores nostros ac Patres celebrâsse manifestum est: consensionem quoque itidem, si in ipsâ vetus-*

tate omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter ac magistrorum definitiones sententiasque sectemur. Pro posteriori, præter respectum ad qualitates, auctoritatem Patrum universim evehentes, attendere præsertim decet quinam ex Patribus in eo quod delectum postulat argumento maximè et præcipuo cum fructu versati fuerint; quandoquidem tùm exindè tùm ex Ecclesiæ persuasione facilè constet, Patrem hujusmodi ad illius doctrinæ propagationem non minùs quàm defensionem, specialiter à Deo fuisse suscitatum.

DISPUTATIO II.

DE THEOLOGIS ET INTERPRETIBUS.

QUÆSTIO I.

UTRUM THEOLOGIS ET INTERPRETIBUS CONCEDENDA SIT QUÆDAM AUCTORITAS?

Resp. *Affirm.* Siquidem 1. in quâlibet arte doctissimis habenda est fides, cùm nemini meliùs certiùsque contingat cujusque rei cognitio quàm hujus rei peritis. 2. SS. Pontifices et Concilia, etiam generalia, præsertim posteriora, censuerunt judicia theologorum et interpretum esse perscrutanda et observanda in definiendis quæstionibus fidei aut morum. Sæpiùs damnatæ sunt doctrinæ, utpotè recedentes à communi theologorum sensu. Ergo.

QUÆSTIO II.

QUÆNAM SIT EORUM AUCTORITAS?

Resp. 1° Theologorum et interpretum auctoritas est inæqualis; nullius est irrefragabilis: hoc evidens est.

2° Eorum auctoritas non semper crescit numero. Siquidem ubi auctores non sunt simplices testes traditionis aut praxis Ecclesiæ, sed ratiocinantur, valet axioma: non tàm numeranda quàm ponderanda sunt suffragia.

3° Quandò non consentiunt, eorum auctoritas non est absoluta, licèt ex adversâ parte numerus contradicentium sit inferior: ob rationem superiùs allatam, ubi

de SS. Patribus, quæ ratio in quæstione præsenti etiam majori valore gaudet.—Supponimus, ut evidens est, theologos adversantes esse graves et cujusdam ponderis.

4° Auctoritas theologorum et interpretum conspirantium in quâdam quæstione, licèt ab Ecclesiâ nondùm definitâ, tanta est, ut illi contradicere sit *temerarium*. Siquidem satis clara et perspicua potest censeri quæstio, de quâ omnes omnium scholarum sectatores conveniunt. Aliundè gravis imprudentiæ et temeritatis est nolle acquiescere concordi doctissimorum judicio.

5° In rebus quæ indubiè deducuntur è principiis fidei, unanimis theologorum consensus tantâ gaudet auctoritate, ut illi contradicere videatur *hæresi* aut *errori proximum*. Siquidem unanimi theologorum consensu probatur plùs quàm probabiliter rem, de quâ consensus adest, esse revelatam.

Ex dictis concludimus :

1° Theologi et interpretes suggerunt principia theologica, quandò unanimiter consentiunt sive de tali Scripturæ aut Traditionis sensu, sive de quâdam propositione è principiis fidei aut morum clarè et indubiè deductâ.

2° Quandò theologi non consentiunt, sententiæ theologicæ quæ eorum auctoritate nituntur majori aut minori valore gaudent, pro numero, doctrinâ et gravitate theologorum quibus istæ sententiæ propugnantur.

SECUNDA PARS.

DE LOCO

CONCLUSIONUM.

Cùm in scientiâ theologicâ, sicut in quâlibet scientiâ, conclusiones è principiis deducantur per facultatem *logicam*, sub titulo præsenti dicendum est de istâ facultate, et de illâ quærendum: 1° utrùm homo habeat facultatem logicam, 2° utrùm ista facultas applicari possit principiis theologicis ad deducendas conclusiones, 3° in quânam extensione, intra quosnam limites?

QUÆSTIO I.

UTRUM HOMO HABEAT FACULTATEM LOGICAM?

Facultas logica est facultas cujus exercitio conclusiones è principiis legitimè deducuntur et propriis convenientibusque verbis exprimuntur. Undè quæstio proposita sequenti æquivalet.

Utrùm homo habeat facultatem legitimas conclusiones è principiis deducendi, easque propriis verbis exprimendi?

Resp. *Affirm.* Res ità est, si 1° inter ideas existat quidam ordo naturalis et necessarius, si 2° inter entia intersit ordo respondens ordini inter ideas existenti, si 3° inter verba intersit ordo respondens ordini inter ideas et entia existenti. Porro tria hæc sunt certa.

1° Inter ideas existit ordo naturalis et necessarius:

*

Ordo nihil aliud est quàm connexio relationum naturalium inter plura existentium. Undè inter ideas nostras existit ordo, si ideæ nostræ relationibus naturalibus, necessariis, inter se connectantur. Atqui,

1. Inter ideas nostras existunt *relationes*: Sic ideæ sese invicem supponunt, continent, excludunt. — *Se supponunt:* v. g. ideæ effectûs, modificationis, supponunt ideas causæ, substantiæ. — *Se continent*: sive sub respectu extensionis, sive sub respectu comprehensionis. Sub respectu *extensionis*: terminus extenditur ad omnia genera, ad omnes species primarias et secundarias, ad omnia individua quæ in termino comprehenduntur. Sub respectu *comprehensionis:* idea individui complectitur ideam specierum inferiorum, specierum superiorum, et generis. — *Se excludunt:* sic, duo attributa contradictoria aut contraria non possunt affirmari de eodem subjecto sub eodem respectu considerato. 2. Istæ relationes sunt *naturales*, seu oriuntur ex ipsâ idearum naturâ; *necessariæ*, seu nequeunt concipi non existentes. Sic v. g. datâ ideâ *effectûs*, naturaliter et necessariò concipitur idea *causæ*.

2° Inter entia existit ordo respondens ordini inter ideas existenti:

Alioquin dicendum foret omnes ideas et notiones nostras esse merè subjectivas, induceretur proindè Idealismus, cujus falsitatem superiùs probavimus (1ª part. *de Loc. princip.* ubi *de Ratione individuâ*).

3° Inter verba existunt relationes respondentes ordini inter ideas et entia existenti:

Cùm enim verbum sit expressio ideæ, ideæ autem sint expressiones, repræsentationes entium; inter ver-

ba, ut patet, existere debent eædem relationes quæ inter ideas existunt: alioquin idearum communicatio esset inter homines impossibilis.

Concl. Ergo homo potest conclusiones legitimas deducere easque verbis propriis exprimere.

Potest deducere conclusiones: Sic, ex eo quòd ideæ sese mutuò supponant: cùm effectus necessariò supponat causam, dato tali effectu, mens potest concludere, et spontè concludit existentiam causæ.—Ex eo quòd ideæ sese contineant sub respectu extensionis: datâ propositione generali, tot ex illâ possunt concludi propositiones speciales de eodem attributo, quot subjectum comprehendit genera, species et individua.—Ex eo quòd sese contineant sub respectu comprehensionis: datâ propositione quâdam, tot concludi possunt propositiones de eodem subjecto, quot attributum complectitur proprietates essentiales.—Ex eo quòd ideæ sese excludant: affirmatâ quâdam proprietate de quodam subjecto, de illo negari potest proprietas contradictoria aut contraria; negatâ quâdam proprietate, affirmari potest de eodem subjecto proprietas contradictoria.

Istæ conclusiones possunt esse legitimæ: Siquidem oriuntur ex relationibus naturalibus, necessariis, quæ inter ideas existunt, et quæ respondent relationibus inter entia existentibus. Proindè istæ conclusiones gaudent valore objectivo, aliis verbis, sunt legitimæ.

Istæ conclusiones possunt verbis propriis exprimi: cùm relationes inter verba existentes respondeant relationibus inter ideas existentibus.

QUÆSTIO II.

UTRUM FACULTAS LOGICA APPLICARI POSSIT PRINCIPIIS THEOLOGICIS?

Resp. *Affirm.* Principia theologica sunt, alia naturalia, alia supernaturalia. Porro facultas logica principiis utriusque ordinis potest applicari; siquidem inter omnes veritates, cujuscumque sint ordinis, existunt relationes ex ipsâ veritatum naturâ profluentes, quæ relationes sunt ratio et fundamentum exercitii facultatis logicæ.

QUÆSTIO III.

IN QUANAM EXTENSIONE, INTRA QUOSNAM LIMITES FACULTAS LOGICA APPLICARI POSSIT PRINCIPIIS THEOLOGICIS?

Hæc quæstio duplici æquivalet, scilicet: 1° quasnam quæstiones evolvere possit facultas logica, 2° quonam valore gaudeant operationes facultatis logicæ, seu conclusiones deductæ.

§ 1. Quasnam quæstiones evolvere possit facultas logica?

Resp. Facultas logica, conclusiones deducens è principiis naturalibus, evolvit quæstiones sive speculativas, sive practicas theologiæ naturalis. Quandò autem conclusiones deducit è principiis supernaturalibus, evolvit quæstiones sive speculativas, sive practicas theologiæ supernaturalis.

§ 2. Quonam valore gaudeant conclusiones deductæ?

Resp. 1° Sub respectu *objectivo*, conclusio legitimè deducta eodem valore gaudet quo principium.

2° Sub respectu *subjectivo*, valor conclusionis, *in se*

consideratæ, pendet à valore principii et à legitimitate deductionis. Pro diversis casibus conclusio est certa, probabilis aut dubia.

Etenim, vel conclusio fuit deducta per rationem individuam, vel per rationem collectivam theologorum.

In priori casu : si consequentia sit proxima, conclusio est certa, modò principium fuerit aliundè certum, ratio fuerit normalis et conclusioni deducendæ attentè applicata. Si econtrà consequentia sit remota, conclusio non potest haberi pro certâ : in hoc casu, majori aut minori probabilitate gaudet, pro potentiâ intellectuali et attentione theologi ratiocinantis, et proùt consequentia plùs minùsve clarè et proximè fluit à principio.

In posteriori casu: vel etiam theologi consentiunt de conclusione deductâ , vel non. — Si theologi unanimiter consentiant, id est, si conclusio communiter admittatur à theologis, nullo cujusdam ponderis theologo reclamante, conclusio est certa, licèt consequentia fuerit remota. — Si conclusio rejiciatur à quibusdam theologis non minimi ponderis, conclusio non est certa. In hoc casu, valor conclusionis dijudicatur juxta regulas superiùs enuntiatas et juxta pondus theologorum à quibus conclusio admittitur. — Si controversia sit inter theologos de valore conclusionis; vel adsunt ex utrâque parte auctoritates æquales, vel non. Si prius, conclusio est dubia. Si posterius, probabilior est sententia in cujus gratiam pugnant auctoritates graviores.

Not. Diximus : valor conclusionis consideratæ *in se*, seu *in quantùm est conclusio*. Siquidem conclusio potest gaudere valore independenti à valore logico, id est,

à valore quem desumit ex ratiocinatione. Sic v. g. conclusio tenenda est *de fide divinâ*, si clarè contineatur in Scripturâ aut Traditione; aut, licèt obscurè contenta in istis fontibus, si definita fuerit ab auctoritate infallibili. Sic, conclusio theologica, è duabus præmissis revelatis deducta, tenenda est *de fide divinâ* post definitionem Ecclesiæ, licèt ante prædictam definitionem gaudeat tantùm valore logico. Sic conclusiò quædam est *de fide ecclesiasticâ*, si sit factum dogmaticum definitum ab auctoritate ecclesiasticâ infallibili. Etc. (De his fusiùs agetur ubi *de Dogmate in genere*.)

TERTIA PARS.

DE LOCO

METHODI.

Methodus, juxta quam scientia ordinatur, originem habet à facultate *methodicâ*, quæ dici potest fons, *locus* methodi. De prædictâ facultate, quæ in se nihil aliud est quàm facultas logica, sub alio tamen respectu considerata, quærendum: 1° utrùm homo habeat facultatem methodicam, 2° utrùm ista facultas applicari possit quæstionibus theologicis ad ordinandam scientiam, 3° in quânam extensione, intra quosnam limites?

QUÆSTIO I.

UTRUM HOMO HABEAT FACULTATEM METHODICAM?

aliis verbis,

Utrùm homo possit cognitiones suas disponere et exprimere secundùm ordinem naturalem et legitimum?

Resp. *Affirm.* Siquidem, ut suprà vidimus, existit ordo naturalis et necessarius inter nostras ideas, inter entia et inter verba quibus ideæ et entia exprimuntur. Prædictum ordinem homo intellectu percipere, proindè verbis convenientibus exprimere potest.

QUÆSTIO II.

UTRUM PRÆDICTA FACULTAS POSSIT APPLICARI QUÆSTIONIBUS THEOLOGICIS AD ORDINANDAM SCIENTIAM?

Resp. *Affirm.* Quidam nempè naturalis ordo existit inter ideas cujuscumque ordinis.

QUÆSTIO III.

IN QUANAM EXTENSIONE, INTRA QUOSNAM LIMITES?

Hæc quæstio duplici æquivalet, scilicet : 1° quænam sint, 2° quonam valore gaudeant operationes hujus facultatis?

§ 1. Quænam sint operationes facultatis methodicæ?

Resp. Per facultatem methodicam ordo instituitur in toto, ut ità dicam, scientiæ *corpore*, ordo inducitur in partibus principalibus, in partibus secundariis, ultimò in omnibus quæstionibus particularibus. — Ordo instituitur in toto scientiæ corpore : assignato enim scopo, seu fine ultimo scientiæ, determinantur media præcipua ad hunc finem conducentia, ista demùm media coaptantur et disponuntur secundùm ordinem naturalem. — Ordo inducitur in partibus principalibus et secundariis : quâlibet enim parte successivè et juxta suum ordinem assignatâ tanquam fine secundario, determinantur, coaptantur et ritè disponuntur media correlativa et congruentia. — Inducitur in quæstionibus particularibus : datâ enim quæstione, ejus natura et sensus præcisè determinatur, datur quæstionis solutio, quæ ulteriùs explicationum materiam præbet ; ad stabiliendam solutionem, determinantur et juxta naturalem ordinem coaptantur probationes, sive inter se, sive seorsìm sumptæ ; propugnatur thesis : ad quod, adversariorum thesi juxta prædictas regulas propositâ, ista thesis refellitur duplici modo, proùt locus datur, demonstratur scilicet hanc thesim esse 1. malè probatam, 2. falsam : malè probatam, sive quia falso nititur

principio, sive quia conclusiones illegitimè, aut sine ullâ naturali relatione cum thesi fuerunt è principio deductæ; falsam, quia contradicit principiis certis.

§ 2. Quonam valore gaudeant operationes facultatis methodicæ?

Resp. Valor methodi juxta quam scientia ordinatur iisdem regulis dijudicatur, quibus valor operationum facultatis logicæ deducentis conclusiones è principiis. Interest nihilominùs quædam differentia. Valor cujusdam conclusionis theologicæ expendi debet ad normam Scripturæ, Traditionis, decisionum aut fidei Ecclesiæ, doctrinæ theologorum; cùm autem Scriptura, Traditio, Ecclesia nihil statuant, cùm theologi rarissimè pronuntient de methodo juxta quam scientia theologica ordinari debet, recursus ad auctoritates prædictas de valore methodi adhibendæ nunquam aut rarissimè fieri potest.

FINIS TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS.

INDEX ANALYTICUS.

(SECTIO II. — *DE LOCIS SUPERNAT.*)

DISPUTATIO II.

De mediis supernaturalibus à Deo institutis ad dignoscendam, conservandam, interpretandam et evolvendam revelationem,

præcipuè

De Ecclesiâ Christi.

Omni tempore debuerunt existere et factò exstiterunt media certa ad dignoscenda et interpretanda monumenta per quæ transmittitur revelatio 1
Diversa fuêre pro diversis religionis statibus . . . . *ibid.*
1° *In statu religionis primitivæ*, unum erat medium, situm videlicet in quodam actu speciali Dei providentis ad integram revelationis transmissionem . . . . . *ibid.*
2° *Sub lege mosaïcâ*, integræ transmissioni et explicationi revelationis providerat Deus per ministerium sacerdotale et per ministerium propheticum 2
3° *Sub lege christianâ*, controvertitur inter catholicos et acatholicos quænam fuerint media instituta 4
Indicatur status quæstionis . . . . . *ibid.*

De auctoritate doctrinali Ecclesiæ.

QUÆSTIO I.

Utrùm ecclesia sit locus principiorum ?

Resp. *Affirmativè* 6
Ad quod probandum, duplex propositio probanda. . . *ibid.*

PROPOSITIO I.

Ministerium catholicum est in docendo infallibile ; ecclesia catholica est in credendo indefectibilis.

Propositio probanda et explicanda. . . . . *ibid.*

PROBATIONES. — *I. DIRECTÆ.*

Prob. I. *Argum. theologico.*

I^a PARS ARGUM.
Christus, verè à Deo missus,
1° *Instituit ecclesiam* 7
Ecclesiam unam. 9
Ecclesiam perpetuam. 10
2° *Præfecit ecclesiæ ministerium permanens*. 12
3° *Concessit ministerio infallibilitatem in doctrinâ*. . . 15
Concessit ecclesiæ indefectibilitatem in fide 18
CONCLUS. Nunc ergo existit ministerium, et unum tantùm ministerium, quod in doctrinâ fallere; existit ecclesia, et una tantùm, quæ in fide deficere non potest . . . 19
II^a PARS ARGUM.
Porro I° *Ministerium catholicum est unicè verum ministerium à Christo institutum* . . . . . *ibid.*
Ministerium catholicum fuisse verè à Christo institutum, et unicum esse verum ministerium deducitur ex probatione sequentium propositionum :
§ 1.—*Ministerio necessaria est divina missio, vestita propriis characteribus quibus illud ministerium modo visibili distinguatur à quolibet alio ministerio*. 20
§ 2.—*Missio potest esse immediata, vel mediata; alterutra sufficit* 21
§ 3.—*Missio immediata iisdem dignoscitur notis quibus probatur divinitas alicujus doctrinæ; specialiter prophetiis, miraculis*. 22
§ 4.—*Mediatæ missionis notæ sunt: apostolicitas originis, apostolicitas proprietatum*. . . . . *ibid.*
I. *Probatur* 1° apostolicitatem originis esse notam. . *ibid.*
2° Item et apostolicitatem proprietatum. 23
II. Ad *explicationem* quæritur: 1° quænam requirantur conditiones ut ministerium dici possit apostolicum ratione originis ? . . . . . *ibid.*
R. Requiritur ut ministerium gaudeat potestate episcopali . 24
Proindè ut membra ministerii receperint consecrationem

episcopalem validam, et canonicam institutionem quoàd effectus permanentem. Probatur 1. argum. *generali*, 2. argum. *specialibus*, potestatem episcopalem pendere à validâ consecratione, et potestatem jurisdictionis pendere ab institutione canonicâ quoàd effectus permanente. 27
Assignantur modus quo acquiritur jurisdictio, et causæ quibus amittitur. 33
Quær. 2° quænam requirantur conditiones ut ministerium dici possit apostolicum ratione proprietatum? . . . *ibid.*
R. Requiritur I. ut *facto* sit:
1° *Unum*. 34
1° *Quoàd corpus*, id est,
1. Requiritur coadunatio in unum corpus. . . . . *ibid.*
2. Quæ coadunatio pendet à subjectione cujusque membri erga ministerium collectivè sumptum, specialiter erga S. Pontificem. . . . . *ibid.*
Siquidem, unitas externa societatis pendet à subjectione membrorum erga potestatem; porro,
1. Ministerium collectivè sumptum gaudet plenitudine potestatis apostolicæ. 35
2. S. Pontifex est caput corporis ecclesiæ;—quod probatur duplici argum. theologico, et traditione. 36
Pr. 1.—B. Petrus erat caput ecclesiæ . . . . . *ibid.*
S. Pontifex successor est B. Petri. 39
Pr. 2, deducta ex necessitate capitis supremi et permanentis. 41
Pr. 3, ex Traditione: factis. 42
testimoniis SS. PP. 44
testimoniis Conciliorum. 45
Requiritur ut ministerium sit *unum*,
2° *Quoàd doctrinam* 46
Requiritur ut sit
2° *Catholicum*:
1° Quoàd jura 47
2° Quoàd doctrinam 48
3° Quoàd loca. 49

Requiritur ut sit
3° *Sanctum*. 50
Requiritur II. ut *jure* gaudeat prædictis proprietatibus. *ibid.*
§ 5.— *Nulli ministerio competunt notæ missionis immediatæ*. 51
Probatur notas à Protestantibus laudatas in gratiam suæ missionis immediatæ nullius esse momenti. . . . . *ibid.*
§ 6.—*Ministerio catholico competunt facto et jure omnes notæ missionis mediatæ:* aliis verbis,
1° Est visibile. 54
2° Est apostolicum *ratione, originis*, seu gaudet plenitudine potestatis apostolicæ. . . . . *ibid.*
3° Est apostolicum *ratione proprietatum*, seu gaudet unitate, catholicitate, sanctitate. 57
§ 7. — *Ministerium catholico-romanum solum possidet notas missionis mediatæ*. 58
Probatur ministeria Græcorum, Anglicanorum, Lutheranorum, Presbyterianorum prædictis notis carere. . . *ibid.*
Corol. Ministerium catholicum judex est supremus et infallibilis controversiarum. 64

II° Ecclesia catholica est unicè vera ecclesia indefectibilis à Christo instituta. 65
Veritas hujus propositionis deducitur ex sequentibus:
§ 1.—*Ecclesiæ veræ necessaria est institutio divina, vestita propriis characteribus quibus ista societas modo visibili distinguatur à quâlibet aliâ societate;* — probatur propositio. 66
§ 2.—*Institutio potest esse immediata, vel mediata; alterutra sufficit*. 67
§ 3.—*Institutio immediata iisdem dignoscitur notis quibus probatur divinitas alicujus doctrinæ*. . . . . *ibid.*
§ 4.—*Mediatæ institutionis notæ sunt: apostolicitas originis, apostolicitas proprietatum*. . . . . *ibid.*
I. Probatur propositio. . . . . *ibid.*
II. Ad *explicationem* quær. 1° quænam conditiones requirantur ut ecclesia dici possit apostolica *ratione originis?* — Requiritur et sufficit ut ecclesia uniatur ministerio apostolico. 68

Quær. 2° quænam conditiones requirantur ut ecclesia dici possit apostolica ratione proprietatum? 68
R. Requiritur ut *facto* sit :
1° *Una:* — 1. quoàd corpus, — 2. quoàd fidem . . . . *ibid.*
2° *Catholica:* — 1. quoàd jura, — 2. quoàd doctrinam, — 3. quoàd loca 70
3° *Sancta:* — 1. sanctitate doctrinæ, — 2. sanctitate membrorum 72
Requiritur ut *jure* gaudeat prædictis notis. . . . . *ibid.*
§ 5. — *Nulli ecclesiæ competunt notæ institutionis immediatæ.* 73
§ 6. — *Ecclesiæ catholico-romanæ competunt notæ institutionis mediatæ:* Siquidem
1° Ecclesia romana est visibilis. . . . . *ibid.*
2° Est apostolica ratione originis . . . . . *ibid.*
3° Est apostolica ratione proprietatum, aliis verbis, est 1. una, 2. catholica, 3. sancta, sub diversis respectibus assignatis. 74
§ 7. — *Ecclesiæ catholico-romanæ unicè competunt notæ institutionis mediatæ.* 77
Probatur nec ullam societatem particularem, — nec societatem generalem omnibus societatibus christianis conflatam per professionem *articulorum fundamentalium*, possidere notas veræ ecclesiæ Christi. . . . . *ibid.*

Prob. II. *Argum. ration.*

I. Le ministère catholique est infaillible : En effet 82
1° J.-C. a établi un ministère religieux. . . . . *ibid.*
2° Il a doué ce ministère d'infaillibilité. 84
3° Ce ministère est le ministère catholique : car. . . . . *ibid.*
1. Le ministère établi par J.-C. doit être le plus parfait de tous . . . . . *ibid.*
2. De tous les ministères existants, le ministère catholique est le plus parfait. . . . . *ibid.*
Ses propriétés, ses attributions, ses moyens d'action, ses œuvres sont parfaitement accommodés à la fin qu'il doit atteindre 85

Aucun autre ministère ne possède les mêmes avantages : ni le ministère grec, ni les ministères protestants. 87
II. L'Eglise catholique est indéfectible. 92

II. PROB. INDIRECTA.

Probatur negationem infallibilitatis ministerii catholici, indefectibilitatis ecclesiæ catholicæ inducere scepticismum universalem. . . . . *ibid.*

EXPLICATIO.

Indicatur ordo quæstionum 95
Iª PARS. *Explic. de infallibilitate ministerii.* 96
I. De subjecto infallibilitatis.—Quær. Ad quos pertineat auctoritas doctrinalis infallibilis, seu. . . . . *ibid.*
§ 1.—*Ad quos pertineat auctoritas doctrinalis?* . . . *ibid.*
Probatur auctoritatem doctrinalem pertinere 1. ad episcopos seorsim sumptos, 2. ad episcopos collectivè sumptos, 3. ad S. Pontificem; et ad prædictos tantùm. . *ibid.*
§ 2.—*Penes quos auctoritas doctrinalis sit infallibilis?* . 97
1ª Ppo.—Certum est et de fide auctoritatem doctrinalem residere infallibilem apud episcopos collectivè sumptos, sive congregatos in Concilio generali, sive dispersos. 98
1° *Probatur* propositio. . . . . *ibid.*
2° *Explicantur* 1. conditiones requisitæ ut concilium sit generale. . . . . *ibid.*
2. Conditiones requisitæ ut decisio ecclesiæ dispersæ sit infallibilis 106
2ª Ppo.— Certum est auctoritatem doctrinalem infallibilem non pertinere ad episcopos, sive individualiter sumptos, sive congregatos in Concilio particulari. . . 107
Corollaria . . . . . *ibid.*
3ª Ppo.—Communiter admittitur R. Pontificem *ex cathedrâ* docentem esse infallibilem 108
Exponitur status quæstionis. . . . . *ibid.*
Probatur propositio 1. *directè*. 110
Probatur 2. *indirectè* 118
II. De objecto infallibilitatis. — Quæritur quibusnam de causis auctoritate doctrinali gaudentes possint 1. statuere, 2. infallibile judicium ferre? 134

Quæst. 1ª. Quibusnam de causis Concilium generale et ecclesia dispersa possint statuere, etc. 135
R. 1ª Ppo.—Concilio generali et ecclesiæ dispersæ nulla specialis competit auctoritas ad judicandum de causis merè scientificis 136
2ª Ppo.—Concilio generali et ecclesiæ dispersæ competit jus ferendi judicium circa facta particularia. Ista judicia non sunt equidem infallibilia; de iis nihilominùs appellare non licet 137
3ª Ppo.—Concilio generali et ecclesiæ dispersæ competit jus ferendi judicium circa omnia quæ ad revelatæ doctrinæ depositum pertinent, Ista judicia sunt infallibilia. 138
Corollaria.—Ergo 1. ecclesia infallibili judicio potest statuere de canonicitate et inspiratione Librorum S. . . 139
Ergo 2. quandò ecclesia definit *de fide* quamdam veritatem, veritas tenenda est de fide . . . . . *ibid.*
Ergo 3. ecclesia potest infallibili judicio condemnare doctrinas contradicentes veritati revelatæ. —Probatur judicia ecclesiæ esse infallibilia, sive propositiones damnentur in specie, sive damnentur in globo. . . . . *ibid.*
Ergo 4. ecclesia potest infallibiliter statuere de iis quæ pertinent ad suam internam constitutionem 141
4ª Ppo.—Concilio generali et ecclesiæ dispersæ competit jus infallibili judicio statuendi
1° Circa disciplinam generalem . . . . . *ibid.*
2° Circa facta dogmatica 142
3° Circa sanctorum canonizationem 145
Quæst. 2ª. Quibusnam de causis R. Pontifex statuere possit? 148
Quæst. 3ª. Quibusnam de causis Concilia particularia et Episcopi seorsim sumpti? . . . . . *ibid.*

IIª PARS.—*Explicatio de indefectibilitate ecclesiæ* . . . 149
I. De subjecto indefectibilitatis.—Quær. quodnam sit? . *ibid.*
Explicatio.— Utrùm indefectibilitas pertineat ad animam, an verò ad corpus ecclesiæ? . . . . . *ibid.*
Determinatur in genere quinam sint de corpore ecclesiæ. 150
Probatur in specie de corpore ecclesiæ non esse: 1. infi-

deles nequidem catechumenos, 2. hæreticos publicos, 3. schismaticos publicos, 4. excommunicatos denuntiatos. 150
Corol.— Ergo 1. de corpore ecclesiæ non sunt omnes et soli prædestinati 153
Ergo 2. nec omnes et soli justi 154
II. De objecto indefectibilitatis.—Quæritur quodnam sit? *ibid.*

PROPOSITIO II.

Eo ipso ecclesia dici potest locus principiorum.

Probatur propositio. 155

QUÆSTIO II.

Utrùm ecclesia functiones habeat in theologiâ, et quasnam?

Resp. affirmativ. probatur, et assignantur functiones . . 156

APPENDIX *ad totam sectionem II de locis supernaturalibus.* — De usu theologico Scripturæ S., Traditionis, decisionum et fidei ecclesiæ 157

SECTIO III.

DE LOCIS MIXTIS.

DISPUTATIO I.

De Sanctis Patribus.

Prævià datur notio SS. Patrum, et definitur status quæstionis. 162
Quær. I. Utrùm SS. Patribus concedenda sit quædam auctoritas? 163
Quær. II. Quænam sit SS. Patrum auctoritas? . . . 164
APPENDIX.—Cautelæ et regulæ pro intelligentiâ, canones pro usu theologico SS. PP. 167

DISPUTATIO II.

De Theologis et Interpretibus.

Quær. I. Utrùm ipsis concedenda sit quædam auctoritas? 171
Quær. II. Quænam sit eorum auctoritas? . . . . . *ibid.*

SECUNDA PARS.

DE LOCO CONCLUSIONUM.

Agitur de facultate logicâ 173
Quær. I. Utrùm homo habeat facultatem logicam? . . *ibid.*
Quær. II. Utrùm ista facultas applicari possit principiis theologicis ad deducendas conclusiones? 176
Quær. III. In quânam extensione, intra quosnam limites applicari possit; seu, 1° quasnam quæstiones possit evolvere, 2° quonam valore gaudeant conclusiones? . . *ibid.*

TERTIA PARS.

DE LOCO METHODI.

Agitur de facultate methodicâ 179
Quær. I. Utrùm homo habeat facultatem methodicam? . *ibid.*
Quær. II. Utrùm ista facultas possit applicari quæstionibus theologicis ad ordinandam scientiam? . . . . *ibid.*
Quær. III. In quânam extensione, intra quosnam limites applicari possit; seu, 1° quænam sint operationes facultatis methodicæ, 2° quonam valore gaudeant istæ operationes? 180

DE EUCHARISTIA.

DE EUCHARISTIA.

DE EUCHARISTIA.

Eucharistia est sacramentum simul et sacrificium. Titulus præsens *De Eucharistiâ* subjacet titulo superiori *De causis secundariis gratiæ*. Porro inter causas secundarias gratiæ comprehenduntur sacramenta, ut jàm probatum est; dicendum ergo primo loco de *sacramento* Eucharistiæ. Cùm autem sacrificium, ut ex infrà dicendis constabit, sit etiam causa gratiæ secundaria, et aliundè, propter affinitatem materiæ, à sacramento separari non possit, de *sacrificio* tractandum est secundo loco.

DISPUTATIO I.

DE SACRAMENTO

EUCHARISTIÆ.

Eucharistiam definit Ecclesia: *sacramentum in quo corpus et sanguis, proindè anima et divinitas Christi, permanenter continentur sub speciebus panis et vini ad spiritualem animæ refectionem.*

Dicimus: *sacramentum;* quæ vox suprà explicata est sub titulo *de Sacramentis in genere.* — *In quo continentur corpus, proindè anima et divinitas Christi:* Vi verborum consecrationis panis et vinum convertuntur in corpus et sanguinem Christi. Cùm autem Christus resurgens jàm non moriatur, cum corpore simul adest et anima; et, quia in Christo divinitas est in æternum unita humanitati, humanitatem comitatur divi-

nitas. — *Sub speciebus panis et vini:* Nam in confectione Eucharistiæ substantia panis et vini convertitur in corpus et sanguinem Christi, manentibus tantùm prædictarum substantiarum speciebus seu apparentiis. Quæ conversio appellatur *transsubstantiatio.* — *Permanenter:* Christus enim manet sub speciebus panis et vini, quamdiù species non apparent corruptæ. — *Ad spiritualem animæ refectionem:* Siquidem Eucharistia est alimentum divinum quo conservatur et augetur in homine vita supernaturalis.

Hujus definitionis veritas apparebit ex infrà dicendis.

I.

PARS DOGMATICA.

Dicendum 1° de institutione, 2° de conditionibus, 3° de effectibus sacramenti Eucharistiæ.

CAPUT I.

DE INSTITUTIONE.

De hâc parte tria quæruntur: 1° utrùm Christus instituerit, seu, quod idem est, utrùm existat in Ecclesiâ sacramentum Eucharistiæ in sensu suprà definito; 2° quandò; 3° quomodò Christus illud instituerit?

QUÆSTIO I.

Utrùm Christus instituerit, seu, *utrùm existat sacramentum Eucharistiæ?*

Resp. Existit in Ecclesiâ sacramentum Eucharistiæ

in sensu suprà definito; seu, quod idem est, Christus instituit sacramentum Eucharistiæ.

Prob. Vera responsio, si 1° Eucharistia contineat corpus et sanguinem, — proindè animam et divinitatem Christi, — modo permanente, — vi transsubstantiationis, — ad spiritualem animæ refectionem;

Si 2° præsentia Christi in Eucharistiâ cum conditionibus prædictis verum constituat sacramentum. Atqui,

PROPOSITIO I.

Eucharistia continet corpus et sanguinem Christi, — proindè animam et divinitatem,— modo permanente,— vi transsubstantiationis,— ad spiritualem animæ refectionem.

§ 1. — Eucharistia continet corpus et sanguinem Christi.

Præsentiam realem Christi in Eucharistiâ negârunt implicitè in primis sæculis Docetæ, qui, agnoscentes in Christo corpus solummodò phantasticum, præsentiam realem corporis et sanguinis Christi in Eucharistiâ admittere non poterant.

Negârunt explicitè: XI° sæculo, Berengarius Ecclesiæ Andegavensis archidiaconus; XII° sæculo, Petrus de Bruis, et Henricus: fatebantur quidem Christum in ultimâ cœnâ panem in corpus et vinum in sanguinem convertisse, sed negabant potestatem convertendi panem et vinum in corpus Christi Apostolis eorumque successoribus fuisse concessam; XVI° sæculo, Carlostadius, Zuinglius et Œcolampadius, juxta quos sensus verborum Christi in ultimâ cœnâ hic est: hoc *significat* corpus meum; Calvinus qui docet Eucharistiam esse repræsentationem corporis Christi, vim habentem

præstandi virtutem ex corpore Christi manantem iis qui cum verâ fide Eucharistiam accipiunt.

Contra quos hæreticos Ecclesia affirmat realem præsentiam corporis et sanguinis Christi in Eucharistiæ sacramento.

Probatur præsentia realis 1° *directè*, Scripturâ, Traditione, auctoritate Ecclesiæ; 2° *indirectè*, objectionum refutatione.

PROBATIONES DIRECTÆ.

I.—Prob. ex Scripturâ.

Prob. I. Verbis promissionis. — Promissio Eucharistiæ habetur apud Joannem, cap. 6. In isto capite pars triplex distingui potest : prima à vers. 1 ad 26 : in eâ agitur de pane communi, seu de multiplicatione panum, ex omnium consensu ; secunda à vers. 26 ad 51, quæ ab omnibus explicatur de pane fidei, seu de fide in Jesum Christum; tertia à vers. 51 ad 64, in quâ quæstio est de pane sacramentali juxta catholicos, de pane fidei juxta adversarios.

Hæc sunt verba S. Joannis ad ultimam partem spectantia : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum : et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vitâ. Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes : quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen, dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro*

enim mea verè est cibus : et sanguis meus verò est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Hæc dixit in synagogâ docens, in Capharnaüm. Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt : durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filium Hominis ascendentem ubi erat priùs? Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.

Undè sic argumentari licet : textus citati, in sensu proprio et naturali intellecti, exprimunt promissionem corporis et sanguinis Christi. Ergo Christus promisit, ac proindè concessit Ecclesiæ præsentiam realem corporis et sanguinis sui, si verba prædicta intelligenda sint in sensu proprio et naturali ; atqui res ità est. Nam 1. nulla est ratio ea intelligendi in sensu metaphorico ; 2. plures econtrà sunt rationes ea intelligendi in sensu proprio.

1° Nulla est ratio intelligendi ea in sensu metaphorico : Siquidem sensus naturalis nec contradicit Scripturæ, Traditioni, doctrinæ aut fidei Ecclesiæ, cùm econtrà dogma præsentiæ realis his auctoritatibus affirmetur, ut constabit ex dicendis. Nec contradicit rationi : Equidem ratio sibi derelicta non probat possibilitatem præsentiæ realis, sed nec impossibilitatem probare potest.

2° Plures econtrà sunt rationes textus prædictos intelligendi in sensu naturali :

Nam 1. ex unâ parte Judæi et discipuli intellexerunt verba Christi in sensu naturali, ex alterâ parte Christus, nedùm improbet, econtrà confirmat interpretationem Judæorum et discipulorum, ergo. — Judæi intellexerunt verba Christi in sensu naturali : *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Item discipuli: *Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt: durus est hic sermo et quis potest eum audire?*— Christus confirmat interpretationem Judæorum ; eos enim alloquens ait : *Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii Hominis et biberitis ejus sanguinem , non habebitis vitam in vobis.* Quibus verbis, ut evidens est, Christus confirmat interpretationem Judæorum. — Confirmat interpretationem discipulorum : his enim verbis eos alloquitur : *Si ergo videritis Filium Hominis ascendentem ubi erat priùs ;* quasi diceret : « Impossibilis vobis videtur manducatio corporis mei , magis impossibilis vobis videbitur ascensio corporis mei in cœlum ; ejus tamen testes eritis, eamque credetis : à pari credite mysterium quod vobis propono ; » vel « quandò testes eritis meæ Ascensionis, tunc persuasum erit vobis de summâ meâ potentiâ et veracitate ; credite ergo sermonem meum. »

2. Verba Christi intelligenda sunt in sensu naturali, seu de pane sacramentali, si non possint intelligi de pane fidei. Atqui res ità est. 1. Christus in cap. 6 Joannis, distinguit inter panem à Patre datum et panem quem ipse daturus est hominibus : *Pater meus dat vobis*

panem de cœlo verum... Panis quem ego dabo caro mea est. Undè sic : Panis datus à Patre est panis fidei, ut constat ex versiculis 27 ad 32, et fatentur adversarii, ergo panis à Filio præstandus hominibus non est panis fidei. — 2. Novus est panis quem Filius daturus est, *panis quem ego dabo ;* ergo differt à pane fidei, cùm mysterium Incarnationis primis parentibus revelatum, et patriarchis iterùm pluriès manifestatum, jamdiù à Patre hominibus traditum fuerit. — 3. Inter verba suprà citata et verba institutionis Eucharistiæ, perfecta existit analogia. In textibus enim suprà citatis hæc ait Christus : *Caro mea verè est cibus, sanguis meus verè est potus... Punis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ... Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Sequentibus autem verbis Eucharistiam instituit : *Hoc est corpus meum,* (Matth. 26, 26, et Marc. 14, 22.) S. Lucas 22, 19, addit : *quod pro vobis datur.* Apud Matth. 26, 28 et Marc. 14, 24 : *Hic est sanguis novi et æterni testamenti.* Apud Lucam 22, 20 : *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo qui pro vobis fundetur.* Undè sic : Ex illâ analogiâ concludi potest de eodem agi mysterio in tertiâ parte capitis B. Joannis et in verbis institutionis. Ergo textus Joannis intelligendi sunt in sensu naturali, seu de pane sacramentali, si verba institutionis in eodem sensu intelligenda sint. Atqui rem ità esse ostendemus in probatione sequenti.

Prob. II. Verbis institutionis. — Matth. 26, 26 : *Cœnantibus eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis et ait : accipite et manducate, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem,*

gratias egit et dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Undè sic: Textus citatus, si in sensu naturali accipiatur, exprimit præsentiam realem Christi in Eucharistiâ. Ergo admittendum est dogma præsentiæ realis, si textus in sensu naturali intelligi debeat. Atqui res ità est, cùm nulla sit ratio illum interpretandi in sensu metaphorico, pluresque sint econtrà rationes positivæ illum interpretandi in sensu naturali.

Nulla est ratio textum interpretandi in sensu metaphorico: ob probationes superiùs allatas.

Plures sunt econtrà rationes sensum metaphoricum rejiciendi, et naturalem admittendi: Siquidem sensus metaphoricus contradicit sanctitati et bonitati, sapientiæ Christi. — Sanctitati et bonitati: Cùm enim sensus naturalis in verbis citatis sit obvius, discipuli verba Christi in hoc sensu interpretari debuerunt. Christus ergo ea proferendo in sensu metaphorico præbuisset causam, aut saltem absque ratione sufficienti, occasionem erroris. Atqui error iste induxisset discipulos amicos suos, Ecclesiam sponsam suam, ad fidem præsentiæ realis, adorationem Eucharistiæ, proindè ad actus idololatricos; quod repugnat sanctitati et bonitati Christi. — Sapientiæ: Christus enim in institutione Eucharistiæ dogma proponebat, fatentibus adversariis; legem instituebat: *hoc facite in meam commemorationem;* testamentum conficiebat: *hic est sanguis meus novi testamenti.* Ergo clarè et perspicuè loqui tenebatur. Alioquin dogma fuisset incertum, nec proindè credendum; lex fuisset dubia, nec proindè observanda; testamentum fuisset

obscurum, nec proindè jura ab ipso concessa fuissent certò et tutò acquisita. Porro tamen, nedùm clara, perobscura essent verba institutionis, si metaphorico sensu essent intelligenda, cùm sensus naturalis sit obvius.

Prob. III. Verbis Apostoli. — I Cor. 10, 16: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* I Cor. 11, 27: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.*

Undè sic: Nulla est ratio interpretandi in sensu metaphorico verba citata, ergo accipienda sunt in sensu naturali; porro sensus eorum naturalis exprimit et supponit præsentiam realem. Exprimit: *Calix cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* etc. Supponit: *Qui enim manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini.* Porro hæc profanatio corporis et sanguinis Christi impossibilis est in se, sublatâ præsentiâ reali, ut evidens est. Impossibilis est etiam ex principiis adversariorum. Hic enim habemus adversarios Calvinistas, juxta quos homo fidem habens semper dignè communicat, seu participat virtutem manantem ex corpore Christi, dùm absque fide nullo modo potest communicare. Undè, vel communicans fidem habet, et dignè communicat; vel fidem non habet, et nullo modo communicat. Ergo, juxta adversariorum principia, impossibilis est profanatio corporis et sanguinis Christi.

II. — Prob. ex Traditione.

Tempore Calvini dogma catholicum de præsentiâ reali admittebatur ab Ecclesiâ Orientali et Occidentali. A tempore Calvini ad Christum istud dogma non fuit inventum. — Ergo fuit à Christo revelatum. — Ergo ut veritas divina est admittendum.

Prob. ant. p. p. 1ª *Pars.* — Tempore Calvini dogma catholicum de præsentiâ reali admittebatur; — ab Ecclesiâ Occidentali, fatentur adversarii; — ab Ecclesiâ Orientali: sic enim novis hæreticis de fide Græcorum interrogantibus rescripsit, anno 1570, Jeremias patriarcha Constantinopolitanus: *Multa de vobis referuntur quæ à nobis nullo pacto probari possunt. Ecclesiæ igitur sanctæ illud judicium est, in sacrâ cœnâ, post consecrationem et benedictionem, panem in illud ipsum corpus Jesu Christi et vinum in illum sanguinem virtute Spiritûs Sancti transire et immutari.* Aliundè idem constabit ex dicendis infrà de liturgiis Græcorum.

Pr. 2ª *Pars.* — A tempore Calvini dogma præsentiæ realis non fuit inventum:

Si enim innovatum fuisset, vel à Christianis, vel ab Apostolis. Atqui neutrum dici potest.

I. Non fuit innovatum à Christianis: 1º Christiani non innovârunt; 2º imò non potuerunt innovare.

I. Non innovârunt Christiani:

Girea dogma præsentiæ realis non fuit innovatum, si dogma istud fuerit à primis sæculis in Ecclesiâ admissum. Porro hoc constat 1. factis, 2. testimoniis Patrum, 3. liturgiis.

1º *Factis.* Duplici facto, 1. lege Christianis impositâ

de secreto servando circa fidei mysteria, præcipuè circa mysterium eucharisticum, 2. calumniis ethnicorum contra christianos.

Lege secreti. — Hujus legis existentia partim deducitur ex ignorantiâ paganorum de mysteriis christianis et calumniis quibus christianos oppugnabant; partim et præcipuè probatur testimoniis Patrum, specialiter Origenis, Tertulliani, SS. Gregorii Nazianz., Basilii, Cyrilli Hierosol., etc. (1).

(1) Celso christianis exprobranti secretum et *clancularium* vocanti eorum doctrinam, Origenes, contr. Cels. l. I, n. 7, prius ostendit prædicationem christianam non esse quoàd omnia occultam, dein addit: *Cæterum esse quædam reconditiora, nec omnibus retecta, id christianæ doctrinæ commune est cum philosophiâ, ubi quædam exteriora, quædam etiam interiora sunt. Nec Græcis unquam nec barbaris vitio datum est, quod sua mysteria occultarent. Perperam igitur, nec accuratè quæ sint christianorum occulta mysteria intelligens, illa criminatur.* Idem, homil. 9 in Leviticum, loquens de Eucharistiâ: *Novit qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei. Non ergo immoremur in his quæ et scientibus nota sunt, et ignorantibus patere non possunt.*

Tertullianus, Apologet. c. 7, repellens calumnias paganorum de *sacramento infanticidii*, aliisque criminibus contra christianos allatis ait: *Si semper latemus, quandò proditum est quod admittimus? Imò à quibus prodi potuit? Ab ipsis enim reis non utique, cùm vel ex formâ omnibus mysteriis silentii fides debeatur... Si ergo non ipsi proditores sui, sequitur ut extranei, et undè extraneis notitia?* Idem, in lib. II ad uxorem, c. 5, supponit tanquàm factum legem secreti, cùm eâ utatur ad deterrendam uxorem suam à novis nuptiis cum infideli. *Hoc est*, ait, *delictum, quòd gentiles nostra noverunt... Non sciet maritus quid secretò ante omnem cibum gustes? Et, si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur.*

Eodem ratiocinio mulierem christianam hortatur S. Zeno, Veronensis episcopus, l. I, tract. 5, de contin. ad non nubendum cum viro infideli: *Quid, quod illius sacrificium publicum est, tuum*

Atqui lex secreti supponit dogma præsentiæ realis. Siquidem absque ratione, imò contra rationem lata fuisset ista lex, si Christiani præsentiam realem non admisissent. Lata fuisset absque ratione : negato enim dogmate præsentiæ realis, Eucharistia nihil aliud est quàm mera repræsentatio, et Missa mera commemoratio Christi ; porro in Eucharistiâ sic intellectâ nihil

secretum? Illius à quovis liberè tractari potest, tuum etiam à christianis ipsis minimè consecratis (catechumenis) *sine sacrilegio videri non potest.*

S. Gregorius Nazianz. orat. 45 : *Nec ad exteros magna nostrorum mysteriorum pars efferenda est.* S. Basilius, de Spirit. Sanct. c. 27, loquens de ritibus ex Apostolorum traditione receptis, *Nonne*, inquit, (hæc omnia habemus) *ex minimè publicata et arcana hâc doctrina, quam Patres nostri silentio quieto minimèque curioso servarunt? Quippe illud probè didicerant, mysteriorum reverentiam silentio conservari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conveniebat horum doctrinam scriptis vulgari?* Et infrà : *Ad eumdem modum* (quo Moyses non omnia quæ erant in templo passus est omnibus esse pervia), *et qui initio certos Ecclesiæ ritus præscripserunt Apostoli et Patres, in occulto silentioque mysteriis suam servavêre dignitatem.*

S. Cyrillus Hierosol. catech. 6: *Hæc mysteria quæ nunc tibi patefacit Ecclesia ex catechumenorum sorte transgresso, gentilibus exponere mos non est. Non enim gentili, quæ Patrem, Filium et Spiritum Sanctum spectant mysteria declaramus ; neque catechumenis coram de mysteriis palàm loquimur : sed multa sæpè tectè dicimus, ut qui norunt fideles intelligant ; qui verò nesciunt, non lædantur.* Similia tradit in procatech. ad fin.

S. Epiphanius, hæres. 42, n. 3, Marcionitas insulæ Cypri reprehendit eo quòd celebrarent mysteria coram catechumenis.

Existentiam legis secreti testantur etiam S. Ambrosius, de myster. c. 1, et lib. de Abrahamo ; S. Gaudentius, serm. 2 et serm. 5 ; S. Joan. Chrysostomus, homil. 60 in I Cor., et homil. 18 in II Cor. ; S. Innocentius I in ep. ad Decent. apud Dom Coustant ; S. Augustinus, tract. 11, tract. 12 et 96 in Joan., etc., etc.— De lege secreti vid. inter alia opera, *Discussion amicale* à D. Trévern, t. I, lettre 8e.

poterat offendere paganos, nihil prorsùs ipsis occultandum erat. Contra rationem : nam absque motivo rationabili Ecclesia fideles objecisset calumniis et persecutionibus.

Calumniis. — Qui Apologiam pro Christianis scripserunt, Justinus, Tertullianus, Minutius Felix, Athenagoras, etc., testantur Christianos fuisse à gentilibus accusatos criminis infanticidii in cæremoniis religiosis perpetrati (1). Porro hæc calumnia evidenter oritur ex corruptione dogmatis de præsentiâ reali.

2° *Testimoniis Patrum.* Brevitatis causâ sequentia seligimus quia sufficiunt ad probandam thesim.

Sæculo II. S. Ignatius, ep. ad Smyrnenses, c. 7, de quibusdam hæreticis ait: *Ab Eucharistiâ et oratione abstinent, eo quòd non confiteantur Eucharistiam carnem esse Salvatoris nostri Jesu Christi quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater suâ benignitate suscitavit.*

S. Justinus, Apolog. 1 ad Antonin. Imper. scripta circa an. 150, sic loquitur de Eucharistiâ n. 66: *Non ut communem panem neque ut communem potum hæc sumimus. Sed, quemadmodùm per verbum Dei caro factus est Jesus Christus, Salvator noster, et carnem et sangui-*

(1) Tertullianus, Apolog. c. 7 : *Dicimur sceleratissimi, de sacramento infanticidii, et pabulo, et post convivium incesto.* Cœcilius apud Minutium : *Infantis sanguinem silienter lambunt, hujus certatim membra dispertiunt, hâc fœderantur hostiâ.* S. Justinus in dial. cum Tryphone: *An vos etiam de nobis creditis homines nos vorare...* Idem tradit Athenagoras in apolog. pro christian. Theophilus ad Autolicum, lib. III: *Istud prætereà, et crudelissimum et immanissimum est, quod nobis intendunt crimen, nos humanis carnibus vesci.*

nem salutis nostræ causa habuit; ità etiam eam, in quâ per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, undè sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem et sanguinem esse edocti sumus.

Sæc. III. S. Irenæus contra hæres. lib. 4, cap. 34 : *Quomodò autem rursùs dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quæ à corpore Domini et sanguine alitur?* Et, paulò infrà : *Quemadmodùm enim qui est à terrâ panis percipiens vocationem Dei, jàm non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrenâ et cœlesti; sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, jàm non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.*

Tertullianus lib. de resurrect. carn. c. 8 : *Caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.*

Origenes homil. 5, in diversa loca Evangelii : *Quandò sanctum cibum illudque incorruptum accipis epulum, quandò vitæ pane et poculo frueris, manducas et bibis corpus et sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc centurionem et dicito : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Ubi enim indignè ingreditur, ibi ad judicium ingreditur accipienti.*

S. Cyprianus, in serm. 5 de lapsis, reprehendens eos qui post negatum Christum ad eucharistiam accedebant non priùs per pœnitentiam purgati: *Vis*, inquit, *infertur corpori ejus et sanguini ; et plus modò in Deum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negaverunt.*

Sæc. IV. Concil. Nicænum I, cap. 18, sic redarguit diaconos jus sibi attribuentes Eucharistiam sacerdotibus administrandi: *Neque canon, neque consuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt dent corpus Christi.* Alibi, sic fideles alloquitur: *Iterùm etiam hic in divinâ mensâ ne humiliter intenti simus ad propositum panem et calicem; sed attollentes mentem fide intelligamus situm in sacrâ illâ mensâ Agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruentè à sacerdotibus immolatum, et pretiosum ipsius corpus et sanguinem verè nos sumentes credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola* (1).

S. Hilarius, lib. 8 de Trinit. n. 13: *Si enim verè Verbum caro factum est, et nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodò non naturaliter manere in nobis existimandus est?* Et infrà: *De veritate carnis et sanguinis non est relictus ambigendi locus; nunc enim et ipsius Domini professione et fide nostrâ verè caro est, et verè sanguis est.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus, catech. mystag. 4: *Cùm igitur ipse* (Christus) *pronuntiaverit, et dixerit de pane:* hoc est corpus meum, *quis audebit deinceps am-*

(1) Secundum illud Conc. Nicæni testimonium, ait Bellarminus, *de Eucharist.* l. II, c. 10, reperitur in actis ejusdem concilii in Vaticanâ bibliothecâ. Illud agnoscunt Œcolampadius, Calvinus, Boquinus, Klebitius, qui nituntur ipsi gravissimum illud testimonium ad suam hæresim stabiliendam trahere, quasi Concilium admoneat ut non quæramus Christi corpus in sacrâ mensâ sub speciebus panis, sed in cœlum mente conscendamus, atque ibi fide Christi corpus comedamus. Sed, addit Bellarminus, falluntur apertè. Jubet enim Concilium ut non hæreamus in speciebus panis et vini, quasi nihil ibi sit, nisi quod oculi nobis renuntiant, sed fide intelligamus ibi verè esse corpus Christi, licèt corporalibus oculis non videatur.

vigere? et cùm ipse asseveraverit et dixerit : hic est sanguis meus, *quis unquàm dubitaverit, aiens non esse ejus sanguinem? Aquam olim in vinum in Canâ Galileæ transmutavit, et eum parùm dignum existimabimus cui credamus, cùm vinum in sanguinem transmutavit? Quare cum omni persuasione tanquàm corpus et sanguinem Christi sumamus* (illa). *Nam in figurâ panis datur tibi corpus, et in figurâ vini datur tibi sanguis, ut cùm sumpseris corpus et sanguinem Christi, concorporeus et consanguis illi efficiaris... Ne judices rem ex gustu, sed fide citra ullam dubitationem certus esto te corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse... Edoctus et certissimâ indutus fide, quòd qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi; et quod videtur vinum, non est vinum, etiamsi ità gustui videatur, sed sanguis Christi.*

S. Ambrosius, lib. de mysteriis initiandis, cap. 9 : *Fortè dicas : aliud video ; quomodò tu mihi asseris quòd Christi corpus accipiam?... Quantis igitur utimur exemplis! Probemus hoc non esse quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit? Non valebit Christi sermo ut species mutet elementorum? Præter naturæ ordinem Virgo generavit, et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est.*

Sæc. V. S. Joan. Chrysostomus, homil. 24 in I ad Corinthios : *Id quod est in calice est id quod fluxit à latere, et illius sumus participes. Quid est hoc horribilius, sed quid amabilius? hoc est illud corpus quod fuit cruentatum, quod lanceâ perfossum... hoc corpus, quod etiam jacens in præsepio reveriti sunt Magi... tu autem non in præsepi vides, sed in altari.* Similia ha-

bet in homil. 82 in Matth., et homil. 46 in Joan. S. Hyeronimus, comment. cap. 2 ep. ad Titum: *Tantùm interest inter panes propositionis et corpus Christi, quantùm inter umbram et corpus, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea quæ per ipsa exemplaria præfigurabantur.* Ergo juxta S. Hyeronimum, in Eucharistiâ non est figura tantùm sed veritas corporis Christi.

S. Augustinus, conc. 1 in Psalm. 33, exponens illud: *Et ferebatur in manibus suis*, juxta versionem LXX: *Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur... Ferebatur enim Christus in manibus suis, quandò commendans ipsum corpus suum ait: hoc est corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Et serm. 71 de verbis Domini ait: *Impiòs ipsam carnem manducare et bibere ipsum sanguinem.*

Sæc. VI. S. Remigius, comment. cap. 10 in I ad Cor.: *Caro quam Verbum Dei assumpsit in utero virginali, in unitate suæ personæ, et panis qui consecratur in Ecclesiâ, unum corpus sunt. Sicut enim illa caro corpus Christi est, ità iste panis transit in corpus Christi, nec sunt duo corpora, sed unum corpus.*

Sæc. VII. S. Gregorius papa, homil. 22 in Evang.: *Quis fidelium habere dubium possit, in ipsâ immolationis horâ ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri?*

Sæc. VIII. S. Epiphanius in disputatione cum Gregorio: *Nunquàm invenies, neque Dominum, neque Apostolos, neque patres, incruentum illud sacrificium*

quod à Sacerdote offertur, imaginem dixisse, verùm ipsum corpus et ipsum sanguinem.

Sæc. IX. Theophilactus, in cap. 26 Matth.: *Porro dicens: hoc est corpus meum, ostendit quòd ipsum corpus est panis qui sanctificatur in altari... Non enim dixit: hoc est figura; sed, hoc est corpus; ineffabili enim transformatur operatione, etiamsi nobis videatur panis.*

Alia testimonia in *Controversiis* Bellarmini legantur sub titulo *de sacramento Eucharistiæ*, lib. 2. Hæc citâsse sufficit, cùm adversarii contendant dogma præsentiæ realis inventum fuisse IX° sæculo à Paschasio Ratberto abbate monasterii Corbeïensis.

3° *Liturgiis*. Constabit dogma præsentiæ realis à primis Ecclesiæ sæculis fuisse admissum, et quidem ab omnibus Christianis, si 1. liturgiæ tùm occidentales, tùm orientales, illud contineant; si 2. prædictæ liturgiæ compositæ fuerint in primis Ecclesiæ sæculis, imò, quoàd substantiam, ab ipsis Apostolis; si 3. simul sumptæ exprimant fidem Ecclesiæ. Atqui tria hæc certa sunt.

1° Liturgiæ tùm occidentales, tùm orientales, continent dogma præsentiæ realis.

Occidentales: Quatuor præcipuæ sunt liturgiæ occidentales: *Romana*, quâ utuntur Ecclesia Romana et ecclesiæ ab eâ dependentes: attribuitur S. Petro; *Ambrosiana*, in Ecclesiâ Mediolanensi usitata, quam à S. Barnabâ, ut aiunt, compositam S. Ambrosius redegit ad formam actualem; *Gallicana*, juxta quam in Galliâ divina celebrabantur mysteria ante Pepinum et Carolum Magnum, qui Gallicanæ Romanam substituerunt liturgiam; *Mozarabica*, quæ probabiliter ex Oriente

orta, et à Gothis in Hispaniam V° sæculo importata, à S. Isidoro Hispalensi episcopo amplificata fuit et illustrata : Mozarabica dicta est post invasionem Arabum in Hispanias. Quo posito,

Continent dogma præsentiæ realis liturgiæ — Romana : Post fractionem hostiæ, sacerdos ejus partem in calicem mittens, dicit : *Hæc commixtio et consecratio corporis et sanguinis D. N. J. C. fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* — Ambrosiana : Sacerdos hostiam frangens, ait : *Corpus tuum frangitur, Christe;* et, mittens particulam in calicem, dicit : *Commixtio consecrati corporis et sanguinis D. N. J. C. nobis edentibus et sumentibus proficiat ad vitam et gaudium sempiternum* (1).— Gallicana : Post orationem dominicam sacerdos dicit : *Libera nos à malo, Domine Christe Jesu. Corpus tuum pro nobis crucifixum edimus ; et sanguinem sanctum tuum pro nobis effusum bibimus : fiat nobis corpus sanctum tuum ad salutem, et sanguis sanctus tuus in remissione peccatorum, hic et in æterna sæcula sæculorum* (2).--Mozarabica : Ante communionem sacerdos dicit : *Panem cœlestem de mensâ Domini accipiam. Domine Deus meus, da mihi corpus et sanguinem Filii tui D. N. J. C. ità sumere, ut per illud remissionem peccatorum omnium merear accipere... Ave in æternum sanctissima caro Christi, in perpetuo summa dulcedo...* Et, tenens calicem : *Ave in æternum,*

(1) Ex *Missali Ambrosiano* jussu S. Caroli Mediolanensis archiepiscopi, anno 1560, impresso.

(2) Ex ultimâ missâ dominicali *Missalis Gothicogallicani* à Dom Mabillon editi in lib. III sui operis *de Liturgiâ gallicanâ*. Hoc opus inseruit D. Migne in tom. LXXII *Patrologiæ*.

cœlestis potus, qui mihi ante omnia et super omnia dulcis es. Post communionem addit : *Refecti Christi corpore et sanguine te laudamus, Deus noster* (1).

Orientales : hàc denominatione comprehenduntur liturgiæ Græcæ, Copticæ, Æthiopicæ, Syriacæ, Armeniacæ. — Scriptæ sunt idiomate græco: liturgiæ S. Jacobi, S. Marci, S. Clementis, nunc inusitatæ ; S. Basilii et S. Chrysostomi, quibus utuntur Constantinopolitani sive catholici, sive schismatici. — Redditæ sunt idiomate coptico liturgiæ S. Basilii, S. Gregorii Thaumaturgii, S. Cyrilli Alexandrini ; præcipuè apud Jacobitas sunt usitatæ.—Idiomate æthiopico : eædem liturgiæ quibus utuntur Coptæ, insuper novem aliæ minoris momenti. — Idiomate syriaco : liturgia S. Jacobi, quâ utuntur Catholici, schismatici, Jacobitæ ; liturgiæ S. Basilii, S. Chrysostomi; quadraginta aliæ à diversis auctoribus exaratæ, et apud schismaticos vigentes ; tres liturgiæ ad usum Nestorianorum, scilicet S. Jacobi, Theodori Mopsuestensis et Nestorii. — Idiomate Armenorum : liturgia S. Basilii à Jacobitis admissa, liturgia Romana ad usum Catholicorum. Quo posito,

Continent dogma præsentiæ realis liturgiæ Græcæ. —S. Jacobi. Sacerdos, fracto pane in duas partes, immittit in calicem partem quam tenet manu dextrâ, dicens : *Unio sacratissimi corporis et pretiosi sanguinis Domini Dei Jesu Christi Salvatoris nostri.*— S. Chrysostomi. Ad fractionem panis sacerdos dicit : *Frangitur et dividitur agnus Dei. Filius Patris, qui frangitur,*

(1) Ex *Missali mixto sec. reg. B. Isidori*, part. 1. Patrolog., tom. LXXXV.

at non comminuitur: qui semper comeditur, et non consumitur: sed eos qui sunt participes sanctificat. Diaconus accedens ad communionem dicit sacerdoti: *Impertire mihi domine pretiosum et sanctum corpus Domini, et Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Sacerdos autem: *Impertior tibi pretiosum, et sanctum, et illibatum corpus Domini et Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum, in vitam æternam.* Similiter sacerdos accipit sanctum panem, et precatur hoc pacto: *Credo Domine et confiteor, quòd tu es Christus Filius Dei viventis, qui venisti in mundum ad salvandos peccatores* (1). — S. Basilii. Completâ communione, ut in liturgiâ S. Chrysostomi, orat sacerdos: *Gratias agimus tibi Domine Deus noster, propter participationem illibatorum, immortalium et cœlestium tuorum sacramentorum... Ipse Domine omnium, concede ut fiat nobis communio sancti corporis et sanguinis Christi tui, ad fidem inconcussam, ad charitatem non fictam, ad sapientiæ copiam, ad medelam animæ et corporis, ad omnis rei adversæ aversionem, ad mandatorum tuorum observantiam, et non rejiciendam excusationem coram terribili tribunali Christi tui* (2).

Copticæ.—S. Gregorii. Ante communionem, sacerdos dicit confessionem: *Corpus sanctum et sanguis pretiosus Jesu Christi Filii Dei nostri. Amen.* Populus: *Amen...* Sacerdos pergit: *Credo, credo, credo et confiteor usque ad ultimum vitæ spiritum hoc esse corpus vivificum, quod accepisti, Christe Deus noster, ex Do-*

(1) Ex *Eucolog. græc.* à P. Goar edito, 2ª edit. Venetiis 1730, pag. 65.

(2) Ibid. pag. 148.

minâ omnium nostrum, Deiparâ, purâ, sanctâ Mariâ... (1). Idem in liturgiâ copticâ S. Basilii (2).

Æthiopica.—Sacerdos præbens fidelibus communionem dicit: *Hic est panis vitæ qui de cœlo descendit, verè pretiosum corpus Emmanuel Dei nostri. Amen.* Et qui recipit respondet: *Amen.* Diaconus præbens calicem: *Hic est calix vitæ qui de cœlo descendit, qui est pretiosus sanguis Christi.* Et qui recipit respondet: *Amen, Amen* (3).

Syriacæ.— S. Jacobi ap. fratris Domini. Post orationem dominicam, diaconus dicit: *Inclinate capita vestra coram Deo misericordi, coram altari propitiatorio, et coram corpore et sanguine Salvatoris nostri, in quo vita posita est suscipientibus illa.* Sacerdos Eucharistiam distribuens, ait: *Corpus et sanguis D. N. J. C. datur tibi in veniam peccatorum et remissionem peccatorum in utroque sæculo* (4). —SS. Apostolorum, quæ liturgia est communis Nestorianorum. Sacerdos, post fractionem hostiæ, ejusdem partem tenens, signat calicem dicens: *Signatur sanguis pretiosus corpore sancto Domini nostri Jesu Christi. In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti in sæcula.* Et respondetur: *Amen.* Tùm intingit eam usque ad medium in calice, et signat cum eâ corpus quod est in patenâ, dicens: *Signatur corpus sanctum sanguine propitiatorio Domini nostri Jesu Christi. In nomine Patris...* (5).

(1) *Liturg. oriental. collect.* ab Euseb. Renaudot. Paris, 1716, t. I, pag. 36.

(2) Ibid. pag. 23.

(3) Ibid. t. I, pag. 520.

(4) Ibid. t. II, pag. 40 et 42.

(5) Ibid. t. II, pag. 594.

Liturgia Armenorum... Sacerdos, versus ad populum, elevat sanctissimum sacramentum, quod illi ostendens, dicit: *Sanctè gustemus de illo sancto, sacro et pretioso corpore et sanguine Domini nostri et Redemptoris Jesu Christi, qui descendens de cœlo inter nos distribuitur. Iste est vita, spes, resurrectio, expiatio et remissio peccatorum. Psallite Domino Deo nostro, psallite regi nostro cœlesti et immortali...* Chorus modulatur: *Christus immolatus inter nos distribuitur. Alleluia. Dat nobis corpus suum in escam, et sanguinem suum nobis rorat. Alleluia.* In communione sacerdos sumens SS. Sacramentum dicit: *Corpus tuum incorruptibile sit mihi ad vitam, et sacratus sanguis tuus sit propitiatio et remissio peccatorum* (1).

Multò plura possent afferri ex liturgiis testimonia ad probandam propositionem nostram. Ad ampliorem expositionem legantur libri quorum tituli sunt: *Perpétuité de la foi*, et *Explication de la Messe* à P. Lebrun.

2° Prædictæ liturgiæ compositæ fuerunt à primis Ecclesiæ sæculis, imò, quoàd substantiam, ab ipsis Apostolis.

Compositæ fuerunt à primis Ecclesiæ sæculis: Facto constat liturgias apud Catholicos, Nestorianos, Jacobitas seu Eutychianos usitatas, inter se quoàd substantiam et specialiter de præsentiâ reali concordare. Ergo

(1) Vid. Lebrun, *Explication de la Messe*, tom. V, 10e dissert. Novas liturgiæ Armenorum idiomate gallico versiones ediderunt, juxta translationem italico idiomate Patris Mechitaristæ Avedichian, DD. Pascal, ad calcem sui operis *Origines et raison de la lit. cath.* Migne 1844, et C. Barthélemy, *Append.* 2 ad tom. V operis *Rational ou Manuel des div. offices de G. Durand... traduit pour la première fois.* Paris, 1854.

ante tempora Nestorii et Eutychetis, scilicet ante V^um^ sæculum, prædictæ liturgiæ quoàd substantiam existebant; alioquin explicari non posset earum concordia actualis. Duplex enim tantùm fingi posset hypothesis : vel Catholicos, Nestorianos et Eutychianos fortuitò eadem mysteria invenisse; vel hæreticos à catholicis, aut catholicos ab hæreticis dogma in liturgiis expressum accepisse. Porro absurda est utraque explicatio. Prima : impossibile est enim homines sponte suâ inter se consentire, nisi de veritatibus in ratione fundatis. Secunda : siquidem nullo modo admitti potest Catholicos et hæreticos inter se infensissimos, à se invicem dogmata mutuatos fuisse.

Imò, quoàd substantiam, ab ipsis Apostolis compositæ fuerunt: Quæ propositio probari potest 1. identitate substantiali liturgiarum, 2. traditione.

1. Identitate substantiali omnium liturgiarum.—Unitas et universalitas substantialis omnium liturgiarum supponit auctoritatem unam, universalem, ab ipsis hæreticis et schismaticis recognitam. Porro auctoritas Apostolorum sola possidet hos characteres. Equidem auctoritas Conciliorum aut SS. Pontificum una est et universalis jure, sed facto rejicitur ab hæreticis et schismaticis. Undè, post suam ab Ecclesiâ separationem, hæretici et schismatici aut non admisissent liturgias à Conciliis vel SS. Pontificibus institutas, aut acceptatas rejecissent, nisi harum liturgiarum originem apostolicam, saltem quoàd substantiam, credidissent.

2. Traditione. — Omnes liturgiæ actuales habent quoàd substantiam originem ab Apostolis, si 1. Apostoli instituerunt liturgias, si 2. liturgiæ, quæ Aposto-

lorum nomina præ se ferunt, eædem sunt quoàd substantiam cum liturgiis Apostolicis, si 3. aliæ liturgiæ quæ Apostolis non attribuuntur sunt liturgiarum Apostolicarum modificationes accidentales. Atqui

Apostoli instituerunt liturgias: 1° Act. Apost. 2, 48: *Erant autem perseverantes in doctrinâ Apostolorum et communicatione fractionis panis*. Ibid. 20, 7: *Una autem sabbati cùm convenissemus ad frangendum panem*... S. Justinus in apolog. ad Antoninum: *Die solis, omnes qui in oppidis, vel in agris morantur, conveniunt in eumdem locum; et commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum quantùm per tempus licet leguntur. Lectore quiescente, præsidens orationem, quâ populum instruit et ad ea quæ pulchra sunt adhortatur, habet. Tùm simul consurgimus omnes et precationes fundimus; et, sicuti jam diximus, finitis precationibus nostris, panis affertur et vinum et aqua. Consimiliter præpositus ipse quantùm potest vota et gratiarum actiones effundit, et populus posteà clamat dicens, Amen. Et distributio communicatioque fit eorum super quibus gratiæ actæ sunt cuique præsenti, absentibus autem per diaconos mittitur*. Ex textibus actuum Apost. et S. Justini simul junctis sequitur 1. sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium temporibus Apostolicis fuisse celebratum, 2. fuisse celebratum speciali ritu, proindè liturgiam fuisse ab initio religionis christianæ institutam ab Apostolis in Ecclesiis quas fundabant. 2° Hoc testantur traditio oralis Ecclesiarum Apostolicarum, et traditio scripta Patrum et Doctorum, specialiter Tertulliani, de coron. mil. c. 3, S. Epiphanii, hær. 79, S. Joan. Chrysost., homil. 17 in 1 ad Cor., S. Basilii, de Spir.

sanct. c. 27, S. Procli, de trad. div. lit., S. Cœlestini, ep. 21 ap. D. Coustant, S. Innocentii, ep. ad Decent., etc. 3° Confirmat Concilium Tridentinum, sess. 22, in quâ, cap. 4, loquens de canone Missæ docet eum constare *cùm ex ipsis Domini verbis, tùm ex Apostolorum traditionibus*... Et, cap. 5, testatur Ecclesiam *cæremonias, mysticas benedictiones, lumina thymiamata, vestes, aliaque id genus multa adhibere ex apostolicâ disciplinâ et traditione* (1).

(1) Ad evolvendam hanc propositionem, non abs re erit breviter exponere diversas sacræ liturgiæ partes quæ ex dominicâ et apostolicâ traditione constant. — Quoàd locum celebrationis, mentio est de *altari* in ep. ad Hebr. 13, 10, « habemus altare. » — *Lectionem scripturarum* ab Apostolis originem habere deducitur ex D. Paulo, qui ad Colos. 4, 16 et Thessal. 5, 27, mandat suas epistolas in ecclesiâ legi. Hujus mentionem faciunt S. Justinus, loc. cit. « Commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum... leguntur; » Tertullian. apolog. c. 39, etc. — Quoàd lectionem *Evangelii*, narrat Eusebius, Hist. eccl. l. II, c. 15, B. Petrum Evangelium à S. Marco scriptum suâ auctoritate comprobâsse, ut in ecclesiis legeretur. — Salutatio per verba *Dominus vobiscum* jam erat in usu in veteri lege (Ruth. 2; 2 Paral. 15). Hunc morem ex apostolicâ traditione Ecclesiam retinuisse docet Concil. Braccarense, can. 21 : « Placuit ut non aliter episcopi et aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes : *Dominus vobiscum*, sicut in libro Ruth legitur, et ut respondeatur à populo : *Et cum Spiritu tuo;* sicut et ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet oriens, et non sicut Priscilliana pravitas immutavit. » — *Collectam*, seu *orationem*, ad apostolicam institutionem esse referendam docent S. August. ep. 149 ad Paulin. et 217 ad Vital., S. Cœlestin. papa, ep. 21 apud Dom Coustant, etc. Conclusionem collectæ per verba *in sæcula sæculorum* universa tenuit à primævis temporibus Ecclesia : S. Iren. adv. hær. l. I, c. 1, narrat Valentinianos eâ conclusione fuisse abusos in gratiam suorum errorum. Consuetudo respondendi *Amen* indubiè ab Apostolis tradita est : eam insinuat D. Paulus I Cor. 14, 16: « quomodo dicet Amen...? » — De *mixtione* vini et aquæ in præparando calice sic loquitur S. Cyprian. ep. 63: « Admonitos autem nos scias ut in ca-

Liturgiæ, quæ Apostolorum nomina præ se ferunt, eædem sunt quoàd substantiam cum liturgiis Apostolicis: 1° Id testantur Ecclesiæ Apostolicæ. 2° Si non sunt eædem, quoàd substantiam, cum liturgiis Apostolicis; ex duobus unum est admittendum, aut liturgiis

lice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit: ut calix qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur. » Idem præscribit 3 Concil. Carthag. can. 24: « Ut in sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panem et vinum aquâ mixtum. » — Ex eodem S. Cypriano, de orat. domin., ex SS. Cyrillo Hierosol. catech. mystag. 5, Augustino, de viduit. c. 16, etc., antiqua mos est præmittendi *Præfationem* actioni sacrificii. « Sacerdos, ait S. Cyprianus, ante orationem, præfatione præmissâ, parat fratrum mentes, dicendo: *Sursum corda*, ut dùm respondet plebs: *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere. » « Deinde, inquit S. Cyrillus, dicit sacerdos: *Gratias agamus Domino;* certè gratias agere debemus... ad hæc vos subjicitis: *Dignum et justum est...* » — In omnibus liturgiis et à primævis temporibus, præfationem sequitur Trisagion *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus!* cujus originem traditionalem affirmat S. Cyrillus Hierosol. loc. cit., et de quo mentionem faciunt Tertullian. de orat. c. 3, S. Joan. Chrysost. homil. 14 in ep. ad Ephes. et alibi. — *Canonicæ precis* institutionem apostolicam docet Vigilius papa in ep. ad Profuturum: « Quapropter et ipsius canonicæ precis textum direximus subter adjectum, quam Deo propitio ex apostolicâ traditione accepimus. » De illâ prece canonicâ S. Augustinus, ep. 149 ad Paulin. interpretatur hunc textum D. Pauli I Tim. 2, 1: « Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. » De illâ etiam intelligendâ sunt verba S. Justini: « Præpositus... vota et gratiarum actiones effundit... » — Consecratis pane et calice, recitatur *Oratio Dominica*, de quâ S. Hieronymus, adv. Pelag. l. I, c. 18: « Sic docuit Christus apostolos suos, ut quotidiè in corporis illius sacrificio credentes audeant dicere: *Pater noster*... De eâ sermonem habent S. Cyrillus Hierosol. loc. cit., S. Augustinus, et communiter SS. Patres. — *Fractionem hostiæ* tenet Ecclesia, non solùm ab Apostolis, sed ab ipso Domi-

Apostolicis alias liturgias substitutas fuisse, aut liturgias Apostolicas fuisse substantialiter adulteratas. Porro, hæc substitutio aut adulteratio admitti non potest. Quia 1. non probatur. Quia 2. vel facta fuisset à fidelibus, vel à pastoribus : si priùs, reclamâssent pastores, si posteriùs, fideles ; vel facta fuisset à Græcis, vel à Latinis : si priùs, reclamâssent Latini, si posteriùs, Græci; vel facta fuisset à Catholicis, vel ab hæreticis : si priùs, reclamâssent hæretici, si posteriùs, Catholici. Atqui de his reclamationibus tacet historia ecclesiastica.

Liturgiæ quæ Apostolis non attribuuntur sunt Apostolicarum liturgiarum modificationes accidentales. — Hoc constat ex earum concordantiâ substantiali cum liturgiis Apostolicis.

3° Liturgiæ simul sumptæ manifestant fidem Ecclesiæ universalis. Nam ab Episcopis præcipiuntur, à clero et fidelibus admittuntur, ab omnibus observantur, ergo manifestant fidem Ecclesiæ.

Ergo ex factis, traditione Patrum et liturgiis constat Christianos non innovâsse circa dogma præsentiæ realis.

II. Imò Christiani non potuerunt innovare:

Impossibilis fuit innovatio circa dogma Catholicum de septenario sacramentorum numero, ergo à pari et

no, qui panem accepit, fregit. — Quoàd *osculum pacis* ante communionem tradit Origenes, in ep. ad Rom. « Ex hoc sermone (*salutate invicem in osculo sancto*, Rom. 16, 16) mos ecclesiis traditus est ut post orationes osculo invicem se recipiant fratres. » Vid. etiam S. Cyrill. Hieros. loc. cit. — De his, quæ brevitatis causâ summatim indicavimus, præter Bona, *de reb. liturg.*, Martene, *de antiq. eccl. rit.*, Lebrun, *Explic. de la messe*, t. III, vid. opus Rev. et doctissimi P. Dom Guéranger, Abbatis Solesmensis, *Instit. liturg.* t. I.

à fortiori impossibilis fuit innovatio circa dogma præsentiæ realis. A pari : nam rationes quibus probavimus sub titulo *de Sacramentis in genere* innovari non potuisse circa septenarium sacramentorum numerum, valent etiam ad probandam impossibilitatem innovationis circa dogma præsentiæ realis. A fortiori : nam dogma præsentiæ realis magis offendit sensus et rationem quàm dogma de septenario sacramentorum numero in genere considerato ; ergo multò plures et acriores suscitâsset reclamationes, ergò difficilior fuisset innovatio.

II. Non fuit innovatum ab Apostolis.

Si enim Apostoli innovârunt circa hoc dogma, circa omnia dogmata innovare potuerunt; et corruit religio Christiana ab eis transmissa.

Prob. conseq. Ergo 1° dogma præsentiæ realis originem ducit à Christo.

Ergo 2° admittendum est ut veritas divinitùs revelata : evidenter patet.

Prob. III. — Fide et doctrinâ Ecclesiæ.

Præsentia realis est admittenda, si Ecclesia Catholica illud dogma credat et doceat. Atqui 1° credit : hoc patet. 2° Docet : hæc enim habet Concil. Trid. sess. 13, can. 1 : *Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento contineri verè, realiter et substantialiter corpus et sanguinem unà cum animâ et divinitate Domini Nostri Jesu Christi, ac proindè totum Christum, sed dixerit tantummodò esse in eo ut in signo, vel figurâ, aut virtute, anathema sit.*

PROBATIO INDIRECTA.

Tempore novatorum possidebat dogma præsentiæ realis. Ergo conservandum erat, et nunc ad illud redeundum, nisi legitimitas innovationis rationibus validis sit innixa. Porro, nedùm validæ, econtrà invalidissimæ sunt novatorum rationes, ut ex earum refutatione constabit.

Ad duo capita revocari possunt adversariorum objectiones, scilicet : 1. malè probatur, 2. falsum est dogma præsentiæ realis. — Præcipuas tantùm, et quarum responsio non patet ex probationibus, objectiones exponemus.

§ 1. — Dicunt dogma catholicum malè probari.

I. Contra probationes ex *Scripturâ* deductas,

Objiciunt 1° Verba promissionis nihil probant. Siquidem 1. Christus voluit verba sua accipi in sensu metaphorico. His enim verbis Judæos obmurmurantes repressit : *spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quidquàm;* quasi diceret : « Absque ratione murmuratis, verba mea sensu spirituali de manducatione per fidem sunt intelligenda. » 2. Multi Patres verba promissionis in sensu spirituali intellexerunt.

Resp. Ad 1um. Christus per textum citatum noluit destruere sensum naturalem promissionis suæ ; alioquin sibi contradixisset, cùm sensus naturalis promissionis sit ità clarus et apertus, ut ab homine sanæ mentis inficiari non possit. Proindè textus objectus non est accipiendus in sensu adversariorum. Porro duo significare potest : cùm Judæi existimarent Christum daturum esse carnem in frusta divisam eos decuit se car-

nem concessurum verè quidem, sed non carnali eorum modo manducandam; vel indicare voluit manducationem carnis suæ inutilem fore iis qui spiritu non vivificantur, seu qui privantur et fide et charitate.

Ad 2um. Quidam Patres equidem tacent de sensu naturali promissionis; sed eum non excludunt. Proindè eorum interpretatio non contradicit interpretationi aliorum Patrum, qui sensum naturalem exponunt.

Objic. 2° Verba institutionis non probant præsentiam realem. Siquidem 1. in multis Scripturæ textibus verbum substantivum *esse* usurpatur pro verbo *significare, repræsentare;* indè verba Christi in institutione Eucharistiæ per hæc verba verti possunt: *hoc* (id est, panis) *significat* aut *repræsentat corpus meum*. 2. In istâ propositione *hoc est corpus meum*, pronomen *hoc* panem designabat; porro, cùm panis non possit esse corpus Christi, ejus tantùm figura est. 3. Evangelistæ narrant Christum panem accepisse, benedixisse, fregisse dedisseque discipulis suis; ergo discipuli panem manducaverunt, non verò corpus Christi.

Resp. in genere. Ecclesia verba institutionis in sensu naturali interpretata est. Ergo rejiciendus sensus metaphoricus, nisi interpretatio privata Scripturæ prævalere debeat interpretationi et decisioni Ecclesiæ. Porro hoc falsum est, ut probavimus ubi *de Ecclesiâ*.

In specie, ad 1um. Verbum substantivum *esse* non potest usurpari pro verbo *significare, repræsentare*, nisi hic sensus determinetur ex naturâ rei, ex usu communi, ex institutione positivâ loquentis, ex antecedentibus aut consequentibus. Porro in textu institutionis nihil horum favet interpretationi novatorum: non natura rei,

nulla est enim similitudo naturalis inter panem et corpus humanum; non communis usus, qui tunc non existebat; non institutio positiva Christi, cujus nulla existit mentio in Scripturâ et Traditione; non antecedentia et consequentia horum verborum, ut patebit legenti historiam institutionis Eucharistiæ.

Ad 2um et 3um. Quædam propositiones dicuntur practicæ, quia producunt quod significant. Sic v. g., si porrigendo rem meam alicui hæc verba proferam: *hoc est tuum*, hæc verba scriò et cum intentione prolata transferunt dominium rei meæ ad alterum. Porro practica erat propositio Christi instituentis Eucharistiam. Undè 1. ejus sensus fuit: « hoc, quod nunc est panis, vi verborum meorum, fit corpus meum. » Undè 2. Jesus in ultimâ cœnâ panem propriè dictum accepit, benedixit ac fregit, eumque porrigendo discipulis suis cum his verbis *hoc est corpus meum*, convertit in verum corpus suum, quod manducaverunt discipuli.

II. Contra probationes *Traditionis*,

Objic. 1° Probatio traditionis affirmat dogma præsentiæ realis non fuisse inventum à tempore Apostolorum; porro hæc assertio contradicit historiæ ecclesiasticæ, ut ex facto sequenti patet. Cùm Paschasius Ratbertus, abbas monasterii Corbeiensis, anno 831, edidisset librum *de Corpore et Sanguine Domini*, suscitavit reclamationes, præsertim ex parte Rabani Mauri, Ratramni, Joannis Scoti. Undè patet doctrinam Ratberti tunc fuisse novam, et Ratbertum, inventorem esse dogmatis præsentiæ realis. Faventibus autem sæculi X^{i} tenebris, hoc dogma omnes animos ità invasit, ut initio sæculi XI^{i} Berengarius, qui primævam fidem exci-

tare conatus erat, ut hæreticus habitus fuerit. Ità Claudius.

Resp. Claudii explicatio 1. ruinoso nititur fundamento, 2. falsa est:

1° Ruinoso nititur fundamento: Supponit enim 1. adversarios Ratberti reclamâsse contra novitatem dogmatis præsentiæ realis, 2. reclamationem, in hypothesi ejus veritatis, probare novitatem dogmatis, 3. dogma præsentiæ realis, suppositâ ejus falsitate, potuisse paucis annis omnium animos invadere. Atqui 1. Adversarii Ratberti non reclamârunt contra novitatem dogmatis præsentiæ realis. Controversia enim erat, non de veritate dogmatis, sed de quibusdam quæstionibus accidentalibus; præcipuè utrùm corpus Christi in Eucharistiâ idem omninò esset quod ex Mariâ Virgine natum est, crucifixum, etc.; utrùm corpus Christi immediatè in Eucharistiâ videatur, tangatur, an verò obtegatur speciebus; an corpus Christi corruptioni aliorum alimentorum more subjiciatur. 2. Etiamsi adversarii Ratberti contra dogma præsentiæ realis reclamâssent, non indè sequeretur novitas dogmatis. Novitas enim dogmatis non paucas et obscuras reclamationes suscitâsset, sed innumeras et patentes. 3. Etiamsi Ratbertus innovâsset, impossibilis fuisset ejus erroris tàm rapida diffusio, ut patet ex dictis de impossibilitate innovationis circa hoc dogma.

2° Falsa est explicatio Claudii: Juxta Claudium, dogma præsentiæ realis nonnisi sæculo IX° fuisset inventum. Porro tamen constat ex testimoniis Patrum et liturgiarum dogma præsentiæ realis admissum fuisse ante V^um^ sæculum, imò à temporibus apostolicis.

Objic. 2° (specialiter contra probationem deductam ex textibus Patrum). Testimonia Patrum nihil probant. Nam 1. textus in gratiam præsentiæ realis citati sunt rarissimi, præsertim in duobus primis Ecclesiæ sæculis; 2. sunt obscuri ; 3. multa ex scriptis Patrum afferri possunt contra præsentiam realem testimonia : sic Patres Eucharistiam appellant *figuram*, *typum*, *imaginem*, *sacramentum corporis Christi;* dicunt corpus Christi in Eucharistiâ *repræsentari*, *manducari spiritualiter*.

Resp. Ad 1um. Ex textibus citatis in probatione, et innumeris aliis, quos omisimus brevitatis causâ, constat Patrum testimonia in gratiam præsentiæ realis rara non esse, ut objiciunt adversarii. Equidem testimonia Patrum, qui vixerunt temporibus primævis, sunt relativè rariora. Sed nihil in hoc mirum est, cùm pauca supersint scripta illorum temporum, cùm Patres prædicti pro religionis summâ decertarent, nec controversia adhuc esset de mysterio præsentiæ realis.

Ad 2um. Nedùm obscura sint testimonia Patrum in probatione citata, econtrà sunt evidentia. — Alia quidem inveniuntur in eorum scriptis testimonia obscura; sed nihil indè. Siquidem, in orationibus et scriptis publicis, Patres obscurè loqui tenebantur, vi legis secreti, ne mysteria fidei paganorum irrisioni objicerent. Imò hæc obscuritas favet dogmati præsentiæ realis. Nam, si Patres de Eucharistiâ sicut pseudo-reformati sensissent, hoc sacramentum habuissent ut merum signum corporis et sanguinis Christi; nec videtur cur tantam adhibuissent diligentiam ne profanis innotesceret.

Ad 3um. Locutiones Patrum suprà objectæ conciliari possunt cum reali præsentiâ. Nam duo in Eucharistiâ

distingui debent : species panis et vini, quæ oculis videntur ; corpus et sanguis Christi, quæ sunt invisibilia. Cùm autem inter homines sæpè designetur totum per nomen partis, Patres potuerunt Eucharistiam appellare *signum*, *typum*, etc. Ille loquendi modus facilè intelligi poterat à Christianis, qui credebant sub speciebus panis et vini latere corpus et sanguinem Christi. Nihil proindè concludi potest contra præsentiam realem ex nominibus quibus designant Eucharistiam absolutè consideratis.—Si autem attendatur ad fidem Patrum, qui frequentiùs locutionibus objectis utuntur, clariùs apparet Patres vocibus illis noluisse negare dogma præsentiæ realis. Siquidem locutiones hujusceemodi frequentiùs usurpantur à Patribus quorum sententia circa præsentiam realem omne dubium excludit. Sic S. Cyrillus Jerosolym. catech. 5, adhibet vocem *antitypi ;* S. Cyrillus Alexandrin. aliquandò usurpat vocabulum *typi ;* S. Chrysostomus, homil. 23 in Matth., appellat Eucharistiam *symbolum ;* S. Ambrosius, de initiandis cap. 9 et 10, illam dicit *sacramentum*, seu signum rei sacræ.—Si prædicti Patres potuerunt usurpare verba *signi*, *symboli*, *typi*, etc., à pari potuerunt, salvo dogmate præsentiæ realis, affirmare Christum in Eucharistiâ *repræsentari*. Aliundè hoc verbum *repræsentare* in multis SS. Patribus significat *exhibere rem præsentem ;* qui sensus probat, nedùm impugnet dogma eucharisticum.— Christus in Eucharistiâ semper manducatur realiter ; insuper spiritualiter in duplici sensu : 1. quia corpus Christi non manducatur divisum per frusta, ut materialiter intelligebant Capharnaïtæ ; 2. quia debet manducari, et à multis manducatur cum

fide, charitate et aliis dispositionibus spiritualibus. Undè Patres potuerunt loqui de manducatione spirituali Christi in Eucharistiâ, tacendo, non verò excludendo manducationem realem.

III. Contra probationem deductam ex *liturgiis*,

Objic. Liturgiæ inter se differunt, ergo originem apostolicam non habent, proindè nihil probant.

Resp. Liturgiæ quidem inter se differunt quoàd accidentalia, v. g. variæ sunt preces, variæ cæremoniæ quoàd formam et ordinem; concordant verò ratione doctrinæ, specialiter dogmatis præsentiæ realis. Undè in liturgiis non habent originem apostolicam partes accidentales; benè verò partes essentiales, cùm unitas substantialis inter varias liturgias non possit aliter explicari, ut ostendimus in probationibus nostris. Econtrà diversitas accidentalis facilè conciliatur cum origine apostolicâ; siquidem, cùm liturgia catholica non sit immutabilis, verbis et cæremoniis essentialibus addi potuerunt et reverà additæ sunt, approbantibus Pontificibus et Episcopis, preces et cæremoniæ accidentales accommodatæ circumstantiis, indoli et moribus populorum. Proindè ex varietate inter liturgias illogicè negatur illarum origo apostolica et auctoritas.

§ 2. — Falsitatem dogmatis præsentiæ realis probant adversarii præcipuè per rationem.

Objic. 1° Si Christus sit realiter præsens in Eucharistiâ, 1. partes sui corporis sese invicem compenetrant, alioquin non possent contineri sub minimâ hostiæ particulâ; 2. corpus Christi, multa loca simul occupare potest. Porro compenetratio et multilocatio corporum repugnant: compenetratio quidem, ex consensu om-

nium physicorum; multilocatio : nam ex multilocatione sequeretur unum corpus esse unum et multiplex, contrariis affectionibus posse affici, v. g. moveri in uno loco, quiescere in alio.

2° Si Christus sit realiter præsens in Eucharistiâ, in manibus suis corpus suum portavit in ultimâ cœnâ; proindè totum corpus erat minùs extensum quàm pars ejusdem corporis, quod repugnat.

3° Inutilis est præsentia realis, cùm vita animæ in fide et charitate sita sit.

Ad 1um *Resp.* in genere. Omitti possunt hujusmodi objectiones. Nam 1. adversarii concludunt falsitatem dogmatis præsentiæ realis ex repugnantiâ modi hujus præsentiæ cum essentiâ corporum. Quod legitimè concludere non possunt, nisi perfectè noverint ex unâ parte modum præsentiæ Christi in Eucharistiâ, ex alterâ parte essentiam corporum. Porro adversarii non cognoscunt modum præsentiæ in Eucharistiâ, qui est mysterium supernaturale; nec essentiam corporum, quæ est mysterium naturale, ut constat variis opinionibus philosophorum de hâc quæstione. Sic, Cartesiani affirmant essentiam corporis sitam esse in extensione actuali; juxta Leibnitzium et Boschovich, corpus constituitur monadis seu punctis simplicibus; alii alia systemata proponunt. 2. Ex essentiâ corporum per rationem cognitâ adversarii concludunt contra præsentiam realem à Deo revelatam. Porro falsa hujusmodi conclusio. Econtrà ex veritate divinitùs revelatâ concludendum est contra notionem naturalem, si notio naturalis veritati revelatæ contradicat: Deus enim non potest errare, homo verò fallibilis est. 3. Difficultates ortæ ex impos-

sibilitate conciliandi mysteria fidei cum notionibus rationis opponi possunt omnibus veritatibus quæ rationem superant. Proindè, si valeant hujusmodi objectiones contra dogma præsentiæ realis, rejicienda sunt omnia fidei mysteria, quorum tamen quædam à Calvinistis admittuntur.

Resp. in specie. 1. Objectio temerè affirmat impossibilitatem compenetrationis corporum. Possibilis est enim in systemate Leibnitzii et Boscowich, cujus falsitas non probatur. 2. Quamvis compenetratio esset impossibilis, nihil indè. Siquidem adversarii non probant dimensionem corporis ità reduci non posse, ut totum corpus Christi contineri queat sub minimâ hostiæ particulâ. Id affirmant econtrà quidam philosophi, asserentes omnia omnium individuorum germina, quæ partes essentiales corporum continent, contenta fuisse in primo speciei individuo. Non mirum proindè, in eorum philosophorum opinione, cujus falsitas non probatur, si Christus totus possit cum omnibus partibus corporis essentialibus contineri sub minimâ hostiæ particulâ. 3. Corpus Christi in Eucharistiâ fruitur dotibus corporum beatorum; proindè subtilitate, quam Apostolus appellat spiritualitatem, 1 Cor. 15, 44 : *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale*. Porro, positâ subtilitate, facilè explicamus ex principiis fidei præsentiam realem Christi sub minimâ hostiæ particulâ.

Item absque ratione negatur possibilitas multilocationis corporum. Quisque enim sanæ mentis admittit ubiquitatem Dei, præsentiam animæ omnibus corporis partibus ; pari ratione, admitti debet possibilitas multilocationis corporum. Siquidem multilocatio corporum

videtur repugnare, non quia corpora sunt extensa, sed quia posità multilocatione, idem corpus esset unum simul et multiplex. Porro idem dici potest de ubiquitate Dei, de multipræsentià animæ. — Posità multilocatione, jàm non repugnat idem corpus contrariis affectionibus accidentalibus subjici in diversis locis; siquidem contraria affirmari possunt de eodem subjecto, sub diversis respectibus. Sic, corpus humanum moveri potest quoàd unum brachium, quiescere quoàd alias partes; à pari, corpus Christi in uno loco potest affici tali modificatione accidentali, et in alio loco modificatione contrariâ.

Ad 2um *Resp.* Ex eo quòd manus Christi totum ipsius corpus continuerit, sequitur tantùm totum corpus Christi in statu sacramentali, qui est supernaturalis, fieri posse minùs extensum quàm pars ejusdem corporis in statu naturali. Porro hoc non repugnat, cùm pars et totum considerentur sub diverso respectu.

Ad 3um *Resp.* 1. Ad summum adversarii unum affirmare possunt, scilicet nos ignorare utilitatem Eucharistiæ. Porro, ex eo quòd utilitatem alicujus rei non cognoscamus, non sequitur rem esse inutilem. 2. Christus realiter præsens in Eucharistiâ est memoriale mirabilium Dei; solatium vitæ humanæ, pignus futuræ resurrectionis et semen immortalitatis corporibus nostris; victima sacrificii ex quo oriuntur Deo gloria infinita, et hominibus maxima utilitas (1).

(1) De utilitate, seu meliùs de thesauris in Eucharistiâ inclusis, vid. quæ breviter quidem, sed luculenter scripsit auctor in vol. *de Locis theologicis*, fascic. 1, pag. 303 et seq., et fascic. 2, pag. 86 et seq.

Probatâ 1ª part. 1ª prop. argumenti scilicet : *Eucharistia continet corpus et sanguinem Christi*, probandæ sunt aliæ partes ejusdem propositionis. Undè,

§ 2.— Proindè Eucharistia continet animam et divinitatem Christi, seu, quod idem est,

Ex præsentiâ corporis et sanguinis in Eucharistiâ concludi potest præsentia animæ et divinitatis.

Prob. generatim, ex Concil. Trid. sess. 13, cap. 3 : *Et semper hæc fides in Ecclesiâ Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie unâ cum ipsius animâ et divinitate existere.*

Prob. p. p. 1ª. Ex præsentiâ corporis et sanguinis Christi in Eucharistiâ concludi potest ipsius animæ præsentia. Nam Rom. 6, 9 : *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur*. Ergo post resurrectionem, anima Christi permanenter unitur ejus corpori et sanguini ; ergo ex præsentiâ corporis et sanguinis Christi in Eucharistiâ concludi potest præsentia animæ.

2ª. Ex præsentiâ corporis, sanguinis et animæ concludi potest præsentia divinitatis. Vidimus enim suprà, sub titulo *de proprietatibus unionis hypostaticæ* (1), unionem hypostaticam naturæ divinæ et humanæ esse indissolubilem et æternam. Ergo ex præsentiâ corporis, sanguinis et animæ, seu, quod idem est, ex præsentiâ humanitatis Christi in Eucharistiâ, concludi potest præsentia divinitatis.

(1) I vol. *de Expositione theolog.* de Providentiâ, pag. 258.

§ 3. — Christus præsens est in Eucharistiâ permanenter,

id est,

ante communionem et post communionem, donec species manent incorruptæ.

Lutherus negat Christum præsentem esse in Eucharistiâ extra usum aut susceptionem. Posteà quidam ex ejus discipulis docuerunt Christi præsentiam durare per totam cœnæ actionem, nimirùm à consecratione ad communionem, imò, cùm statim ad ægrotos defertur.

Sic probatur dogma catholicum.

Prob. arg. gener. 1° Verba consecrationis sunt practica et generalia; ergo in Eucharistiâ Christum producunt absque temporis limite, seu permanenter.

2° Concil. Trid. sess. 13, can. 4: *Si quis dixerit, peractâ consecratione, in admirabili Eucharistiæ sacramento non esse corpus et sanguinem Domini Nostri Jesu Christi, sed tantùm in usu dùm sumitur, non autem ante vel post, et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini; anathema sit.*

Prob. p. p. Vera propositio, si Christus sit præsens in Eucharistiâ ante, et indefinitè post communionem; atqui

1° Christus est in Eucharistiâ ante communionem: Nam 1. efficacia sunt verba formæ Eucharistiæ; ergo statim atque prolata sunt, ac proindè ante communionem, Christum in Eucharistiâ producunt. 2. Si Christus non esset præsens in Eucharistiâ statim post consecrationem, Christus mentitus fuisset Apostolis in ultimâ cœnâ, siquidem statim post consecrationem et ante

communionem affirmavit Eucharistiam esse corpus et sanguinem suum.

2° Christus indefinitè præsens est in Eucharistiâ, consecratione factâ: fides Ecclesiæ de hâc veritate constat sequentibus factis. 1. Missâ præsanctificatorum, seu in quâ sacerdos non consecrat hostiam, sed utitur hostiâ jam præsanctificatâ aut consecratâ; à primis Ecclesiæ sæculis usitata est apud Græcos per totam quadragesimam, exceptis sabbato et diebus dominicis (1), apud Latinos usitatur tantùm in die Parasceves. 2. Corpus Christi includebatur in pastophoriis, ciboriis, columbis, turriculis (2). 3. Deferebatur per diaconos ad absentes, affirmantibus SS. Justino, apolog. 2, et Irenæo, ep. ad Victor. papam, ap. Euseb. l. V, c. 24; deferebatur ad infirmos, ut liquet ex historiâ cujusdam Serapionis, ad quem jamjam moriturum infirmus sacerdos per puerum Eucharistiam misit Euseb. *hist.*, l. VI, c. 44. 4. Testibus Tertulliano, SS. Cypriano, Basilio et aliis, fideles Eucharistiam asservabant in domibus, ut eâ privatim vescerentur; eam quoque asportabant in itineribus, ut eâ, veluti tutissimo præsidio, munirentur adversùs insidias diaboli et varia peregrinationum pericula (3).

(1) SS. Basilio et Chrysostomo antiquior est, ejusque origo ad Synodum saltem Laodicænam referri debet. Sancitum enim in eâ fuit, can. 49, *non oportere in Quadragesimâ panem offerre, nisi sabbato et Dominicis tantùm.*

(2) De his vid. inter alios D. Martène, *De antiq. Eccles. rit.* l. I, c. 5, art. 3; Bona, *Rer. liturg.* l. II, cap. 17, n. 6.

(3) Tertul. l. II ad uxor. c. 5: *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes: et, si sciverit panem, non illum credit esse qui dicitur.* Et, de orat. c. 14: *Acceptio corpore Domini et*

§ 4. — **Christus est præsens in Eucharistiâ vi transsubstantiationis**

undè,

Christus est præsens in Eucharistiâ sub speciebus panis et vini totus sub utrâque specie ; totus, saltem fractione factâ, sub singulis cujusque speciei partibus.

I. Christus est præsens in Eucharistiâ vi transsubstantiationis.

Præmit. Transsubstantiatio, *activè sumpta*, est conversio totius substantiæ panis et vini in corpus et sanguinem ; id est, actio Dei, quâ vult non conservare substantiam panis et vini, ut in eorum locum adducat corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini. — *Actio Dei* : hic enim agitur de transsubstantiatione activè

reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et exsecutio officii. S. Cyprianus, lib. de lapsis, tradit : *cùm quædam mulier arcam suam, in quâ Domini Sanctum fuit, manibus indignis tentâsset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Narrat S. Gregorius Nazianzen. orat. in funere sororis suæ Gorgoniæ eam apud se in cubiculo reconditum habuisse corpus Christi, et fusâ ante ipsum oratione à gravi morbo liberam evasisse. S. Basilius, epist. 289 ad Cæsariam : *Quoniam verò per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessario, sacerdote vel ministro non præsente, propriis manibus percipere communionem, non est nisi supervacaneum ut demonstrem illam ipsam rem non esse graviter et iniquè ferendam, eo quòd inveterata consuetudo hoc ipsum confirmatum dederat. Nam et illi omnes qui per eremos vitam monasticam instituunt, ubi copia non suppetit sacerdotis, cùm habeant domi communionem, de suis manibus illam percipiunt. Alexandriæ autem et per Ægyptum unusquisque etiam de plebe ut plurimum habet domi suæ communionem.* — Exempla delationis Eucharistiæ in itinere referunt S. Hieronymus, epist. 4 ad Rustic., S. Ambrosius in l. I de excessu Satyri fratris sui, S. Gregorius papa in lib. IV dialog. c. 36, et alii, quos videre est apud Martène, op. cit. l. I, c. 5, art. 4, et Bona, loc. cit.

sumptâ. *Quâ vult non conservare substantiam panis et vini:* nam res in aliam converti non potest, nisi prior desinat esse. Porro, ut substantia desinat existere, non requiritur actio positiva; sufficit ut Deus velit non conservare, quia nullum ens potest existere absque ratione existendi, atqui ratio existendi omnium creaturarum ex voluntate Dei positivâ pendet. *Ut in eorum locum adducat*, id est, 1. *ponat* corpus et sanguinem Domini: alioquin nulla esset conversio panis et vini in corpus et sanguinem Christi; 2. ponat corpus et sanguinem *per adductionem:* duplici modo corpus et sanguis poni possunt in locum substantiæ panis et vini, per creationem, per adductionem. Porro rejiciendus primus modus, nam corpus Christi jam existit in cœlo ante transsubstantiationem, ergo inutilis ipsius nova creatio, admittendus ergo secundus modus seu adductio. Adducitur autem corpus et sanguis, non in eo sensu quòd cœlum deserat, quòd moveatur ad species; sed in eo sensu quòd per omnipotentiam Dei, manens in cœlo, incipiat esse in Eucharistiâ. *Sub speciebus panis et vini:* cessante substantiâ, Deo miraculosè conservante species, Christus præsens est sub speciebus panis et vini. (Hæc est, inter alias, explicatio Bellarmini, *de Sacram. Euchar.* lib. III, cap. 18.)

Transsubstantiationem negant Lutherani, admittentes quidam sed pauci *impanationem*, id est unionem hypostaticam Christi cum pane et vino; alii, *consubstantiationem*, scilicet, præsentiam Christi cum pane, in pane et sub pane.

Probatur dogma catholicum argumentis directis, indirectis.

Probationes directæ.

Prob. I. Verba institutionis Eucharistiæ probant præsentiam realem, simul et indicant modum præsentiæ realis, ut fatentur Lutherani, adversarii nostri. Porro, quatenùs designant modum præsentiæ, intelligenda sunt in sensu transsubstantiationis. Res ità est, si non possint intelligi, nec in sensu impanationis nec in sensu consubstantiationis. Atqui

1° Non possunt intelligi in sensu impanationis: In hâc enim opinione verba Christi significant: « Hic panis unione hypostaticâ fit corpus meum. » Porro hæc versio cum sequentibus unita impia et absurda est; nam verbis illis: *Hoc est corpus meum*, Christus addidit: *quod pro vobis tradetur*; verbis: *hic est sanguis meus*, subjunxit: *qui pro vobis fundetur*. Proindè, ex interpretatione impanatorum, panis solus pro nobis traditus fuisset, solum vinum pro salute nostrâ effusum fuisset: quod evidenter impium et absurdum est.

2° Non possunt intelligi in sensu consubstantiationis: Siquidem in illâ opinione, verborum Christi talis est sensus: « hìc (adverbium) est corpus meum cum pane, et sanguis meus cum vino. » Atqui hic sensus contradicit verbis Christi. Nam 1. Christus affirmat simpliciter, *hoc*, quod gerebat in manibus suis, esse corpus et sanguinem. Lutherani autem per interpretationem suam affirmant absque motivo cum corpore et sanguine adesse panem et vinum. 2. Si Christus consubstantiationem affirmare voluisset, debuisset uti adverbio « *hic* est corpus meum, » « *hic* est sanguis

meus, » non verò pronomine *hoc*, alioquin decepisset auditores. Sic v. g. aliquis ostendens arcam in quâ contineretur homo dicere deberet « *hic* est homo, » non verò : « *hoc* est homo. » 3. Si admittenda sit consubstantiatio, pronomen *hoc* designat panem; undè verba Christi significant : « hic panis est corpus meum. » Porro hæc interpretatio repugnat in opinione consubstantiationis. Siquidem, in hâc opinione, corpus Christi et panis non uniuntur hypostaticè, sed per simplicem conjunctionem. Porro, cùm res distinctæ uniuntur per simplicem conjunctionem, una non potest propriè dici de alterâ.

Prob. II. Ex Tradit. Patres, ut constat ex textibus in thesi de præsentiâ reali citatis, et cæteris quos citare potuissemus, affirmant: panem eucharisticum non esse communem panem, sed esse corpus Christi, et quidem verum, proprium, quale natum est de B. V. M., crucifixum ac pro nobis mortuum; Christum de pane fecisse corpus suum; post verba Christi, non superesse naturam seu substantiam panis et vini, quamvis aliter sensus judicent; panem et vinum converti, mutari, transmutari, transire in corpus et sanguinem Christi.—In omnibus liturgiis sacerdos postulat ut symbola panis et vini super altare posita in corpus et sanguinem Christi convertantur. — Porrò locutiones prædictæ supponunt fidem transsubstantiationis, ut evidens est.

Prob. III. Conc. Trid. sess. 13, can. 2, hæc habet: *Si quis dixerit in sacro-sancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini unà cum corpore et sanguine D. N. J. C., negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in*

corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transsubstantiationem appellat; anath. sit.

Probatio indirecta.

Doctrina Ecclesiæ de transsubstantiatione possidet; ergo admittenda est, nisi rationibus validis impugnetur. Porro invalidas esse rationes adversariorum earum expositione et refutatione constabit.

Dogma transsubstantiationis, aiunt adversarii, rejiciendum est, quia 1° novum est, et in antiquitate inauditum. Quia 2° adversatur relationi sensuum, qui unanimiter testantur substantiam panis et vini remanere in Eucharistiâ, post consecrationem: undè affirmanda est permansio substantiæ panis et vini in Eucharistiâ, vel rejiciendus est valor perceptionis sensuum; quod fieri non potest, quin inducatur Pyrrhonismus. Quia 3° admissâ transsubstantiatione, admittenda sunt accidentia absque subjecto cui inhæreant; accidentia separata à substantiâ suâ, quæ producunt tamen omnes effectus substantiæ, v. g. nutritionem, etc., quod absurdum est.

Resp. Ad 1um. Equidem verbum *transsubstantiatio* novum est, et in antiquitate inauditum; doctrina autem per hanc vocem expressa, nedùm sit nova, econtrà à Patribus primorum sæculorum erat admissa, ut vidimus in probationibus. Id unum ergo innovavit Ecclesia, scilicet modum exprimendi verbo concisiori et clariori dogma per traditionem transmissum. Porro hujusmodi innovatio non est ratio sufficiens rejiciendi

dogma à Patribus traditum et ab Ecclesiâ definitum; alioquin rejicienda esset divinitas Christi, quia Concilium Nicænum hoc dogma expressit per vocem *consubstantialis* in antiquitate inusitatam.

Ad 2um. Falsò asseritur dogma transsubstantiationis adversari relationi sensuum. Sensus enim id unum per se testantur, scilicet adesse species, aut apparentias panis et vini; tacent autem de existentiâ substantiæ. Porro dogma transsubstantiationis non negat, imò affirmat existentiam specierum, negat tantùm existentiam substantiæ. Nec indè sequitur negandum esse valorem perceptionis sensuum, seu propensionis naturalis quâ impellimur ad concludendum ex apparentiis ad substantiam. Valida est enim hæc conclusio, nisi aliundè certò constet abesse substantiam remanentibus tantùm speciebus; porro in Eucharistiâ hoc certò constat per revelationem.

Ad 3um. 1° Ad affirmandam absurditatem accidentium sine subjecto existentium et producentium effectus eosdem ac substantia, requireretur notio perfecta naturæ accidentium; porro philosophi de hâc quæstione inter se disputant. Peripatetici admittunt accidentia absoluta, seu quæ in se et absque substantiâ existere possunt; alii autem philosophi docent accidentia substantiæ nihil aliud esse quàm ipsamet substantia diversè modificata, proindè negant accidentia absoluta. 2° Existentia et effectus accidentium eucharisticorum in duplici opinione explicari possunt: in opinione accidentium absolutorum, hoc est evidens; in aliâ opinione, dicendo nempè cum Scoticis Deum in sensibus et in animâ easdem impressiones per se operari, quas panis et vinum excitabant ante consecrationem.

II. Undè Christus in Eucharistiâ præsens est sub speciebus panis et vini, totus sub utrâque specie, imò sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ.

Prob. summatim. Concil. Trident. sess. 13, can. 3, hæc ait: *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquâque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri, anathema sit.*

Prob. p. p. 1ª. Christus præsens est sub speciebus:

Nam ex unâ parte, Christus præsens est in Eucharistiâ; ex alterâ parte, vi transsubstantiationis, post consecrationem jàm non adest substantia panis et vini. Ergo Christus est sub speciebus panis et vini.

2ª *p.* Totus est sub utrâque specie:

Nam 1° alioquin dicendum foret corpus, excluso sanguine, existere sub specie panis, et sanguinem, excluso corpore, existere sub specie vini. *Christus* enim, ut jàm diximus, *resurgens ex mortuis jam non moritur* (Rom. 6, 9); ergo sanguis à corpore non potest separari, alioquin corpus Christi esset in statu mortis. Ergo corpus et sanguis Christi sunt et uniuntur sub utrâque specie; proindè anima, proindè divinitas, ut suprà probavimus; proindè Christus totus est sub utrâque specie.

2. 1 Cor. 11, 27: *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis et sanguinis Domini.* Apostolus, in textu, communionem sub specie panis disjungit particulâ *vel* à communione sub specie vini, affirmatque utramque, si sit indigna, esse sacrilegium. Ergo supponit corpus et sanguinem Christi sub utrâque specie existere; si autem corpus et sanguis, ergo et anima, ergo et divinitas.

3ª *p.* Imò totus sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ :

Nam 1. cùm consecratur hostia, omnes ejus partes consecrantur; ergo sub omnibus hostiæ partibus ponitur Christus, hic est enim effectus consecrationis. Ergo sub hostiæ partibus ponitur totus Christus, Christus enim dividi non potest.

2. Christus in ultimâ cœnâ consecratum calicem dedit discipulis, dicens : *accipite et dividite inter vos* (Luc. 22, 17). Ergo, si Christus non esset præsens sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ, apostoli non sumpsissent totum Christum sub specie vini. —In Missæ sacrificio sacerdos hostiam dividit. Ergo, si Christus non esset totus sub singulis cujusque speciei partibus, sacerdos communicans, vel non sumeret Christum, vel eum sumeret solùm divisum per partes. Quæ duo offendunt aures christianas.

3. In officio SS. Sacramenti sequentia canit Ecclesia :

Fracto demùm Sacramento,
Ne vacilles, sed memento
Tantùm esse sub fragmento
Quantum toto tegitur.

Dicimus : *separatione factâ.* Controvertitur enim utrùm Christus sit totus sub singulis cujusque speciei partibus, ante separationem. Affirmant communiter theologi contra paucos. Opinio affirmans hâc ratione præcipuè nititur : Christus est totus sub singulis cujusque speciei partibus, factâ separatione, à pari ante separationem.

§ 5. — Christus est in Eucharistiâ ad spiritualem animæ refectionem.

Prob. Joan. 6: *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis... Caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.*

PROPOSITIO II.

Præsentia Christi in Eucharistiâ cum conditionibus prædictis verum constituit sacramentum.

Prob. Vera propositio, si præsentia Christi in Eucharistiâ habeat omnes conditiones sacramenti. Atqui,

Est *signum sensibile, arbitrarium, symbolicum gratiæ:* nam species panis et vini significant refectionem spiritualem animæ, quæ fit per gratiam; eam significant modo sensibili, arbitrario, symbolico, ut evidens est. Signum *practicum:* siquidem, juxta quosdam, per verba consecrationis adducuntur sub speciebus panis et vini corpus et sanguis Christi; juxta alios, species ut consecratæ causant instrumentaliter gratiam cibantem (1). *A Deo institutum:* Christus enim post celebrationem ultimæ cœnæ, alloquens discipulos ait, Luc. 22, 19: *Hoc facite in meam commemorationem.* *Permanenter:* verba enim citata sunt generalia, nec ullam temporis limitationem continent.

(1) Prior explicatio est Bellarmini, cujus sententiam circa transsubstantiationem superiùs exposuit auctor; de alterâ vid. inter alios Billuart, *de Euchar.* diss. 2, art. 1, § 2.

QUÆSTIO II.

Quandò Christus instituerit Eucharistiam?

Resp. Ab omnibus admittitur, et certum est Christum instituisse Eucharistiam in ultimâ cœnâ, pridiè quàm pateretur. Constat ex Matth. 26, Marc. 14 et Luc. 22.

Controvertitur autem quâ die Christus ultimam cœnam celebraverit. — Juxta Latinos, Christus ultimam cœnam celebravit, vesperâ secundâ lunæ, seu diei decimæ quartæ. — Græci verò, ut suum de fermentato usum tueantur, affirmant Christum unâ die anticipâsse esum Agni paschalis, et ultimam cœnam celebrâsse secundâ vesperâ lunæ decimæ tertiæ.

Contra Græcos sit propositio sequens : Christus celebravit ultimum Pascha, consequenter Eucharistiam instituit, die, seu lunâ decimâ quartâ exeunte.

Prob. Res ità est, si 1. Christus celebraverit cœnam paschalem primâ die azymorum, quandò necesse erat occidi Pascha, et quandò Judæi illud immolabant ; si 2. prima dies azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha, et illud immolabant Judæi, fuerit luna decima quarta sub secundis vesperis. Atqui hæc duo certa sunt.

1° Christus celebravit cœnam paschalem, primâ die azymorum, quandò necesse erat occidi Pascha, et Judæi illud immolabant : Luc. 22, 7 et seq. *Venit autem dies azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha... et paraverunt pascha. Et, cùm facta esset hora, discubuit* (Jesus) *et duodecim Apostoli cum Eo.* Marc. 14,

12 et seq. *Et primo die azymorum, quandò pascha immolabant... et paraverunt Pascha* (discipuli). *Vespere autem facto, venit cum duodecim...* Ergo.

2° Prima dies azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha, et illud immolabant Judæi, erat luna decima quarta sub secundis vesperis: Levit. 23, 5: *Mense primo, quartadecimâ die mensis ad vesperum, phase Domini est, et quintadecimâ die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est.* Ergo.

Qui voluerit quæstionem præsentem altiùs perscrutari, adeat auctores qui de re penitùs disputârunt.

QUÆSTIO III.

Quomodò Christus instituerit sacramentum Eucharistiæ?

Resp. Christus instituit Eucharistiam immediatè per se, determinando materiam et formam hujus sacramenti. Hoc patet ex historiâ hujus institutionis in Evangelio relatâ.

CAPUT II.

DE CONDITIONIBUS.

Not. Hic solummodò dicendum de conditionibus specialibus, cùm jàm fuerit tractatum de conditionibus generalibus, ubi *de Sacramentis in genere.*

ARTICULUS I.

De conditionibus ex parte ministri.

Quær. *Quænam conditiones speciales requirantur in ministro Eucharistiæ?*

Duplex est minister Eucharistiæ, minister Eucharistiæ conficiendæ; minister Eucharistiæ distribuendæ. Undè duplex est quæstio.

Ad 1[am] scilicet: *Quænam conditiones speciales requirantur in ministro Eucharistiæ conficiendæ?*

Resp. In ministro Eucharistiæ consecrandæ una conditio specialis requiritur et sufficit, scilicet character sacerdotalis.

Prob. 1[a] *p.* Requiritur character sacerdotalis:

1° *Script.* Christus potestatem consecrandi concessit per hæc verba post institutam Eucharistiam prolata, Luc. 22, 19: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo ad consecrandam Eucharistiam requiritur character sacerdotalis, si prædicta verba solummodò ad Apostolos et ad eorum successores direxerit. Atqui res ità est: nam verba prædicta sunt non solùm permissiva, sed etiam præceptiva. Ergo, si ad omnes christianos directa fuissent, omnes non solùm possent, sed etiam tenerentur Eucharistiam consecrare; quod ab omnibus rejicitur.

2° *Tradit.* S. Justinus, apol. 2, ait eum qui fratribus, id est christianis *præest* (nempè episcopum vel presbyterum) rerum universarum Patri per nomen Filii et Spiritûs Sancti offerre sacrificium. Tertullianus lib. de Præscript. cap. 41, perstringit hæreticos quòd laïcis sacerdotalia munia concederent. S. Hieronymus, dial. contr. Luciferian. docet *Hilarium, qui diaconus tantùm erat, non potuisse Eucharistiam conficere, eò quòd Episcopos et Presbyteros non haberet.* Concil. Nicæn. I, cap. 18: *Pervenit ad sanctum concilium quòd, in quibusdam locis et civitatibus, presbyteris sacræ com-*

munionis gratiam diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his qui potestatem non habent offerendi illi qui offerunt Christi corpus accipiant.

3° *Veteri Eccles. disciplinâ.* Constat ex veterum monumentis, instante persecutione, fideles Eucharistiam in domos suas detulisse, ut eâ opportuno tempore uterentur; presbyteros cum summo vitæ periculo in carceres irrepsisse, ut martyres sacrâ communione munirent; anachoretas servâsse per integros annos Eucharistiam à sacerdote acceptam. Porro hæc facta supponunt fidelibus primorum sæculorum persuasum fuisse Eucharistiam à solis sacerdotibus posse consecrari (1).

4° Conc. Trid. sess. 22, can. 2: *Si quis dixerit illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinâsse ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum; anathema sit.*

2ª *p.* Sufficit character sacerdotalis: necessitas enim alius conditionis probari non potest.

Ad 2ᵃᵐ, scilicet: *Quænam conditiones speciales requirantur in ministro Eucharistiæ distribuendæ?*

Resp. 1° Ut minister distribuat realiter corpus et sanguinem Christi, nulla requiritur conditio specialis.

2° Ut distribuat cum jure ordinario, requiritur character sacerdotalis. Siquidem 1. ad eum pertinet ordinaria distributio Eucharistiæ, ad quem pertinet ejus consecratio; porro ex dictis constat Eucharistiæ conse-

(1) Vid. Notam pagin. 42.

crationem ad presbyteros pertinere. 2. Conc. Trid. sess. 13, cap. 8, ait semper in Ecclesiâ Dei hunc morem fuisse, tanquàm ex traditione apostolicâ descendentem, *ut laïci à sacerdotibus communionem acciperent.*

3° Ut distribuat cum jure extraordinario, requiritur ordo diaconatûs: Hæc enim erat Ecclesiæ disciplina vetus, juxta Concil. Carthagin. IV, can. 38: *Diaconus, præsente presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* — In præsenti Ecclesiæ disciplinâ, diaconus non posset Eucharistiam distribuere, nisi ægrotanti per modum viatici, et absente sacerdote.

ARTICULUS II.

De conditionibus ex parte elementorum.

§ I. — De Materiâ.

Quærendum 1° quænam sit materia Eucharistiæ, 2° quænam conditiones speciales requirantur in materiâ?

Ad 1am quæst. scilicet: *Quænam sit materia Eucharistiæ?*

Resp. Materia Eucharistiæ duplex est: panis propriè dictus, vinum propriè dictum.

Constat 1° ex narratione institutionis Eucharistiæ. 2° Ex fide et praxi constanti Ecclesiæ. 3° Ex decreto Eugenii IV ad Armenos, in Concil. Florent. *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cujus materia est panis triticeus, et vinum de vite.*

Ad 2am quæst. *Quænam requirantur conditiones speciales in materiâ, scilicet in pane, in vino?*

Resp. 1° Panis debet esse 1. triticeus : undè non valeret consecratio, si panis esset hordeaceus ; dubia esset, si panis esset secalitius ; 2. cum aquâ naturali confectus ; 3. coctus : alioquin non esset panis propriè dictus.

Parùm refert ad validitatem, utrùm panis sit azymus, aut fermentatus. Nam 1. panis triticeus est panis propriè dictus, sive sit azymus, sive fermentatus. 2. Ecclesia Romana adhibet panem azymum, et permittit Ecclesiæ Græcæ usum panis fermentati. 3. Concil. Florentinum, in decreto unionis Græcorum, hæc habet : *Definimus... in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici ; sacerdotesque in alterutro, ipsum Domini corpus conficere debere unumquemque scilicet, juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem.*

Resp. 2° Vinum debet esse ex uvis expressum : *vinum de vite*, inquit Eugenius IV. Et hoc sufficit, nec proindè requiritur ad validitatem ut sit aquâ mixtum.

Undè 1. non valeret consecratio succi, qui in uvâ adhuc contineretur ; quia nondùm dici potest vinum. Ratione contrariâ, valida, quamvis illicita foret, consecratio musti.

2. Non valeret consecratio succi, qui ex uvis immaturis (gallicè *verjus*) exprimeretur, quia nondùm habet speciem vini.

3. Probabiliùs valeret consecratio vini congelati. Quia 1. remanet substantialiter vinum. Quia 2. ex rubricis Missalis Romani, tit. *de Defectibus*, n. 11, species vini post consecrationem congelatæ debent liquefieri, et deindè sumi ut verum sacramentum. Ergo sub spe-

ciebus vini congelati præsens est Christus ; ergo vinum congelatum non adulteratur essentialiter post consecrationem, proindè nec ante ; proindè valeret consecratio (1). Practicè tamen abstineat sacerdos à consecratione ; quia pars tutior est eligenda.

§ II. — De Formâ.

Quærendum 1° quænam sit forma Eucharistiæ, 2° quænam conditiones speciales requirantur in formâ ?

Ad 1^{am} q. scilicet : *Quænam sit forma Eucharistiæ?*

Resp. Juxta omnes hæc verba : *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus*, vel *hic est calix sanguinis mei*, requiruntur.

Utrùm autem ista sufficiant ?—Quidam negant, affirmantes saltem requiri partem canonis sufficientem ut determinetur consecrationis verba pronuntiari in nomine Christi, non verò in nomine sacerdotis.

Juxta autem communem theologorum sententiam, hæc verba *hoc est corpus meum ; hic est sanguis meus*, vel *hic est calix sanguinis mei*, sunt forma Eucharistiæ requisita et sufficiens.

Pr. 1ª. *Script.* Verba Christi sunt efficacia ; ergo producunt quod significant ; ergo per ea Christus transsubstantiat et panem in corpus, et vinum in sanguinem suum. Ergo sunt forma Eucharistiæ ; per formam enim sacramentorum ea intelliguntur verba, quæ significant simul et producunt effectum sacramentalem.

(1) Vid. S. Lig. *Theol. moral.* l. VI, n. 207. Graviter illicita esset consecratio vini congelati, saltem propter injuriam erga tantum sacramentum.

Pr. 2ª. *Tradit.* S. Irenæus, lib. 5 adv. hær. cap. 2: *Quandò panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia corpus et sanguis Domini.* Porro Verbum Dei nihil aliud est quàm forma in propositione nostrâ indicata. Tertullianus, adv. Marcion. l. 4, c. 40: *Acceptum panem et distributum discipulis, corpus suum fecit, hoc est corpus meum dicendo.* S. Gregorius Nyssen. orat. catechet. c. 7: *Panis statim per Verbum in corpus mutatur, ut dictum est à Verbo: hoc est corpus meum.* S. Augustinus, serm. 28 de verb. Domini: *Ante verba Domini, quod offertur in altari panis dicitur; ubi Christi verba deprompta fuerint, jàm non panis dicitur, sed corpus appellatur.* Idem docent S. Joan. Chrysostomus, homil. 2 in II Tim., et homil. 1 de prodit. Judæ; S. Ambrosius, lib. 4 de sacram. c. 5; S. Joan. Damascenus, de fid. orthod. l. 4, c. 13, etc.

Pr. 4. Concil. Florent. in decreto Eugenii IV ad Armenos: *Forma hujus Sacramenti* (Eucharistiæ) *sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertitur.* Concil. Trid. sess. 13, cap. 3, affirmat *statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie, unà cum ipsius animâ et divinitate existere.* Porro verba consecrationis dicuntur verba in propositione nostrâ citata.

Ex propositione præcedenti sequentia deduci possunt: 1° Ad validitatem consecrationis panis non requiruntur verba sequentia: *Qui pridiè quàm pateretur... Accipite et manducate... Enim.* 2° Ad validita-

tem consecrationis vini non requiruntur verba sequentia : *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Mysterium fidei. Novi et æterni testamenti.* Siquidem absque illis verbis sufficienter exprimitur præsentia realis. Aliundè verba hæc vel non leguntur apud Evangelistas, vel non leguntur apud omnes.

Ad 2^m q. scilicet : *Quænam conditiones speciales requirantur in formâ ad validam Eucharistiæ confectionem?*

Conditiones speciales spectant solummodò ad unionem materiæ et formæ. Undè,

Quær. 1° *Utrùm valeat forma uni tantùm speciei applicata?*

Resp. Affirmativè. Nam verba consecrationis sunt efficacia; proindè producunt quod significant. Ponitur ergo Christus sub specie priùs consecratâ, antequàm sacerdos procedat, et quamvis sacerdos non procederet ad consecrationem alterius speciei.

Quær. 2° *Quænam unio requiratur inter materiam et formam?*

Resp. Requiritur ut materia sit physicè præsens et demonstrabilis sacerdoti consecranti. Alioquin non verificarentur pronomina demonstrativa formæ.

Undè non validè consecrarentur hostiæ in tabernaculo positæ; benè verò hostiæ super corporale positæ, licèt in ciborio cooperto. Siquidem hostiæ non sunt sufficienter præsentes et demonstrabiles in primo casu, benè verò in secundo.

ARTICULUS III.

De conditionibus ex parte subjecti.

Quær. *Utrùm, et quænam conditiones speciales requirantur in subjecto Eucharistiæ ad validam sacramenti receptionem?*

Resp. 1° Ad receptionem realem corporis et sanguinis Christi, nulla requiritur conditio in subjecto. Christus enim est permanenter præsens in Eucharistiâ; proindè realiter recipitur ab omnibus qui suscipiunt species consecratas.

2° Ad susceptionem sacramentalem, requiritur manducatio specierum; *Qui manducat meam carnem...*, ait Christus. Undè concluditur: Species non sunt retinendæ in ore tandiù donec penitùs pereant, quia tunc non manducaretur Christus, nec gratia sacramenti conferretur. Ità S. Lig. l. VI, n. 226 cum Suarez, De Lugo et multis contra nonnullos. — Hoc sufficit in infantibus. — In adultis autem requiritur insuper saltem intentio habitualis et implicita, ut jàm diximus sub titulo *de Sacramentis in genere.*

CAPUT III.

DE EFFECTIBUS.

Quær. *Quosnam effectus producat Sacramentum Eucharistiæ?*

Resp. Sacramentum Eucharistiæ producit effectus sequentes (1).

(1) Sanctissimi hujus sacramenti effectus sic exponuntur in Con-

1us *Effectus*. Eucharistia nutrit animam, ipsam proindè conjungit intimè cum Christo, in eâque producit quoàd vitam spiritualem omnes effectus quos producit cibus et potus materialis quantùm ad vitam corporalem; scilicet sustentat, auget, reparat et delectat.

Prob. 1a *p*. Eucharistia nutrit animam : Joan. 6, 56: *Caro... mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus.*

2a *p*. Proindè ipsam conjungit intimè cum Christo : Nam 1o cibus cum manducante quid unum efficitur. 2o Joan. 6, 57: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*. Undè, juxta S. Cyrillum Hyerosolymitanum, catech. 22, qui Eucharistiam suscipiunt, fiunt *concorporei* et *consanguinei* Christi.

cil. Florent. in decret. Eugenii IV ad Armenos : *Hujus sacramenti effectus, quem in animâ operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur : omnemque effectum, quem materialis cibus et potus, quoàd vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando et delectando, sacramentum hoc quoàd vitam operatur spiritualem : in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementum.* Et in Concil. Trid., sess. 13, cap. 2 : *Sumi autem voluit* (Salvator noster) *sacramentum hoc, tanquàm spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vitâ illius qui dixit :* Qui manducat me, et ipse vivet propter me, *et tanquàm antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, et à peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, et perpetuæ felicitatis : adeòque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos, tanquàm membra, arctissimâ fidei, spei et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.*

3ª *p*. Producit quoàd vitam spiritualem omnes effectus... Siquidem Eucharistia instituta est per modum cibi et potûs spiritualis ad spiritualem alimoniam animæ. Ergo quoàd vitam spiritualem eosdem producit effectus quos cibus corporalis quoàd vitam corporalem. Porro cibus corporalis sustentat, auget, reparat, delectat. Ità D. Thomas, 3 p. q. 79, art. 1.

2ᵘˢ *Effectus*. Producit directè gratiam secundam, remissivam peccati venialis; indirectè gratiam primam.

Prob. 1ª *p*. Producit *directè* gratiam secundam: Instituitur enim ad spiritualem animæ nutritionem; supponit proindè vitam spiritualem, seu gratiam primam. Ergo directè producit tantùm gratiam secundam.

Gratiam remissivam peccati venialis: Nam juxta Conc. Trid. sess. 13, cap. 2, Eucharistia est *antidotum quo liberamur à culpis quotidianis, et à peccatis mortalibus præservamur*.

Theologi communiter admittunt hanc remissionem fieri, — tùm ex opere operantis, quia Eucharistia auget charitatem, ac consequenter remittit peccatum veniale; — tùm ex opere operato, modò subjectum recipiens Eucharistiam deponat affectionem peccato. Et sic, juxta illos, sacramentum immediatè delet maculam venialis, licèt non præcesserit detestatio sufficiens ad tollendum veniale sine ullo sacramento. Ità Suarez cum communiori sententiâ (1).

Quidam tamen rejiciunt remissionem peccati venia-

(1) Vid. Suarez, disp. 63, sect. 2, De Lugo, *de Euch*. disp. 12, sect. 4.

lis ex opere operato. Peccatum enim, inquiunt, non potest remitti absque contritione aut attritione; porro contritio aut attritio per se destruunt peccatum veniale, quod proindè non potest remitti per sacramentum (1).

2ª *p*. Producit, probabiliùs, *indirectè* gratiam primam, ut explicavimus sub titulo *de Sacramentis in genere*.

3ᵘˢ *Effectus*. Producit gratiam sacramentalem, seu jus ad gratias actuales ordinatas ad vitam spiritualem augendam virtutum profectu et meritorum augmento. Undè præservat à peccatis, tùm mortalibus, tùm venialibus, ut affirmat Concilium Tridentinum supràcitatum.

4ᵘˢ *Effectus*. Dat pignus resurrectionis et æternæ gloriæ.

Prob. 1ª *p*. Dat pignus resurrectionis, in eo sensu quòd corpora justorum, ratione realis eorum conjunctionis cum Christo, resurgent speciali titulo. Hæc enim ait Christus, Joan. 6, 55: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem habet vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die*.

2ª *p*. Dat pignus æternæ gloriæ, in eo sensu quòd cibus eucharisticus nutrit et confortat animam in vità spirituali, ut possit perseverare usque ad tempus quo gloria dabitur. Propositio probatur 1. textu præcedenti: *Qui manducat... habet vitam æternam*. 2. Concilio Trid. qui sess. 13 appellat Eucharistiam *pignus æternæ gloriæ*.

(1) Ità pauci inter veteres, S. Bonavent., Alex. Alens., P. Soto.

Hic locus esset dicendi de partibus *morali* et *disciplinari* sacramenti Eucharistiæ. Illas autem censemus simul esse exponendas cum partibus respondentibus tituli de Eucharistiæ *Sacrificio*.

DISPUTATIO II.

DE SACRIFICIO

EUCHARISTIÆ.

Præmittendæ sunt notiones de sacrificio in genere, et speciatim de sacrificio Eucharistiæ.

I. Vox *sacrificium* in duplici sensu accipi potest : lato scilicet, et stricto.

In sensu lato designat actum quemvis religionis internum aut externum.

In sensu stricto sacrificium, activè sumptum, definiri potest : actus sacerdotis, rem sensibilem externè offerentis et immutantis, ad recognoscendum præcipuè supremum Dei in omnes creaturas dominium. Hæc definitio summatim resumit proprietates communes sacrificiis Deo oblatis in omnibus religionis statibus.

Dicimus 1° *actio sacerdotis :* his verbis designatur causa saltem secundaria sacrificii. — *Actio :* loquimur enim de sacrificio activè sumpto. Passivè sumptum, sacrificium est : victima à sacerdote oblata et permutata in recognitionem dominii divini. — *Sacerdotis :* Sacerdos autem est homo à Deo constitutus ut offerat pro hominibus dona et sacrificia. Constat ex ep. ad Hebr.

5, 1: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia.* Et infrà, ibid. 4: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron.* Undè sacerdos est mediator secundarius inter Deum et hominem. Siquidem repræsentat Deum, per auctoritatem sibi à Deo communicatam; homines, quia deputatur ad offerenda sacrificia eorum nomine. — Ad functiones autem sacerdotales deputati sunt: in lege naturæ, patres-familiàs; in lege mosaïcâ, filii Aaron; in lege novâ, Episcopi et sacerdotes validè ordinati.

Dicimus 2° sacerdotis *rem sensibilem offerentis externè et immutantis:* his verbis designantur materia et modus sacrificii.

Materia: quæ est res sensibilis, ut patet ex sacrificiis Deo oblatis. Sic distinguitur sacrificium ab actionibus personalibus quibus exprimitur adoratio, v. g. ab actu adorationis verbis aut genuflexione expresso, etc.

Modus: in sacrificio res debet *offerri*, siquidem 1. *pontifex constituitur ut offerat dona et sacrificia.* 2. In Scripturâ sacerdos perficiens sacrificium dicitur offerre sacrificium. — Res debet offerri *externè:* sacrificium enim est actus cultûs externi. — Res debet *permutari*, per destructionem, aut alio modo, ità ut desinat esse id quod anteà erat. Quæ conditio constat ex sacrificiis oblatis in omnibus religionis statibus. Sic sacrificium distinguitur à simplici oblatione in quâ res sensibilis offertur quidem Deo, sed absque immutatione.

Dicimus 3° *ad recognoscendum præcipuè supremum Dei dominium in omnes creaturas:* his verbis designatur finis sacrificii. — Finis sacrificii potest esse quadru-

plex : recognitio supremi Dei dominii, gratiarum actio pro beneficiis à Deo acceptis; beneficiorum petitio; expiatio peccati. Hinc solet distingui quadruplex sacrificium ; *latreuticum*, quo testamur supremum Dei dominium ; *eucharisticum*, quo testamur gratitudinem nostram pro beneficiis acceptis ; *impetratorium*, quo petimus nova beneficia ; *propitiatorium*, quo studemus placare Deum. — Porro ex quatuor finibus sacrificii, primus, id est, recognitio dominii Dei in creaturas est præcipuus, imò alii fines ad præcipuum reducuntur. Siquidem per sacrificia *eucharisticum* et *impetratorium* homo agnoscit se à Deo beneficia accepisse et accipere posse ; testatur proindè suam dependentiam. Per sacrificium *propitiatorium* homo testatur se reum, se pœnis dignum esse, quia leges divinas violavit; agnoscit proindè suam dependentiam à Deo supremo legislatore, suam dependentiam specialem ratione peccati.

Ex definitione sacrificii sequitur ejus *excellentia*.

Excellens est ratione *ministri:* cùm sit actio hominis, qui auctoritate divinâ personam societatis gerit.

Excellens est ratione *finis:* Deus enim per sacrificium colitur ut supremus omnium rerum Dominus, benignus erga omnes, misericors erga peccatorem.

Excellens est ratione *modi:* Siquidem 1. est actus cultûs externi ; porro cultus externus, si sit cultui interno unitus (ut supponimus), perfectior est cultu merè interno, cùm consecret Deo corpus cum animâ. 2. Est actus cultûs externi perfectissimus. Nam cultus externus nihil aliud est quàm expressio cultûs interni ; ergo actus cultûs externi eo perfectior est, quo expressiori modo manifestat religionem internam. Porro sub illo

respectu sacrificium omnibus aliis actibus cultûs externi præstat. Siquidem ex unâ parte sacerdos, quatenùs repræsentans personam in cujus gratiam offertur sacrificium, victimam sibi substituit, ut per eam reddat Deo cultum adorationis, gratitudinis, supplicationis et pœnitentiæ. Ex alterâ parte sacerdos, quatenùs Deum repræsentat, victimam destruit, aut saltem immutat; per actum illum symbolicè exprimit victimam et hominem quem repræsentat esse coram Deo tanquàm nihilum, vitam hominis, proindè omnia bona ad eam ordinata à Deo pendere, peccatorem in pœnam criminum mortem mereri. Atqui nulla nervosior expressio concipi potest.

II. Sacrificium Eucharisticum est *sacrificium in quo offertur et incruentè immolatur Christus sub speciebus panis et vini.*

Quibus positis, materiam præsentem exponemus sub titulis suprà indicatis ubi *de Sacramentis in genere.* Undè,

I.

PARS DOGMATICA.

CAPUT I.

DE INSTITUTIONE.

Quær. *Utrùm Eucharistia sit verum et propriè dictum sacrificium?*

Resp. Eucharistia est verum et propriè dictum sacrificium.

Propositio probatur directè, indirectè.

Probationes directæ.

Prob. I. Script. — 1um *Argum.* Vera propositio, si 1° in novâ lege verum et permanens existat sacrificium ; si 2° missa sit novæ legis sacrificium. Atqui

1a *p.* In novâ lege verum et permanens existit sacrificium :

Nam 1. sacrificium exstitit in statu legis naturæ et legis mosaïcæ ; ergo existere debet in statu legis Evangelicæ, alioquin dicendum foret statum religionis perfectissimum carere actu religionis perfectissimo.

2. Malach. 1, 10, 11 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestrâ : ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Ergo, destructis legis mosaïcæ sacrificiis, institui debuit, ac proindè institutum est sacrificium perfectius quàm sacrificia legis antiquæ.

3. In ep. ad Hebr. 7, Christus dicitur *Sacerdos in æternum secundum ordinem* (ritum) *Melchisedech.* Ergo Christus est sacerdos in æternum ; ergo debet in æternum (id est, quatenùs durabit religio ab eo instituta) offerre sacrificium, juxta illud Apostoli ad Hebr. 5, 1 : *Omnis Pontifex... constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.*

4. Idem Apostolus, ad Hebr. 13, 10, ait : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.* Undè, in religione christianâ existit altare ; ergo et sacrificium, hæc enim sunt correlativa.

2ª *p*. Missa est sacrificium novæ legis: Res ità est, si missa habeat, et sola habeat characteres sacrificii novæ legis in scripturâ indicatas. Atqui

1° Missa habet characteres sacrificii novæ legis:

Sacrificium novæ legis debet esse 1. unum: Malachias illud appellat *oblatio*, numero singulari; 2. novum: ut suprà ostendimus; 3. universale: *offertur in omni loco;* 4. mundum: *oblatio munda;* 5. perpetuum: Christus est sacerdos *in æternum;* 6. debet offerri in pane et vino: siquidem debet offerri secundum ordinem, seu ritum Melchisedech, porro Melchisedech obtulit sacrificium in pane et vino, juxta illud Genes. 14, 18: *Melchisedech rex salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei* (Abrahamo).

Porro missa est sacrificium 1. unum: quamvis multotiès repetitum, est semper unum et idem sacrificium Corporis et Sanguinis Christi; 2. novum: ante Christum non existebat; 3. universale: offertur enim in omnibus regionibus, ubi viget religio catholica, quæ est universalis; 4. mundum: Christus est hujus sacrificii sacerdos principalis et victima; 5. perpetuum: durabit quandiù religio catholica; 6. offertur in pane et vino quæ transsubstantiantur in corpus et sanguinem Christi.

2° Missa sola habet characteres sacrificii novæ legis:

Si quod aliud sacrificium has proprietates haberet, vel sacrificia impropriè dicta, scilicet laudes Dei, etc.; vel sacrificia propriè dicta Paganorum, Judæorum; vel sacrificium crucis. Atqui ex his sacrificiis characteres prædictos possidet 1. nec sacrificium impropriè dictum: istud enim sacrificium non est unum, novum, obla-

tum juxta ordinem Melchisedech. 2. Nec sacrificium paganorum : non est unum, novum, universale, mundum, oblatum in pane et vino. Nec sacrificium Judæorum : non est unum, novum et universale, non est perpetuum, cùm fuerit abrogatum, non est oblatum in pane et vino. 3. Nec sacrificium crucis : non est universale, seu oblatum in omni loco, non est perpetuum, oblatum in pane et vino.

2um *Argum.* S. Lucas 22, 19, 20, sic narrat institutionem Eucharistiæ : *Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis* (discipulis) *dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquàm cœnavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Undè sic : Missa est verum sacrificium, si 1. Christus in institutione Eucharistiæ verum obtulerit sacrificium ; si 2. actio sacerdotis Eucharistiam conficientis sit substantialiter una cum actione Christi Eucharistiam instituentis. Atqui

1° Christus in institutione Eucharistiæ verum obtulit sacrificium : etenim in illâ institutione adsunt omnes conditiones sacrificii. Siquidem est — *actio sacerdotis :* scilicet Christi, sacerdotis in æternum secundum ordinem Melchisedech ; — *rem sensibilem externè offerentis et immutantis :* Christus enim, vi consecrationis, 1. redditur sensibilis per species eucharisticas, 2. immutatur : cùm à statu glorioso transeat ad statum sacramentalem ; imò mysticè immolatur, nam, vi verborum quæ corpus et sanguinem producunt separatim, Christus in statu mysticæ mortis ponitur ; ac proindè 3. offertur, nam eo ipso quòd victima in altari immo-

latur, implicitè Deo offertur ; — *ad recognoscendum præcipuè summum Dei dominium:* Christus enim seipsum obtulit in remissionem peccatorum, postquàm gratias egisset Deo, ergo ipsius sacrificium fuit explicitè eucharisticum et propitiatorium, et implicitè latreuticum, ut constat ex definitionis sacrificii explicatione.

2° Actio sacerdotis Eucharistiam conficientis est substantialiter una cum actione Christi Eucharistiam instituentis : sacerdos enim, ex præcepto, et in nomine Christi, idem facit quod Christus ipse fecerat in ultimà cœnà : *Hoc facite in meam commemorationem.*

Prob. II. Tradit. Dogma sacrificii eucharistici est admittendum, si oriatur à Christo ; oritur à Christo, si non fuerit innovatum ab Apostolis et Christianis. Porro

I. Non fuit innovatum ab Apostolis : Constat ex dictis ubi *de Præsentiâ reali.*

II. Non fuit innovatum à Christianis :

Nam 1° dogma sacrificii eucharistici in Ecclesiâ viget à primævis temporibus, quod constat factis, testimoniis Patrum, liturgiis.

1° Factis.—Calumniis paganorum contra Christianos, ut ostendimus ubi *de Præsentiâ reali.*

2° Testim. Patrum.— S. Justinus, dial. cum judæo Tryph. n. 41, afferens textum Malachiæ : *De iis autem,* inquit, *quæ in omni loco à nobis gentibus offeruntur ei sacrificiis, hoc est, de pane eucharistiæ et de calice siviliter eucharistiæ, jam tum prædicit* (propheta), *illud etiam addens, nomen suum à nobis glorificari, à vobis autem profanari.* Idem Pater, n. 117 : *Qui ergo per illius* (Christi) *nomen sacrificia ipsi* (Deo) *offerunt ea quæ*

à Jesu Christo præscripta, id est, quæ in eucharistiâ panis et calicis à christianis in omni loco offeruntur, hos omnes in antecessum Deus gratos sibi esse testatur. Quæ verò à vobis (Judæis) *ac per vestros illos sacerdotes offeruntur, ea respuit, cùm dicit: Et sacrificia vestra non suscipiam...*

S. Iren. l. 4, c. 32 : *Eum, qui ex creaturâ panis est, accepit* (Christus) *et gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum, et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem. Quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta præstat... De quo in duodecim prophetis Malachias sic præsignificavit: Non est mihi voluntas in vobis...*

S. Cyprian. lib. 2, ep. 3 ad Cæcil. in verba Psalm. 109, *Tu es sacerdos...* ait : *Quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo obtulit, et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem* (1). Ergo in ultimâ cœnâ oblatum est, ac proindè in missâ verum offertur sacrificium.

S. Ambros. in Psalm. 38: *Etsi nunc Christus non videatur offerre, ipse tamen offertur in terris cùm corpus ejus offertur.* Et in cap. 1 Lucæ : *Cùm sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur.*

(1) Plerique Patres illud Psalmi 109 vaticinium : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, ad Missæ sacrificium interpretantur. Vid. Bellarmin. *de Missâ*, l. I, c. 6.

S. Joan. Chrysost. homil. 24 in 1 Cor.: *Christus... ipsum mutavit sacrificium* (legis veteris) *et pro brutorum cæde seipsum jussit offerri.* Et homil. 17 in ep. ad Hebr.: *Quoniam multis in locis offertur, multine sunt Christi? Nequaquàm, sed unus ubique Christus, qui et hic est plenus, et illic plenus, unum corpus. Quomodò ergo multis in locis oblatus unum est corpus, et non multa corpora, ita etiam unum est sacrificium.*

Vid. fusiùs Bellarmini *Controversias*, de Missâ, l. I, cap. 15 et seq.

3° Liturgiis. — Probavimus, ubi *de Præsentiâ reali*, liturgias simul sumptas manifestare fidem Ecclesiæ; liturgias nunc usitatas originem habere à primis Ecclesiæ sæculis, imò quoàd substantiam fuisse compositas ab Apostolis ipsis. Ergo à primis Ecclesiæ sæculis ab Ecclesiâ admittitur dogma sacrificii eucharistici, si contineatur in omnibus liturgiis; porro res ità est. Siquidem omnes liturgiæ affirmant tabulam in quâ consecratur Eucharistia esse verum altare, in quo offertur sacrificium propriè dictum.

Speciatim id affirmant:

Liturgiæ occidentales.—Romana. Hæc est enim oratio pro altaris consecratione: *Exaudi nos, Deus noster... et altare hoc ad celebranda divina mysteria præparatum cœlestis unguenti odore asperge... ut dum super eum* (lapidem) *sacri Corporis et Sanguinis unigeniti Filii tui mysteria consecrantur, petentibus peccata dimittantur, et merentibus influas gratiam sempiternam. Per Christum* (1). — Ambrosiana. Post confessionem,

(1) Ex *Pontifical. Roman.*

sacerdos inclinatus ante altare dicit: *Rogo te altissime Deus Sabaoth... ut pro peccatis meis possim intercedere, et astantibus veniam peccatorum promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare.* Et accedens ad altare: *Me quoque ad tuum sanctum altare accedentem non sinas perire, sed dignare levare, ornare, et clementer suscipere. Per Christum...* (1).— Gallicana. Sacerdos in oratione super oblata dicit: *Deus qui legalium differentias hostiarum unius sacrificii perfectione sanxisti, accipe sacrificium à devotis tibi famulis, et pari benedictione, sicut munera Abel, sanctifica, ut quod singuli obtulerunt ad majestatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad salutem* (2).—Mozarabica. Oblatis hostiâ et calice, sacerdos inclinatus dicit: *In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur, Domine, à te: et sic fiat sacrificium nostrum, ut à te suscipiamur hodiè, ut placeat tibi Domine Deus. Veni Sancte Spiritus sanctificator, sanctifica hoc sacrificium de manibus meis tibi præparatum* (3).

Liturgiæ orientales. — Dato pacis osculo, sanctuarium velo obtegitur, sacerdosque recitat orationem quæ dicitur *oratio veli*. In hâc oratione sacerdos, se considerans quasi in sancto sanctorum, gratias agit Deo, qui eum introduxit in tabernaculum gloriæ, ad offerendum incruentum et tremendum sacrificium.

Liturgiæ græcæ.—S. Joan. Chrysostomi. In oratione

(1) Ex *Missal. Ambrosiano.*

(2) Ex *Missal. Francorum*, n. 21, in lib. III *de Liturg. gallic.* (Tom. LXXII *Patrolog.* col. 337.)

(3) Ex *Missal. mixt. sec. reg. B. Isidori*, part. 1. (Tom. LXXXV *Patrolog.* col. 112.)

quam secreto dicit dùm canitur hymnus cherubicus, sacerdos admirans quàm magnum et terribile sit Domino ministrare, adjungit : *Sed tamen propter inenarrabilem et infinitam tuam benignitatem, citra commutationem et conversionem, homo factus es, et noster Pontifex appellatus, et hujus solemnis et incruenti sacrificii consecrationem nobis tradidisti, tanquàm Dominus omnium* (1). — S. Basilii. In oratione oblationis post sacrorum donorum in sanctâ mensâ depositionem, sacerdos dicit : *Tibi placeat, Domine, ut simus ministri novi tui testamenti, ministri sanctorum tuorum sacramentorum, suscipe nos ad sanctum altare tuum accedentes secundum multitudinem misericordiæ tuæ : ut simus digni tibi offerre hoc rationale et incruentum sacrificium pro nostris peccatis et populi ignorantiis : quo suscepto in sancto et intellectuali tuo altari in odorem suavitatis, vicissim nobis remitte gratiam sancti tui Spiritûs* (2).

Liturgia coptica S. Basilii.—Postquàm altare præparatum fuerit ad sacrificium, sacerdos dicit : *Domine, tu docuisti nos magnum hoc mysterium salutis. Tu vocasti nos abjectos et indignos servos tuos, ut essemus ministri altaris tui sancti. Tu, Domine, effice nos dignos... ut offeramus tibi sacrificium hoc benedictum* (3).

Æthiopica.—In oratione ad benedictionem altaris et vasorum sacrorum dicitur : *Rogamus et deprecamur te, Deus, ut mittas Spiritum tuum Sanctum super hanc*

(1) *Eucolog. græc.* à P. Goar edit. pag. 58.
(2) Ibid. pag. 140.
(3) Euseb. Renaudot, *Liturg. oriental. collect.* t. 1, pag. 2.

Ecclesiam, et super hoc altare, et super omnia ejus instrumenta. Sanctifica ea, ut perficiatur super ea mysterium tuum gloriosum (1).

Syriaca.—Initio Missæ sacerdos sic orat : *Præsta, Domine Deus, ut aspersis cordibus nostris et mundatis ab omni conscientiâ malâ impurisque cogitationibus, mereamur ingredi in Sanctum Sanctorum tuorum excelsum et sublime : præclarè et purè stemus coram altari tuo sancto, et offeramus tibi sacerdotio fungentes sacrificia pura et excellentia* (2).

Armeniaca.—Initio Missæ sacerdos stans in inferiori gradu altaris ait : *Rogamus brachiis extentis precibus cum clamore et gemitu coram te terribili constituti, accedimus cum magno tremore et timore vehementi offerre primum hoc rationabile sacrificium tuæ inserutabili dominationi* (3).

Nestoriana. —SS. Apostol. In offertorio sacerdos dicit : *Christus, qui immolatus est pro salute nostrâ... ipse suscipiat sacrificium hoc ex manibus imbecillitatis nostræ, per gratiam suam et miserationes suas in sæcula. Amen.* Et prosequitur : *Imponuntur mysteria præclara, sancta et vivifica super altare Domini potentis usque ad adventum ejus in sæcula. Amen* (4).

2° Christiani non potuerunt innovare. Nam, ex dictis ubi *de præsentiâ reali*, innovatio suscitâsset reclamationes, quæ dogmatis introductioni obstitissent, et

(1) Renaudot, t. I, pag. 500.
(2) Ibid. t. II, pag. 1.
(3) Lebrun, t. V, pag. 86.
(4) Renaudot, t, II, pag. 586.

quarum mentio fieret in historiâ ecclesiasticâ. Porro dogma existit et de reclamationibus tacet historia ecclesiastica.

Prob. III. Concil. Trid. sess. 22, can. 1 : *Si quis dixerit, in Missâ non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.*

Probatio Indirecta.

Dogma sacrificii eucharistici possidet. Ergo admittendum est, nisi rationibus validis impugnetur. Porro invalidæ sunt rationes adversariorum, ut ex infrà dicendis constabit.

Ad duo capita reduci possunt objectiones adversariorum : 1. dogma sacrificii malè probatur, 2. falsum est.

I. Dogma sacrificii eucharistici malè probatur : Ad quod ostendendum,

1° Contra probationes è *Scripturâ* depromptas,

Objic. 1° Prima probatio nulla est. Supponit enim Melchisedech obtulisse verum sacrificium in pane et vino. Porro hoc falsum est; nam in loco citato Melchisedech panem et vinum protulit, ut reficeret milites Abrahæ, non verò ut sacrificium offerret Deo.

Resp. Juxta textum, Melchisedech protulit panem et vinum, *erat enim sacerdos Altissimi,* quod indicat ab ipso oblatum fuisse sacrificium in pane et vino, quæ posteà fuerunt Abrahæ militibus distributa.

Objic. 2° Item secunda probatio nulla est, si Christus in ultimâ cœnâ non obtulerit sacrificium ; atqui res

ità est. Nam 1. Eucharistiam instituendo, non adhibuit hæc verba *offero, sacrifico*. 2. Christus porrigens calicem discipulis dicit : *hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Porro, cùm verbum *fundetur* sit in futuro, indicat effusionem futuram, ac proindè sacrificium futurum ; ergo in actu institutionis Christus non obtulit sacrificium. 3. Multi theologi catholici, etiam in Concilio Tridentino, negârunt Christum in ultimâ cœnâ obtulisse verum sacrificium.

Resp. Ad 1um. Ex eo quòd Christus instituens Eucharistiam non protulerit hæc verba *offero, sacrifico*, non sequitur eum non obtulisse sacrificium. Alioquin dicendum foret sacerdotes veteris legis sacrificia non obtulisse, cùm talibus verbis non uterentur ; imò mortem Christi in cruce non fuisse verum sacrificium, cùm prædicta verba non fuerint à Christo prolata. — Ut actio sacerdotis sit sacrificium, sufficit ut sacerdos ponat super altare victimam in statu immutationis aut immolationis ; hoc enim ipso facto victima offertur Deo.

Ad 2um. Textus græcus utitur tempore præsenti *funditur*. — Cæterùm valet probatio, sive verbum sit in præsenti, ut evidens est ; sive sit in futuro. Per tempus futurum Christus voluit designare sanguinem suum effundendum esse posteà cruentè in sacrificio crucis, incruentè in sacrificio Missæ. Sed indè non sequitur corpus et sanguinem Christi hìc et nunc in ultimâ cœnâ realiter præsentia sub speciebus panis et vini non fuisse per verba consecrationis mysticè separata et immolata, quod sufficit ad verum sacrificium.

Ad 3um. Equidem olim quidam theologi negârunt

Christum in ultimâ cœnâ verum obtulisse sacrificium. Sed in Concilio Tridentino omnes, etiam ipsi qui primùm restiterant, amplexi sunt sententiam affirmativam quam Concilium expressè docet in sess. 22, cap. 1.

2° Contra probationem ex *Patribus* deductam,

Objic. Patres negant Christum immolari denuò.

Resp. Negant quidem Patres, et nos cum illis negamus Christum modo cruento denuò immolari. Sed non negant, imò plures affirmant, ut probavimus, Christum incruentè et mysticè in Eucharistiâ immolari.

II. Dogma sacrificii eucharistici falsum est : Ad quod probandum,

Objic. 1° Unâ oblatione Christus consummavit in sempiternum sanctificatos ; aliundè Christus est sacerdos in æternum ; ergo nullum est in novâ lege sacrificium, præter sacrificium crucis. 2° Eucharistia est sacramentum et testamentum Christi, proindè donum à Christo collatum ; ergo non potest esse sacrificium, cùm econtrà sacrificium sit oblatio facta Deo ab homine.

Resp. ad 1um. Vera conclusio argumenti, scilicet nullum esse in novâ lege sacrificium præter sacrificium crucis, cùm, juxta catholicam doctrinam, sacrificium eucharisticum idem sit quoàd substantiam ac sacrificium crucis ; in utroque enim idem est sacerdos, eadem victima. Per institutionem sacrificii eucharistici Christus non multiplicavit sacrificium, sed tantùm præcepit iterationem unius sacrificii crucis sub formâ diversâ. Nihil proindè concludi potest contra propositionem nostram ex unitate sacrificii.

Ad 2um. In hoc jacet objectio, quòd Eucharistia, quatenùs est sacramentum et testamentum, sit donum

Dei; et Eucharistia, quatenùs est sacrificium, sit donum hominis. Porro 1. falsa est hæc oppositio, cùm Christus sese offerens Deo nobis conferat donum. 2. Etiam concesso quòd sacrificium sit donum hominis, nihil indè sequitur. Non repugnat enim donum Dei posteà Deo per sacrificium offerri, alioquin sacrificium esset impossibile, cùm solummodò ipsius dona Deo offerre possimus.

CAPUT II.

DE CONDITIONIBUS.

Hic agimus tantùm de *ministro* et de *elementis* (seu materiâ et formâ) sacrificii eucharistici, quia potest celebrari validè absque subjecto.

ARTICULUS I.

De conditionibus ex parte ministri.

Duo quæruntur: 1° quinam sit minister sacrificii eucharistici; 2° quænam conditiones requirantur in ministro?

Ad 1^{am} quæst., scilicet: *Quinam sit minister sacrificii eucharistici?*

Resp. Christus est minister principalis,—sacerdos est minister secundarius in stricto sensu, — fideles sunt ministri in lato sensu.

1° Christus est minister principalis:

Pr. 1^{a}. Ps. 119, 4: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ergo Christus est in æternum sacerdos sacrificii quod offertur secundum or-

dinem (ritum) Melchisedech, quod sacrificium est sacrificium eucharisticum, ut suprà ostendimus. Porro si Christus hujus sacrificii sit sacerdos, eo ipso ejus est minister principalis.

Pr. 2ª. Sacrificatur Christus per hæc verba : *Hoc est corpus meum... Hic est calix sanguinis mei.* Undè sic : prædicta verba in nomine sacerdotis prolata, vel essent inefficacia ; vel, si essent efficacia, sub speciebus panis et vini producerent corpus et sanguinem sacerdotis, non verò corpus et sanguinem Christi : ergo, cùm in Eucharistiâ producatur Christi corpus, non proferuntur nomine sacerdotis, benè verò nomine Christi. Proindè Christus est præcipuus minister sacrificii.

Pr. 3ª. Concil. Trid. sess. 22, cap. 2 : *Idem nunc offerens* (Christus) *sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ.*

2° Sacerdos est minister secundarius in sensu stricto :

Pr. Unâ eâdem actione, consecratione scilicet, simul conficitur sacramentum et offertur sacrificium ; ergo minister sacramenti est etiam minister sacrificii. Porro sacerdos est minister propriè dictus sacramenti, ut suprà probavimus, ergo et minister sacrificii.

3° Fideles sunt ministri in lato sensu :

Pr. Multiplici sensu fideles dicuntur offerre sacrificium : — generali sensu omnes fideles sunt ministri ; quia sacerdos in actu sacrificii Ecclesiam universam repræsentat, proindè quodam sensu dici potest Ecclesiam per sacerdotem offerre sacrificium ; — speciali modo dicuntur offerre sacrificium per sacerdotem : fideles, quorum nomine speciatim offertur ; qui ministrant sacrificio ; assistentes qui interno affectu sacerdoti

uniuntur, sacrificio consentiunt, ac petunt fructuum ejus participes fieri.

Ad 2am quæst. scilicet: *Quænam conditiones requirantur in ministro?*

Resp. Nulla specialis conditio requiritur, præter conditiones in primâ quæstione suppositas, scilicet: in ministro principali sacerdotium æternum; in ministro secundario character sacerdotalis; in fidelibus, participatio ad sacrificium modis antcà explicatis.

ARTICULUS II.

De conditionibus ex parte elementorum.

Duobus constituitur sacrificium: 1° re sacrificatâ, quæ dicitur materia, 2° actione sacrificantis, quæ dicitur forma sacrificii.

§ I. — De Materiâ.

Duo quæruntur: 1° quænam sit materia sacrificii eucharistici, 2° quænam conditiones requirantur in materiâ?

Quæst. 1a. *Quænam sit materia sacrificii eucharistici?*

Hic non agitur de materiâ ex quâ sacrificium conficitur; certum est enim hanc materiam in pane et vino sitam esse. Quæritur tantùm quænam sit *victima* sacrificii eucharistici.

Resp. Victima sacrificii eucharistici est Christus, quatenùs continetur sub speciebus panis et vini.

1° Victima sacrificii eucharistici est Christus:

Pr. Res ità est, si 1. Christus fuerit victima sacrificii ultimæ cœnæ et sacrificii crucis; si 2. victima sacrificii

eucharistici eadem sit ac victima sacrificiorum cœnæ et crucis. Atqui hæc duo sunt certa.

1. Christus fuit — victima sacrificii cœnæ : Christus enim per verba consecrationis corpus et sanguinem separatim adduxit, ac proindè in statu immolationis mysticæ posuit sub speciebus panis et vini ; — victima sacrificii crucis : hoc apud omnes constat.

2. Victima sacrificii eucharistici est — eadem ac victima sacrificii cœnæ : Apostolis enim post peractam consecrationem Christus ait : *Hoc facite in meam commemorationem ;* — eadem ac victima sacrificii crucis : nam, juxta Conc. Trid. sess. 22, cap. 2, *in divino hoc sacrificio, quod in Missâ peragitur, idem ille Christus continetur et incruentè immolatur, qui in arâ crucis semel seipsum cruentè obtulit.*

2° Est Christus, quatenùs continetur sub speciebus panis et vini :

Pr. Siquidem de ratione sacrificii est, ut res oblata sit sensibilis. Porro Christus in Eucharistiâ est sensibilis per species tantùm. Ergo victima sacrificii non est Christus in propriâ specie existens, sed quatenùs continetur sub speciebus panis et vini.

Undè in sacrificio Missæ Christus est *victima* propriè dicta. Species sunt conditiones sine quibus Christus non esset victima apta ad sacrificium sensibile.

Quæst. 2ª. *Quænam conditiones requirantur in victimâ*, seu, *utrùm ad sacrificium sufficiat consecratio unius speciei, an requiratur consecratio panis et vini?*

De hâc quæstione duplex sententia. — *Prima* affirmat consecrationem unius speciei sufficere ad essentiam

sacrificii (1). Quia, vi hujus consecrationis, species consecrata separatur à specie non consecratâ; proindè Christus mysticè immolatur. — *Secunda*, communior et probabilior, negat sufficientiam consecrationis unius speciei, et affirmat necessitatem consecrationis utriusque speciei (2). Quia 1. Sacrificium eucharisticum offerri debet secundum ordinem (ritum) Melchisedech; porro sacrificium Melchisedech oblatum est in pane et vino. Quia 2. Sacrificium Missæ idem est cum sacrificio cœnæ; porro in sacrificio cœnæ Christus consecravit panem et vinum. Quia 3. corpus et sanguis Christi cruentè et realiter separata sunt in arâ crucis. Ergo corpus et sanguis Christi incruentè et mysticè separari debent in sacrificio eucharistico, quod est repræsentatio sacrificii crucis. Porro hæc separatio supponit consecrationem utriusque speciei.

§ II. — De Formâ.

Quær. *Quænam sit forma sacrificii eucharistici*, seu, *quânam actione, aut quibusnam actionibus perficiatur sacrificium eucharisticum* (3)?

(1) Ità Bonacina, d. 4, q. ult. p. 2, n. 7; Collet, *de Euch.* part. 2, c. 3, sect. 3; Croix, l. VI, p. 2, n. 15, etc.

(2) Ità Suarez, 3 p. d. 75, s. 6; De Lugo, *de Euch.* d. 19; Bellarm. *de Euch.* l. IV, c. 22; Billuart, *de Euch.* dis. 8, art. 2, cum communi.

(3) Prætermissis eorum opinionibus, qui essentiam sacrificii reponebant, alii in solâ sumptione, alii in oblatione, duæ sunt de hâc materiâ præcipuæ apud theologos sententiæ. Juxta *primam*, quam inter alios tenent Bellarminus, *de Missâ*, l. 1, c. 27; Tournely, *de Sacrif. mis.* art. 2, concl. 4; S. Lig. *Theol. mor.* l. VI, n. 305, essentia sacrificii consistit partialiter in consecratione, et partialiter in sumptione. — Juxta *secundam*, communiorem, quam sequitur

Quæstio esse potest de actionibus sequentibus : de oblatione panis et vini, de consecratione, de oblatione corporis et sanguinis Christi post consecrationem, de fractione et commixtione sacramenti, de consumptione sacramenti à sacerdote, de ejus distributione.

His quæstionibus *resp.* per propositionem sequentem: Consecratio pertinet ad essentiam formæ sacrificii eucharistici, — consummatio sacramenti à sacerdote, ad integritatem tantùm, — aliæ actiones, nec ad essentiam nec ad integritatem pertinent.

Pr. 1ª *p.* Consecratio pertinet ad essentiam : Siquidem continet omnes conditiones ad perficiendum sacrificium necessarias. Est actio sacerdotis, scilicet Christi, ministri principalis per sacerdotem secundarium consecrantis ; rem sensibilem offerentis et immutantis ad recognoscendum supremum Dei dominium, ut suprà ostendimus, probando Christum verum obtulisse sacrificium in ultimâ cœnâ.

2ª *p.* Consummatio sacramenti à sacerdote pertinet ad integritatem tantùm: — Pertinet ad integritatem: Siquidem 1. in plerisque sacrificiis sacerdotes partem victimæ participabant. 2. Sacrificium eucharisticum celebratur ad instar convivii spiritualis. Undè Ecclesia præcipit, si sacerdos repentino morbo correptus sacramentum sumere non possit, ut sacerdos etiam non jejunus species consecratas consumat. *Rubr. Missal. Rom.* p. 3, tit. 10, n. 3. — Pertinet ad integritatem tantùm:

Auctor, essentia consistit in solâ consecratione. Pro eâ stant Suarez, 3 p. dis. 75, sect. 6; Billuart, dissert. 8, art. 2; Collet, *de Euch.* p. 2, c. 3; Croix, l. VI, p. 2; Salmant. c. 1, n. 14; Wirceburg. c. 6, art. 2, cum S. Antonin., de Lugo, Vasquez et aliis.

nam 1. participatio victimæ supponit sacrificium antèà peractum. 2. Omnes actiones sacrificio essentiales nomine Christi fieri debent; porro sacerdos participat Eucharistiam suo, non vero Christi nomine.

3ª *p*. Aliæ actiones pertinent, nec ad essentiam, nec ad integritatem sacrificii.— Non ad essentiam : Siquidem consecratio sola sufficit ad perficiendum sacrificium, ut suprà probavimus.—Non ad integritatem: Nam oblatio et immutatio victimæ fiunt per consecrationem. Proindè non requiruntur ad integritatem sacrificii : 1. oblatio corporis et sanguinis Christi, post consecrationem ; à fortiori 2. oblatio ante consecrationem : in illâ enim cæremoniâ offeruntur panis et vinum, non verò corpus Christi, quod est tamen vera victima sacrificii; 3. nec fractio et commixtio sacramenti, siquidem immutatio et immolatio mystica victimæ jàm perfecta, est per consecrationem ; 4. nec distributio Eucharistiæ fidelibus facta ; concilium enim Trid. sess. 22, can. 8, definivit licitas esse Missas in quibus solus sacerdos communicat, porro tamen illicitæ essent, si distributio Eucharistiæ pertineret ad integritatem.

CAPUT III.

DE EFFECTIBUS.

Sub præsenti titulo consideramus 1° productionem, 2° applicationem effectuum sacrificii eucharistici.

ARTICULUS I.

De productione effectuum.

Quatuor quæruntur : 1° utrùm sacrificium eucharis-

ticum producat effectus, 2° in hypothesi affirmativâ, quosnam effectus, 3° quisnam sit valor effectuum in se consideratorum, 4° quomodò producantur effectus?

Quæst. 1ª. *Utrùm sacrificium eucharisticum producat effectus?*

Resp. Sacrificium eucharisticum producit effectus. Alioquin inutiliter institutum fuisset, quod repugnat.

Quæst. 2ª. *Quosnam producat effectus?*

Resp. Sacrificium quoàd fines, seu effectus, consideratum, potest esse latreuticum, eucharisticum, propitiatorium aut impetratorium, ut suprà exposuimus, ubi de definitione sacrificii in genere. Quæritur proindè utrùm sacrificium Missæ sit latreuticum, vel eucharisticum, vel propitiatorium, vel impetratorium; vel simul latreuticum, eucharisticum, etc.

Pseudoreformati permittunt Missam appellari sacrificium laudis et gratiarum actionis; non verò propitiationis et impetrationis, ne, ut aiunt, evacuetur mysterium crucis, in quâ Christus se obtulit ad omnium exhaurienda peccata.

Dogma autem catholicum de quæstione præsenti affirmat propositionem sequentem: *Sacrificium Missæ est simul latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium.*

Prob. Arg. gener. 1° Quicumque confitentur altaris sacrificium à Christo Domino fuisse institutum, simul admittunt hoc sacrificium unicum in se colligere omnes veterum sacrificiorum differentias. Porro in veteri lege existebant sacrificia latreutica, eucharistica, propitiatoria, impetratoria; ergo sacrificium altaris est

simul latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium.

2° Concil. Trid. sess. 22, can. 3, hæc ait: *Si quis dixerit Missæ sacrificium esse tantùm laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et pro defunctis; pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

Prob. Arg. special. 1° Sacrificium Missæ est latreuticum et eucharisticum: Institutione divinâ sacrificii Missæ semel positâ, pseudoreformati admittunt illud esse latreuticum et eucharisticum.

2° Sacrificium Missæ est propitiatorium, in eo sensu quòd in Missâ Christus offerat Deo, et applicet hominibus merita satisfactoria per sacrificium crucis acquisita. — Est propitiatorium: nam 1. Missa idem est sacrificium cum sacrificiis ultimæ cœnæ et crucis. Porro fuerunt propitiatoria, sacrificium cœnæ: Matth. 26, 28: *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum;* sacrificium crucis: ab omnibus admittitur. 2. Omnis pontifex constituitur ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Ergo Christus *sacerdos in æternum* in Missâ offert sacrificium pro peccatis, proindè sacrificium propitiatorium. — Est propitiatorium in eo sensu quòd in Missâ Christus offerat Deo, et applicet hominibus merita satisfactoria per crucis sacrificium acquisita. Siquidem Christus, cùm jam non sit in viâ, incapax est meriti, ac proindè satisfactionis; non potest ergo in Missâ satisfacere, sed tantùm offerre Deo et applicare hominibus satisfactiones acquisitas.

3° Sacrificium Missæ est impetratorium: Id affirmant SS. PP. inter quos, Tertullian. ad Scap. c. 2: *Sacrificamus pro salute Imperatoris*. S. Cyrillus Hierosol. catech. mystag. 5: *Postquàm verò perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam propitiationis hostiam obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace: pro rectà mundi compositione, pro Imperatoribus, pro militibus et sociis, pro iis qui infirmitatibus laborant, et universim pro omnibus qui opis indigent precamur nos omnes, et hanc victimam offerimus.* — Liturgiæ omnes continent preces pro fide et justitiâ, pro pace, pro salute infirmorum, pro fructuum ubertate, etc.

Quæst. 3ª. *Quisnam sit valor effectuum sacrificii in se consideratorum?*

Resp. Effectus sacrificii Missæ in se considerati sunt quoàd substantiam et sufficientiam infiniti. Siquidem producuntur à sacerdote infinitæ dignitatis victimam infinitam offerentis.

Quæst. 4ª. *Quomodò producantur effectus sacrificii Missæ, an ex opere operato, an ex opere operantis?*

Resp. Effectus proprii sacrificio producuntur *ex opere operato*. Siquidem confectione sacrificii, et independenter à dispositionibus ministri et fidelium, ipso facto Deo offertur cultus infinitus adorationis, gratiarum actionis, propitiationis et impetrationis.

Dicimus *effectus proprii sacrificio*. Siquidem è dispositionibus ministri et fidelium, proindè *ex opere operantis*, oriri potest meritum speciale, distinctum ab effectibus sacrificio propriis.

ARTICULUS II.

De applicatione effectuum.

Tria quæruntur: 1° utrùm effectus sacrificii Missæ possint applicari hominibus, 2° quibus hominibus, 3° quomodò applicari possint?

Quæst. 1ª. *Utrùm effectus sacrificii hominibus applicari possint?*

Resp. Effectus sacrificii Missæ hominibus applicari possunt in diversis sensibus.

Hominibus applicari potest sacrificium 1° quatenùs est *latreuticum* et *eucharisticum:* in eo sensu quòd homines sacrificio uti possint ad reddendum Deo cultum adorationis et gratiarum actionis. 2° Quatenùs est *propitiatorium:* in eo sensu quòd per illud homines obtinere possint gratiam habitualem peccati mortalis remissivam, remissionem peccati venialis, relaxationem pœnarum peccatis quoàd culpam remissis debitarum. Prodest enim pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, inquit Concil. Trid. sess. 22, can. 3. 3° Quatenùs *impetratorium:* in eo sensu quòd homines per illud obtinere possint gratias actuales, augmentum gratiæ habitualis, alia bona spiritualia, bona temporalia. Prodest enim pro aliis necessitatibus, can. cit.

Not. In quæstionibus sequentibus agitur solummodò de applicatione effectuum sacrificii in quantum est propitiatorium et impetratorium.

Quæst. 2ª. *Quibus hominibus applicari possunt fructus sacrificii eucharistici?*

Resp. per propositiones sequentes:

Iª Ppo.—Omnibus vivis applicari possunt effectus sa-

crificii, quatenùs est propitiatorium et impetratorium.

Prob. gen. 1° Sacrificium crucis pro omnibus oblatum est, à pari sacrificium Missæ, per quod applicantur merita sacrificii crucis. 2° Sacerdos offerens calicem dicit: *offerimus... pro nostrâ et totius mundi salute.*

Prob. spec. Omnes qui sunt in viâ, vel sunt membra Ecclesiæ, vel non. Porro effectus sacrificii eucharistici applicari possunt 1° membris Ecclesiæ: Siquidem sacrificium Missæ in utilitatem Ecclesiæ ejusque membrorum præcipuè institutum est. Hinc in canone dicitur sacrificium offerri *pro omnibus orthodoxis atque Catholicæ et Apostolicæ fidei cultoribus.* — 2° His qui non sunt membra Ecclesiæ: Nam 1. juxta Tertullianum et S. Cyrillum supr. cit., in primitivâ Ecclesiâ offerebatur sacrificium pro imperatore, qui erat infidelis. 2. Ecclesia offert sacrificium ad obtinendam veræ religionis diffusionem; ergo implicitè orat pro omnibus qui sunt extra Ecclesiam.

Dicimus: applicari possunt effectus sacrificii *quatenùs est propitiatorium et impetratorium.* Hominibus enim vivis prodesse possunt effectus sacrificii sub hoc duplici respectu considerati.

IIª Ppo.—Defunctis damnatis nullo sensu applicari possunt fructus sacrificii.—Defunctis in purgatorio detentis applicari possunt fructus sacrificii, quatenùs est satisfactorium, non verò quatenùs est impetratorium gratiæ actualis et augmenti gratiæ habitualis.—Defunctis gloriâ fruentibus applicari non possunt fructus sacrificii quatenùs est propitiatorium, quatenùs est impetratorium gratiæ actualis, augmenti gratiæ habitualis,

gloriæ essentialis; applicari autem possunt, in eo sensu quòd sacrificium offerri potest in eorum memoriam, et in gratiarum actionem pro beneficiis ipsis à Deo collatis, ad impetrandam ipsis gloriam accidentalem.

I. Defunctis *damnatis* nullo sensu applicari possunt fructus sacrificii. Siquidem hæc applicatio inutilis esset, cùm damnatorum sors æterna irrevocabiliter sit determinata.

II. Defunctis *in purgatorio detentis*,

1° Applicari possunt fructus sacrificii, quatenùs est propitiatorium, seu ad obtinendam remissionem pœnarum et satisfactionum quarum sunt debitores.

Pr. 1ª. II Machab. 12, 43: *Judas Machabæus duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè et religiosè de resurrectione cogitans... sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

Pr. 2ª. *Tradit.* Tertullian. de coron. mil. c. 3: *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis, annuâ die facimus.* S. Cyprian. ep. ad clerum et plebem Furnitanorum, de Victore quodam qui jamjam moriturus quemdam presbyterum ad tutelam nominaverat, ait: *Episcopi antecessores nostri... censuerunt quod... si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* S. Cyrillus Hieros. catech. mystag. 5: *Deinde et pro defunctis sanctis patribus et episcopis, et omnibus generatim qui inter nos vita functi sunt* (oramus); *maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima.*

S. Joan. Chrysost. hom. 69 ad pop. Antioch.: *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuêre, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio.* S. Ambros. de excessu Satyri., l. I, n. 80: *Tibi nunc, omnipotens Deus, innoxiam commendo animam; tibi hostiam offero; cape propitius ac serenus fraternum munus, sacrificium sacerdotis.* S. Augustinus passim in operibus hujus ritûs habet mentionem. Specialiter, in l. IX Confes. narrat Monicam matrem suam enixè rogâsse, ut sui memoria in peragendis mysteriis fieret ad altare; cujus votis reipsâ satisfactum est cùm, ait S. Augustinus, *oblatum est pro eâ sacrificium pretii nostri.* Consentiunt reliqui Patres, tùm Græci, tùm Latini.

Pr. 3ª. Concil. Trid. sess. 22, can. 3, vibrat anathema contra eos qui negant missæ sacrificium *pro defunctis* offerri debere.

2° Applicari non possunt effectus sacrificii, quatenùs est impetratorium — gratiæ actualis: hæc enim gratia ordinatur ad meritum, porro animæ in purgatorio detentæ meriti sunt incapaces; — augmenti gratiæ habitualis: etenim juxta doctrinam Ecclesiæ, gratia habitualis in solis viatoribus per merita et sacramenta augeri potest.

III. Defunctis *gloriâ fruentibus*,

1° Applicari non possunt fructus sacrificii — quatenùs est satisfactorium: quia carent omni culpâ et pœnâ; — nec quatenùs est impetratorium gratiæ actualis, augmenti gratiæ habitualis, acquisitionis gloriæ essentialis: siquidem positi extra viam sunt incapaces gratiæ actualis, augmenti gratiæ habitualis, ob rationes præce-

dentes; et acquisitionis gloriæ essentialis, quà in cœlo jam fruuntur.

2° Applicari possunt 1. in eo sensu quòd sacrificium offerri potest in memoriam sanctorum, et gratiarum actiones pro beneficiis ipsis collatis. Constat ex doctrinâ Concilii Trid. sess. 22, cap. 3, juxta quam Ecclesia sacrificium offert *Deo soli, qui illos* (sanctos) *coronavit..., de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur quorum memoriam facimus in terris.* 2. Applicari possunt ad obtinendam sanctis gloriam accidentalem, scilicet ut perfectiùs honorificentur ab hominibus.

Notandum. Licèt, præter casus enuntiatos, sacrificium possit in genere offerri tàm pro vivis quàm pro defunctis, attamen legibus ecclesiasticis prohibetur ne publicæ fiant preces et sacrificium nomine Ecclesiæ offeratur, pro infidelibus, pro hæreticis ac schismaticis publicis licèt nondùm denuntiatis, pro excommunicatis vitandis, sive prædicti sint vivi, sive defuncti; pro iis qui seipsos occiderunt, pro iis qui privantur sepulturâ ecclesiasticâ: probabiliter, juxta S. Lig. l. VII, n. 164, ac plures, hæc prohibitio non extenditur ad excommunicatos toleratos. — Leges autem canonicæ non vetant quominùs privatæ pro omnibus præcitatis fiant preces, et ipsa sacrificandi actio, proùt à merito privato sacerdotis pendet, per modum suffragii offeratur pro omnibus in genere christianis quorum reprobatio non est certa, ut apud Deum adjuventur, si reipsà possint adjuvari. De his fusiùs agetur ubi *de Censuris.*

Quæst. 3ª. *Quomodò applicentur effectus sacrificii Eucharistiæ?*

Quæstio proposita sequentibus æquivalet: 1. utrùm effectus producantur in subjecto immediatè et ex opere operato, vel mediatè et ex opere operantis, 2. modo infinito vel finito, 3. utrùm et ex quibus conditionibus pendeat productio effectuum?

Ad 1am, scilicet: *Utrùm immediatè et ex opere operato producantur effectus?*

Resp. Per sacrificium obtinentur — mediatè et ex opere operantis, remissio peccati mortalis et venialis, augmentum gratiæ habitualis;—immediatè et ex opere operato, gratia actualis, bona temporalia, relaxatio tùm vivis tùm defunctis pœnæ temporalis quæ remanet post peccata condonata.

1° Obtinentur *mediatè* et ex opere operantis :

1. Remissio peccati mortalis : Concil. Trid. sess. 22, cap. 2, ait: *Hujus* (sacrificii) *oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia, dimittit.* Ergo remissio peccati mortalis obtinetur mediante pœnitentiâ, ad quam peccatores excitantur gratiâ actuali obtentâ per sacrificium Missæ.

2. Remissio peccati venialis : Remittitur enim per bonum motum peccatoris, quem impetrat sacrificium.

3. Augmentum gratiæ habitualis, in quantùm Missæ sacrificium justis obtinet gratias actuales, vi quarum per actus meritorios crescere potest gratia habitualis. Etenim, si immediatè et ex opere operato produceretur gratia sanctificans, parvulus baptizatus, pro quo plura offerrentur sacrificia, posset fieri sanctior adulto qui diuturnam vitam in praxi omnium virtutum peregisset. Hoc autem opponitur communi sensui Ecclesiæ.

2° Obtinentur *immediatè* et ex opere operato:

1. Gratia actualis, bona temporalia: hæc enim dona immediatè obtinentur per orationem et bona opera; à fortiori per sacrificium, opus religionis præstantissimum.

2. Relaxatio pœnæ temporalis defunctis et vivis. Defunctis: juxta enim Concilium Trident. defunctis valet sacrificium pro remissione pœnarum; porro defunctis valere non potest mediatè, seu impetrando illis actum satisfactionis cujus sunt incapaces, ergo valet immediatè et ex opere operato. A pari immediatè et ex opere operato valet viventibus.

Ad 2^{am} scilicet: *Utrùm effectus sacrificii in subjecto producantur modo infinito an finito?*

Resp. De hâc quæstione quædam sunt certa, alia controvertuntur.

Certum est 1° fructum sacrificii homini applicatum non esse simpliciter infinitum. Nam 1. creatura incapax est recipiendi effectum infinitum. 2. Effectus sacrificii crucis non fuerunt hominibus applicati modo infinito, à pari effectus sacrificii Missæ. 3. Ad obtinendam eamdem gratiam, cujus applicatio non pendet à dispositionibus subjecti, v. g. ad liberationem animæ in purgatorio detentæ, Ecclesia plures celebrat missas, omnesque admittunt plus prodesse huic animæ plures missas ei applicatas quàm unam solam. Ergo Ecclesia non credit effectus sacrificii modo infinito applicari.

Certum est 2° eum qui audit missam coram multitudine celebratam posse tantum percipere fructum, quantum perciperet, si solus missæ interesset. Constat ex communi Ecclesiæ et fidelium sensu. Secùs enim

melius esset assistere missæ privatæ quàm parochiali.

Certum est 3° missam pro aliquibus specialiter oblatam ipsis specialiùs prodesse, licèt ignoremus quomodò id fiat.

Controvertitur utrùm missa pro pluribus specialiter oblata, ipsis tantùm prosit, quantùm si uni soli specialiter applicaretur (1). *Prima* sententia negat. Quia 1. licèt missa sit in se infiniti valoris, attamen ejus effectus est limitatus ex institutione Christi, ità ut ex opere operato determinatum producat effectum; licèt uberior percipi possit effectus ex opere operantis, id est ex dispositione ministri offerentis et subjecti pro quo offertur. 2. Alexander VII proscripsit hanc propositionem : *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre*. Ergo. *Secunda* sententia, quam S. Ligorius, n. 312, dicit hodiè communissimè receptam, affirmat. Quia sacrificium, in se infiniti valoris, non limitatur quoàd effectus ex institutione Christi, sed tantùm ex capacitate finità hominum pro quibus offertur: undè æquè pluribus prodesse potest, ac si uni tantùm applicaretur.—Ad rationem ex propositione damnatâ deductam, sic respondent secundæ sententiæ fautores: 1. cùm prima sententia non sit improbabilis, sacerdos non potest pro stipendio certo incertum applicare missæ fructum. 2. Stipendium non datur ut pretium fruc-

(1) De hâc quæstione vid. inter alios Bellarmin. lib. II *de Missâ*, cap. 4; Suarez, disp. 79, sect. 12; Billuart, *de Euch.* dis. 8, art. 5; Tournely, *de Euch.* quæst. 8, art. 6; Collet, *de Euch. et Sacrif.* 2 p. cap. 6; S. Lig. l. VI, n. 312, etc.

tûs missæ, sed pro sustentatione ministri. 3. Intentio conferentis stipendium, ait *Billuart*, non est tantùm ut sibi fructus sacrificii applicetur, sed etiam ut per multiplicata sacrificia cultus Dei augeatur, et tàm vivi quàm mortui magis juventur (1).

Ad 3am scilicet: *Ex quibus conditionibus pendeat productio effectuum in subjecto?*

Resp. 1° Quoàd omnes portiones, fructuum productio pendet à dispositionibus subjecti; 2° insuper, quoàd portionem specialissimam et generalem, à voluntate divinâ; 3° quoàd portionem specialem, partim à voluntate divinâ, partim ab intentione sacerdotis celebrantis.

Ad prædictorum intelligentiam, observandum est triplicem distingui portionem effectuum sacrificii, scilicet: portionem *generalem*, quæ obvenit toti Ecclesiæ; portionem *specialem*, cujus applicatio pertinet ad sacerdotem celebrantem; portionem *specialissimam*, sacerdoti propriam. Quo posito,

1° Quoàd omnes portiones, effectuum productio pendet à dispositionibus subjecti cui applicatur fructus sacrificii: hæc est enim lex generalis communicationis gratiæ, quæ pendet à mediis à Deo institutis.

2° Quoàd portionem specialissimam et generalem,

(1) Hanc controversiam sic concludit Billuart: « Cæterum utraque » (sententia) est probabilis, et, quamvis in secundam propendere » videar, agnosco tamen neutram esse certam, sed quamlibet pati » suas difficultates. Undè *pro praxi consultum est, ut celebrans* » *offerat specialiter in quantùm potest et debet pro his pro qui-* » *bus tenetur offerre ex justitiâ, pro his autem pro quibus simul* » *offert ex charitate, pietate, amicitiâ, aut alio titulo gratuito,* » *offerat quantùm potest.* »

pendet insuper à voluntate divinâ ; id est, Christus per suam voluntatem, cujus dispositiones ignoramus, determinavit 1. partem effectuum sacrificii sacerdoti propriam, et quam nequidem validè posset abdicare, 2. partem toti Ecclesiæ applicatam, ejusque distributionem.

Hæc autem distributio videtur habere proportionem cum dignitate, sanctitate et dispositionibus membrorum Ecclesiæ ; ità ut prælati et principes præ privatis participent, justi præ peccatoribus, sanctiores præ minùs sanctis, assistentes præ non assistentibus, etc., nisi Deus aliter statuat.

3° Quoàd portionem specialem, pendet, partim à voluntate divinâ, partim ab intentione celebrantis ; seu, quod idem est, Deus determinavit partem à sacerdote disponibilem, cujus distributio actualis fit per intentionem sacerdotis.

Intentio autem debet esse 1. specialis, 2. absoluta, 3. fieri ante consecrationem, 4. determinata saltem implicitè.

1. *Specialis:* alioquin fructus remanerent in thesauro Ecclesiæ.

2. *Absoluta*, aut absolutæ æquivalens : quia, sicut sacramenti, sic etiam sacrificii fructus non potest pendere à conditione futurâ.

3. *Fieri ante consecrationem :* hoc enim instanti producitur simul et applicatur fructus sacrificii. Sufficit autem juxta Billuart, Collet et alios, ut intentio fuerit actualis nec retractata, quia applicatio est quasi donatio fructûs ex missâ percipiendi, quæ donatio valida est, etiamsi longo tempore ante applicationem facta fuerit.

Non sufficeret tamen ea intentio quà minister fructum applicâsset, si advertisset (1).

4. *Determinata saltem implicitè.*—Determinata : alioquin nulla esset ratio cur uni potiùs quàm alteri applicetur fructus, et sic nulli applicaretur.

Saltem implicitè : sic valeret applicatio, si sacerdos dicat : « Offero pro eo qui dedit stipendium, pro quo superior vult offerri sacrificium, pro animâ purgatorii majori auxilio indigente, etc., etc. » — Item validè applicari possunt, v. g. per decem dies, fructus sacrificii decem personis, quæ stipendium dederunt ; inter illas enim saltem quotidiè dividitur fructus decem missarum, ità ut post decem dies, unaquæque persona obtinuerit fructum æquivalentem fructui quod percepisset ex unâ Missâ exclusivè pro se oblatâ.—Non valeret autem, si sacerdos diceret : « Offero ut Deus sacrum applicet. »

Quæ suprà exposuimus de conditionibus ex quibus pendet productio effectuum sacrificii Missæ, generaliter à theologis admittuntur.

Corollarium. Ex dictis de sacrificio eucharistico, concludendum est Missam esse actum religionis præ omnibus excellentissimum. Ostendimus enim, in notionibus præviis, sacrificium præstare omnibus actibus religionis. Porro sacrificium missæ, quod idem est cum sacrificio crucis, præstat omnibus sacrificiis ante-christianis, ratione sacerdotis, victimæ, et ratione finis, cùm simul sit latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium, sicque resumat omnes aliorum

(1) Billuart, dissert. 8, art. 4 ; Suarez, De Lugo, Bonacina, Collet, etc. apud S. Lig. *Theol. mor.* l. VI, n. 335.

sacrificiorum fines.— Undè, ad exprimendam sacrificii Missæ excellentiam, Ecclesia per antonomasiam illud appellat *actionem* simpliciter dictam.

II.

PARS MORALIS.

Pars moralis exponit leges divinas de Eucharistiâ. Aliæ sunt generales, aliæ speciales ministro et subjecto.

CAPUT I.

DE LEGIBUS GENERALIBUS.

Resumuntur in propositione sequenti :

Christus in Eucharistiâ est adorandus, etiam extra usum ; proindè quælibet irreverentia erga Eucharistiam prohibetur omnibus, sub gravi aut sub levi, proùt materia est gravis aut levis.

Prob. 1ª *p.* Christus in Eucharistiâ est adorandus, etiam extra usum : Nam 1. Christus Homo-Deus in se est adorandus ; ergo adorandus etiam in Eucharistiâ, in quâ realiter et permanenter continetur. 2. Concil. Trid. sess. 13, can. 6 : *Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ sacramento Christum, unigenitum Dei Filium, non esse cultu latriæ etiam externo adorandum... anathema sit.*

2ª *p.* Proindè quælibet irreverentia erga Eucharistiam prohibetur : prohibetur enim omnis irreverentia erga Deum.

3ª *p.* Prohibetur omnibus : Christus enim in Eucha-

ristiâ omnium creaturarum Deus, omnibus est adorandus; omnibus proindè erga eum prohibetur irreverentia.

4ª *p*. Sub gravi aut sub levi, pro gravitate aut levitate materiæ : nam irreverentia erga Christum admittit gravitatem aut levitatem materiæ, ut evidens est.

CAPUT II.

DE LEGIBUS SPECIALIBUS.

ARTICULUS I.

De legibus specialibus sacerdoti ministro.

Sub duplici respectu considerari potest minister Eucharistiæ : 1° quatenùs offert sacrificium, seu conficit Eucharistiam, 2° quatenùs Eucharistiam distribuit. Undè,

PUNCTUM I.

De obligationibus sacerdotis, quatenùs minister est sacrificii eucharistici.

Obligationes sacerdotis spectant 1° ad oblationem sacrificii, 2° ad modum oblationis.

§ I. — De obligationibus sacerdotis spectantibus ad oblationem.

Diversæ sunt pro diversis respectibus sub quibus sacerdos consideratur. Porro sacerdos obligari potest 1. ratione sacerdotii, 2. ratione officii, 3. ratione stipendii seu conventionis.

I. Ratione sacerdotii.

Sacerdos, ratione sacerdotii, proindè quamvis non sit pastor, tenetur jure divino aliquandò celebrare.

Prob. Nam 1° Luc. 22, 19: *Hoc facite in meam commemorationem*. Quibus verbis, teste Concil. Trid. sess. 22, cap. 1, Christus Apostolis eorumque in sacerdotio successoribus præcepit ut sacrificium offerrent, uti semper catholica Ecclesia intellexit et docuit. 2° Hebr. 5, 1: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis*. 3° Ex D. Thomâ, 3 p. q. 82, art. 10, sacerdos licitè non potest à celebratione missæ abstinere, *quia unusquisque tenetur uti gratiâ sibi datâ, cùm fuerit opportunum, secundum illud* II *Cor.* 5 : Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. *Opportunitas autem sacrificium offerendi, non solùm attenditur per comparationem ad fideles Christi quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur.* 4° Constat ex communi doctrinâ theologorum.

Explic. Diximus : tenetur *aliquandò*. Porro 1° tenetur sub gravi celebrare ter quaterve in anno, juxta communiorem sententiam. Alii intelligunt illud « ter quaterve » de festis solemnioribus. Alii autem non improbabiliter dicunt sufficere missam celebrari ter quaterve in anno quibuslibet diebus, modò saltem debita servetur distantia ; ità Suarez, De Lugo, Bonacina et alii, ap. *S. Lig.* l. VI, n. 313.—2° Vix excusaretur, saltem à veniali, præciso scandalo, qui solummodò quater celebraret in anno. Deducitur ex illo textu Concilii Trid. sess. 23, cap. 14 de Reform.: *Curet episcopus ut ii* (sacerdotes) *saltem diebus dominicis et festis solemnibus missas celebrent*. Imò S. Ligorius, n. 359,

ait : « Nescirem à culpâ levi excusare sacerdotem illum, » qui quotidiè celebrare posset (unâ hebdomadis die » exceptâ ob reverentiam) et sine ullâ justâ causâ, sed » tantùm ob desidiam à celebrando abstineret : sacer- » dos enim non solùm pro se celebrat, sed etiam pro » bono totius Ecclesiæ, populique christiani cujus mi- » nister et intercessor est constitutus (1). »

II. Ratione officii.

Sacerdotes curam animarum habentes, jure divino tenentur sub gravi, non solùm aliquandò celebrare, sed aliquandò offerre per se aut per alium pro ovibus suis.

Prob. 1ª *p.* Nam 1° jure divino pastores oves suas pascere debent ; 2° illud expressè docet Concil. Trid. sess. 23, cap. 1 de Reform.: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre...*

2ª *p.* Tenentur sub gravi : quia materia præcepti est gravis.

Præceptum illud divinum in se indeterminatum et olim diversimodè interpretatum præfixum evenit per constitutiones canonicas, ut infrà dicemus ubi *de Parte disciplinari.*

III. Ratione conventionis vel stipendii (2).

Sacerdos, ratione conventionis vel stipendii, jure naturali tenetur adimplere per se aut per alium, omnia

(1) Vid. etiam Benedicti XIV tract. *de Sacrif. mis.* l. III, cap. 1 et cap. 2 de frequenti celebratione.

(2) *Observ.* 1° Jàm diximus, ubi *de Sacrament. in genere*, pag. 392, sacerdoti licere stipendium accipere et exigere, modò illud non accipiat in pretium rei sacræ, alioquin reus fieret simoniæ ; modò

ad quæ explicitè aut implicitè per conventionem se obligavit, sive quoàd celebrationem et applicationem missæ, sive quoàd circumstantias celebrationis.

Prob. **Siquidem, positâ verâ promissione, etiam gratuitâ, vel acceptato stipendio, aut beneficio annexam**

etiam illud non exigat ultra taxationem ab Episcopo vel consuetudine determinatam.

2° Sacerdos potest accipere pinguiorem eleemosynam spontè oblatam, modò oblatio sit plenè libera et absit dolus aut quodcumque pactum etiam implicitum. Item exigere potest stipendium excedens ordinarium, ratione pœnæ extraordinariæ, v. g. si ad celebrandam missam in sacello piæ peregrinationis iter suscipiendum esset arduum: etiam in istis casibus, attendenda est consuetudo loci.

3° Sacerdos quidem potest nullum aut minus justo stipendium exigere pro celebrandâ missâ. Regulariter autem non expedit ut stipendium inferius taxâ accipiat, ob gravia pro aliis sacerdotibus nascitura incommoda: imò episcopus illud prohibere potest, *S. Lig. n.* 320, *dub.* 3. Graviter reprehensibilis esset agendi ratio sacerdotum qui se præberent tanquàm minori stipendio celebrantes, ad obtinendum numerosiora stipendia: et, ex S. C. C. 16 jul. 1689, episcopus eam potest prohibere sub aliquâ pœnâ.

4° Graviter illicitum est missam per anticipationem celebrare pro primo stipendium offerente. Siquidem Clemens VIII, cujus decretum promulgavit Paulus V, 15 nov. 1605, hanc praxim prohibuit *tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimium aberrantem.* Imò valdè dubium est utrùm talis applicatio missæ valeat, cùm sæpiùs accidere possit rationem seu causam intentionis nondùm existere ex parte illius qui stipendium dabit, et aliundè valdè incertum sit utrùm minister effectum sacrificii suspendere queat. — Attamen, si causa applicationis jàm existat, v. g. si sacerdos prævideat missas pro tali defuncto sibi postulandas fore, poterit eas, antequam postulentur, offerre, et deinceps stipendium percipere. Vid. S. Lig. n. 337; Collet, 2 p. *de Sacrif.* cap. 9, sect. 4, quær. 8; D. Richaudeau, *Nouveau traité des SS. Myst.* chap. 23, n. 17.

fundationem habente, sacerdos ligatur vero contractu, proindè strictâ obligatione justitiæ.

Explic. — 1ª *p.* Sacerdos tenetur adimplere omnia... *sive quoàd celebrationem et applicationem missæ.* — Undè,

1° Qui missam, etiam gratuitò sed strictè, promissam omittit, peccat contra justitiam. Probabiliùs, peccat venialiter tantùm ; quia nisi de intentione contrariâ promittentis constet, iste non censetur voluisse gravem sibi obligationem imponere. *S. Lig. n.* 317. — Dicimus: *strictè* promissam ; siquidem ab illâ promissione, quæ sola parit obligationem justitiæ, sedulò distinguenda est promissio facta ad manifestandum simplex propositum benevolentiæ.

2° Qui stipendium accepit pro quantitate determinatâ missarum, tot missas celebrare et applicare tenetur secundum intentionem stipendium dantis. Undè ab Alexandro VII, 24 sept. 1665, damnata fuit propositio sequens, n. 10 : *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram* (1). — Proindè graviter peccat, juxta probabiliorem sententiam, qui omittit unam missam, licèt stipendium fuerit materia levis. Quia gravitas materiæ desumenda

(1) Item damnata fuit eodem decreto hæc altera propositio, n. 8: *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.*

est, non quidem à stipendio, sed à fructu quo privatur dans eleemosynam. *S. Lig. n.* 317, *quær.* 3. Excipe tamen, nisi stipendium ità modicum fuerit, ut missa appareat gratis promissa.

3° Qui beneficium obtinet cui annexa est obligatio missas ex fundatione celebrandi, tenetur ex justitiâ sub gravi ad illum numerum missarum quæ in fundatione sunt impositæ, nisi intervenerit reductio aut aliqua dispensatio legitima.

De causis autem et modo reductionis agemus ubi *de Parte disciplinari.*

2ª *p.* Tenetur... sive *quoàd circumstantias celebrationis.*

Porro præcipuæ circumstantiæ de quibus quæstio esse possit sunt 1. circumstantia temporis, 2. loci, 3. missæ postulatæ.

1° Quoàd *tempus:* vel fuit præfixum, vel non.

Si tempus fuerit præfixum, peccat sacerdos omittens celebrationem missæ tempore præfixo. Certò peccat graviter, si intra tempus celebrationi aptum omiserit celebrare missam pro aliquâ instante gratiâ impetrandâ petitam, v. g. pro felici partu, evadendo periculo, etc. Imò tenetur stipendium acceptum restituere, licèt deinceps celebraverit, et monere de missâ omissâ eum qui stipendium dedit. *S. Lig. n.* 317, *quær.* 2.

Si tempus non fuerit præfixum, sacerdos tenetur quamprimùm celebrare, ità ut graviter peccaret diutiùs differendo. Siquidem, nisi ex circumstantiis prudenter judicari possit eum qui stipendium dedit consentire in dilationem, iste censetur exigere ut missa quamprimùm celebretur. Undè S. C. C. decretis auc-

toritate Urbani VIII latis et ab Innocentio XII confirmatis declaravit sacerdotes eleemosynas manuales pro missis celebrandis accipere non posse, nisi infra *modicum tempus* oneribus suis satisfacere valeant. — Ad determinandum autem quænam sit dilatio gravis non consentiunt auctores. Juxta S. Ligorium, gravis videtur dilatio trium mensium ; in missis pro defunctis gravis reputatur dilatio unius mensis ; probabile est nequaquam peccare sacerdotem qui dicit missam promissam infra duos menses. Juxta DD. Gousset, n. 299 : « Si, » comme il arrive souvent, celui qui a donné des ho- » noraires n'a pas fait connaître son intention, s'il n'a » fixé aucun terme pour l'acquittement des messes, il » est communément reçu qu'on peut prendre deux « mois pour les acquitter (1). » Addit idem auctor : « Nous ferons remarquer que, lorsqu'un fidèle remet » à un prêtre une somme considérable, cinq cents » francs par exemple, pour des rétributions de messes, » en le priant de les acquitter lui-même, celui-ci peut » s'en charger, sans être obligé de dire la messe tous » les jours, ni de l'appliquer absolument, toutes les » fois qu'il la dit, à la même personne ; il peut la dire » de temps en temps, ou pour lui-même, ou pour ses » parents, ou pour d'autres personnes, pourvu cepen- » dant que cela n'arrive que rarement. »

2° Quoàd *locum*: Quandò fundator aut qui stipendium dedit, propter causam gravem designavit locum celebrationis, id est ecclesiam aut altare, peccat, et

(1) Idem sentiunt Collet, *de Euch.* 2 p. cap. 9, sect. 4, quær. 9; D. Richaudeau, *Nouv. traité des SS. Myst.* chap. 23, n. 18, et alii.

quidem aliquandò graviter, sacerdos omittens absque causâ justâ celebrationem missæ in loco designato.

Dicimus 1. quandò fundator designavit *propter causam gravem*, v. g. propter commoditatem populi missam audituri, vel propter indulgentiam altaris privilegiati, ob specialem cultum Sancti, aut memoriam familiæ quæ illud extruxit altare, etc.—2. *Peccat, et quidem aliquandò graviter:* Peccaret autem graviter, juxta *S. Lig. n.* 329, capellanus qui, obligatus ad missam quotidiè celebrandam in ecclesiâ designatâ, eam sæpiùs omitteret, v. g. plus quàm semel aut bis in mense. Faciliùs tamen excusaretur à gravi, si mutaret tantùm altare et non ecclesiam.— Peccaret, et, juxta quosdam, graviter, sacerdos qui accepto stipendio pro missâ ad altare privilegiatum celebrandâ, celebraret ad aliud altare. Imò, si eleemosyna pinguior ipsi data fuerit ad hunc finem, teneretur ad restituendam partem quæ excedit stipendium ordinarium: si autem eleemosyna fuerit ordinaria, non teneretur quidem ad eam restituendam, ut quidam volunt, sed tantùm ad lucrandas indulgentias applicabiles pro defunctis. *S. Lig. n.* 329. —3. *Omittens absque justâ causâ:* Porro sacerdos excusaretur, si ecclesia aut altare esset execratum, si altare ab alio sacerdote esset occupatum et ipse commodè non posset exspectare.

3° Quoàd *missam:* sacerdos ordinariè tenetur dicere missam ab eleemosynam offerente petitam, v. g. vel pro defunctis, vel votivam; quia ob ipsius offerentis devotionem et speciales orationes major fructus provenire solet. — Dicimus *ordinariè;* quia si rubricæ talem missam non permittant, ordinem Ecclesiæ, ob

alterius devotionem, intervertere non convenit.—Attamen non erit grave alteram missam dicere, imò nec leve, si fiat justâ de causâ. *S. Lig. n.* 327.

3° *p.* Tenetur adimplere *per se aut per alium..:* siquidem, nisi contrarium in conventione fuerit statutum, sacerdos potest, servatis servandis, obligationem suam alteri sacerdoti committere adimplendam.

Porro sequentia servari debent : 1. sacerdos sit bonus ; nam, si committatur missa malo sacerdoti, perditur fructus qui est ex opere operantis. *S. Lig. n.* 321.

2. Ordinariè sacerdos, qui stipendium accepit pro missâ celebrandâ, non potest eam tradere celebrandam alteri sacerdoti, retentâ pro seipso quàdam parte stipendii. Licèt enim talis agendi ratio in se aliquandò licita esse possit, attamen, ob speciem turpis lucri et periculum abusûs, sub gravi proscripta est per decreta SS. Pontificum. Sic prohibita fuit decreto S. C. C. approbato ab Urbano VIII. Dein ab Alexandro VII, 24 sept. 1665, damnata fuit hæc propositio, n. 9 : *Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Decretum Urbani VIII confirmavit Innocentius XII, 23 nov. 1697. Tandem Benedictus XIV, in encyclicâ *Quanta cura*, 30 jun. 1741, declaravit sacerdotem non posse, imminuto stipendio, alteri missas tradere celebrandas, *etsi eidem sacerdoti missam celebranti, et consentienti, se majoris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset;* contrariamque praxim, tanquam *execrabilem abusum* damnavit sub pœnâ sus-

pensionis à clericis ipso facto incurrendæ et S. Pontifici reservatæ (1).

Dicimus *ordinariè:* siquidem 1. si ex circumstantiis constaret pinguiorem eleemosynam potiùs intuitu personæ quàm missæ fuisse præstitam, posset sacerdos excessum retinere, committendo alteri celebrationem missæ. *S. Lig. n.* 321. 2. Ex diversis decretis S. C. C., sacerdos deserviens capellaniam aut beneficium, cui certi redditus sunt annuatim constituti et perpetuò assignati, potest aliquandò missam per alium celebrare, et illi tradere eleemosynam ordinariam, licèt stipendium ipsius quotidianum excederet ordinarium. Secùs, si huic sacerdoti pro quâlibet missâ certa daretur eleemosyna. *S. Lig. ibid.*

§ II.—De obligationibus sacerdotis spectantibus ad circumstantias oblationis.

Sacerdos offerens sacrificium jure divino tenetur sub gravi aut sub levi, pro gravitate aut levitate materiæ, observare omnia quæ sunt necessaria ad dignam celebrationem.

(1) « Per edictum in vestris diœcesibus proponendum affigendumque (ait Benedictus XIV ad Episcopos) universis notum facite, quemcumque, qui eleemosynas, seu stipendia majoris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel synodalia statuta exigunt, colligens, missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia, seu eleemosynæ tributuntur celebrari fecerit, laïcum quidem, seu sæcularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam, clericum vero, sive quemcumque sacerdotem, pœnam suspensionis ipso facto incurrere; à quibus nullus per alium, quam per nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus absolvi possit. » Vid. *Bullarium* Bened. XIV, t. I, n. 22 (edit. Mechlin. vol. I, pag. 112.)

Not. Præter ea quæ jàm dicta sunt ubi *de Sacram. in gen.*, quædam etiam inferiùs dicenda sunt de subjecto quæ ad ministrum simul spectant.

Punctum II.

De obligationibus sacerdotis quatenùs est minister Eucharistiæ distribuendæ.

Obligationes sacerdotis sub respectu materiæ præsentis determinantur principiis generalibus jàm expositis ubi *de Sacram. in gen.* sub titulo de obligationibus specialibus ministri sacramentorum.

Ex his principiis sequentia deducimus de obligationibus ministri *relativè ad subjectum.*

Sacra communio deneganda est subjectis quibus non potest concedi decenter aut absque periculo irreverentiæ, scandali, etc., scilicet :

Infantibus, ità nunc præcipiente Ecclesiâ (1), donec sint rationis compotes ac sufficienter parati ad sacram Eucharistiam ritè percipiendam.—Ipsis autem, morte imminente, sanctissimum viaticum non solùm potest, sed etiam debet administrari, si parochi eos comperierint tantam assequutos judicii maturitatem, ut cibum cœlestem à communi et materiali discernant. Ità *Benedictus XIV cum communi* (2).

(1) Vid. Concil. Trid. sess. 21 *de Communione*, cap. 4.

(2) Vid. Bened. XIV *de Synod. diœces.* l. VII, cap. 12; S. Lig. n. 301. « Haud leviter delinquere (parochos) credimus, ait Bened. XIV, n. 1, qui pueros etiam duodennos, et perspicacis ingenii, sinunt ex hâc vitâ migrare sine Viatico, hanc unam ob causam, quia scilicet nunquam antea, parochorum certè incuriâ, et oscitantiâ, Eucharisticum panem degustarunt. »

Semifatuis; duobus casibus exceptis, scilicet, si urgeat præceptum communicandi, vel si versentur in articulo mortis, modò cœlestem cibum ab aliis distinguere sciant (1).

Perpetuò amentibus. — Iis verò qui non semper caruerunt usu rationis et piè vixerunt, in articulo mortis concedenda est sacra communio (2). Idem dicendum de iis qui sunt sensibus destituti, si, ante rationis amissionem dispositi, piam habuerunt intentionem viaticum suscipiendi (3).

Mutis simul surdis ac cæcis à nativitate.—Qui sunt solummodò *muti simul et surdi* possunt ad sacram communionem admitti tempore præcepti, modò de eorum discretione constet; sæpiùs etiam, si majore discretione polleant (4).

Epilepticis, in paroxismo. — *Obsessis* à dæmone, quandò non sunt compotes rationis. Cæterùm, observat S. Ligorius cum pluribus ex D. Thomâ, cùm Eucharistia sit speciale remedium ad arcendos dæmones, pluries in anno, juxta prudentiam confessarii, obsessis concedenda est (5).

Quoàd eos qui ob grave delictum ultimo supplicio damnati sunt, gravis quæstio movetur utrùm ipsis deneganda vel concedenda sit sacra communio, diversaque pro diversis locis datur consuetudo. Sequentia no-

(1) S. Lig. n. 303.

(2) Catechism. Rom. part. 2, cap. 4, n. 69; S. Thom. 3 p. q. 80, art. 9; S. Lig. n. 302.

(3) DD. Gousset, t. II, n. 232; P. Gury, t. II, n. 226.

(4) S. Lig. loc. cit.

(5) S. Lig. n. 303.

bis observare sufficiat. 1. Christianæ pietati et Ecclesiæ menti magis conformis est doctrina quæ capite damnatis aliundè ritè dispositis (1) vivifici sacramenti participationem non denegat, ut inter alios ostendit Benedictus XIV, et ut clarè constat ex his S. Pii V contrariam praxim improbantis: *Id nos* (sacramentum Eucharistiæ) *minimè esse denegandum censemus; cum christianæ charitati magis conveniat, eos, ad resistendum tali tempore fortius diabolicis tentationibus, sacrâ communione muniri, ut perituro corpore, saluti animæ, quantum fieri potest, subveniatur* (2).—2. Praxis denegandi sacram communionem capite damnatis in Galliis olim magis recepta, jàm in pluribus diœcesibus derelicta est. Specialiter in nostrâ provinciâ Lugdunensi, an. 1850, statutum est damnatos ad mortem non ideò esse sacrâ Eucharistiâ privandos (3).

(1) « Il est nécessaire, ait DD. Gousset, t. II, n. 231, que le criminel donne des signes non équivoques de pénitence; il est prudent même, à notre avis, de ne lui donner la communion qu'autant qu'il avoue son crime *extra confessionem sacramentalem*. On doit être ici plus exigeant pour ce qui regarde la communion que pour ce qui concerne l'absolution sacramentelle; car on peut absoudre au pied de l'échafaud celui qui, malgré la certitude morale qu'on a de son crime, persiste à se dire innocent. »

(2) Apud Bened. XIV, *de Synod. diœces.* l. VII, c. 11, n. 3. Vid. etiam opus ejusdem Pontificis *de Sacrif. mis.* l. III, c. 20, n. 6; et DD. Gousset, *Theol. mor.* t. II, n. 230.

(3) Concil. provinc. Lugdun. an. 1850, § XXI, n. 10; Statut. Synod. diœces. Sancti Claudii, § LXXV. — Juxta DD. Gousset, loc. cit., Scavini et alios, sacra communio capite damnatis etiam non jejunis potest concedi quandò aliter commodè fieri nequit. — Quoàd tempus viaticum ipsis administrandi, tenenda sunt statuta locorum, si quædam sint. Juxta DD. Gousset et DD. Bouvier, sacra communio ipsis administranda est ipso die supplicii, si tempus sufficiens adsit; secùs, ante diem supplicii.

Quoàd publicè indignos, quales sunt, ex *Ritual. Rom.*, excommunicati, interdicti, manifestèque infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, et alii ejus generis publici peccatores, sacra communio ipsis deneganda est, nisi de eorum pœnitentià et emendatione constet, et de publico scandalo satisfecerint. De his, sicut de peccatoribus occultis, vid. quæ jàm diximus ubi *de Sacram. in genere* (1).

ARTICULUS II.

De legibus specialibus subjecto.

Fidelis est subjectum Eucharistiæ 1° quatenùs sacrificii, 2° quatenùs sacramenti. Undè,

Punctum I.

De obligationibus subjecti erga Eucharistiam, quatenùs est sacrificium.

Spectant 1° ad assistentiam, 2° ad modum assistentiæ.

§ I. — De obligatione assistendi.

Quilibet fidelis jure divino tenetur sub gravi aliquandò adesse sacrificio Missæ.

Prob. Quilibet fidelis lege divinà tenetur aliquandò adesse sacrificio Missæ : Nam 1° oblatio Missæ præcipitur sacerdotibus ; ergo præcipitur Ecclesiæ, cùm sacerdos sit persona socialis Ecclesiam repræsentans ; ergo præcipitur Ecclesiæ membris, seu fidelibus. Porro

(1) Pag. 394 et seq.

fideles participant oblationi Missæ præcipuè per assistentiam. 2° Missa est actus religionis præ omnibus aliis Deo gloriosus et hominibus utilis; ergo homo, qui tenetur omnia in gloriam Dei facere, et media salutis sibi procurare, tenetur participare, seu adesse sacrificio Missæ. 3° Propositionem nostram communiter admittunt theologi. — Tenetur sub gravi: præceptum enim est de materiâ gravi.

§ II. — De modo assistentiæ.

Fidelis, ut debitè adimpleat præceptum divinum de audiendâ Missâ, tenetur ad omnes conditiones requisitas ad debitam orationem. Siquidem obligatio ad sacrificium ejusdem est generis ac obligatio ad orationem. Conditiones autem orationis exponuntur sub titulo: *De officiis hominis erga Deum.*

PUNCTUM II.

De obligationibus subjecti erga Eucharistiam, quatenùs est sacramentùm.

Spectant 1° ad receptionem, 2° ad circumstantias receptionis.

§ I. — De obligationibus spectantibus ad receptionem.

PROP. Ia. Quilibet fidelis, modò discretionem habeat, necessitate præcepti divini tenetur, sub gravi aut sub levi, pro circumstantiis, aliquandò Eucharistiam sumere.

Prob. 1a*p.* Quilibet fidelis tenetur Eucharistiam sumere: Joan. 6, 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quæ verba sunt præceptiva et generalia;

obligant ergo omnes fideles. Constat etiam communi doctrinâ Patrum, fide et doctrinâ Ecclesiæ.

2ª *p.* Modò discretionem habeat : Siquidem in præsenti disciplinâ, Ecclesia, ob reverentiam sacramenti, Eucharistiam non præbet infantibus et aliis fidelibus qui sunt discretionis incapaces (1).

3ª *p.* Tenetur necessitate præcepti, non verò necessitate medii : Siquidem homo etiam adultus salvari potest quamvis Eucharistiam non receperit.

4ª *p.* Sumere aliquandò : Fidelis obligatur aliquandò directè, aliquandò indirectè, seu per accidens.

Obligatur *directè :* 1° in articulo vel periculo proximo mortis : quia urget gratiæ necessitas, ac proindè, si unquàm, tunc certè existit obligatio sumendi sacramentum Eucharistiæ, quod hominibus datum est ut viaticum confortans adversus hostes salutis. *Ità communiter.* — Undè fidelis qui ex devotione communicavit paucis ante diebus, adhuc superveniente periculo vitæ, probabiliùs tenetur sacrum viaticum suscipere ; siquidem per communionem anteà factam, non satisfecit præcepto quod ex interpretatione Ecclesiæ urget in

(1) « Quo verò ætatis anno eam maturitatem advenisse sit præsumendum, non potest certâ regulâ definiri ; cùm alii tardiùs, alii citiùs perfectum rationis usum, rerumque spiritualium intelligentiam assequantur : id autem intra decimum et decimum quartum ætatis annum, communiter evenire, notat Suarez, in 3 p. q. 80, disp. 70, sect. 1. » Benedictus XIV, *de Synod.* l. VII, c. 12, n. 2. Undè, cùm inter pueros quidam citiùs quàm alii sacram Eucharistiam percipere possint, ac proindè præcepto subjiciantur, cavendum est ne pro regulâ generali statuatur eos indiscriminatim ad communionem non esse admittendos nisi in certâ ætate constitutos. Ipsi pueri reipsâ non tenentur, nisi quandò à parocho vel à parentibus moniti fuerunt. Vid. S. Lig. n. 301, dub. 1.

articulo mortis (1). — 2° Sæpiùs in vitâ; etenim Eucharistia instituta est ad nutritionem animæ et conservationem vitæ supernaturalis. Illud autem præceptum determinavit Ecclesia, ut infrà dicemus.

Obligatur *per accidens*, et fortè sæpiùs quàm semel in anno, quandò receptio Eucharistiæ necessaria est ut subjectum alia præcepta implere valeat, v. g. si gravis urgeat tentatio quæ alio modo quàm per sacram communionem superari non possit. Observat tamen Suarez hoc rarò evenire, cùm ordinariè alia remedia adhiberi queant, qualia sunt orationes, pœnitentiæ, etc. (2).

3ª *p*. Obligatur sub gravi aut sub levi : Obligatio directa est semper gravis, gravis est enim materia præcepti. Indirecta autem est gravis, si communio sit urgens ad observationem præcepti gravis, secùs obligatio est levis.

Prop. IIª. Nullo præcepto divino fideles laïci, aut clerici Eucharistiam non conficientes tenentur communicando sumere utramque speciem.

Prænot. 1. Communio sub utrâque specie certò permittitur jure divino. Frequenter usitata fuit in Ecclesiâ Latinâ usque ad sæculum XIII; eamque nunc observant Græci, exceptis quibusdam casibus (3).

(1) Ità Billuart, dissert. 6, art. 1, § 2, S. Lig. n. 285 cum pluribus contra plures. — Contrariam tamen sententiam probabilem putat S. Ligorius, saltem si periculum mortis naturaliter accidat, quia tunc, ait, in illo brevi tempore antecedenti jàm moraliter cœpit imminere, licèt fuerit ignoratum.

(2) S. Lig. n. 295.

(3) Vid. Bona *Rer. liturg.* lib. II, cap. 18; Dom Martène, *de Antiq. Eccles. rit.* lib. I, cap. 4, art. 10; Bened. XIV tract. *de sacrif. mis.* lib. II, cap. 22, et ejusdem Pontificis *Bullarium*, constit. *Al-*

2. Circa initium sæc. XV^i Jacobus Misnensis, parochus in civitate Pragâ, suadente Petro Dresdensi, prædicavit usum calicis fidelibus necessarium esse jure divino. Hunc errorem adoptârunt Joannes Huss, Lutherus et Calvinus. Contra quos,

De fide est nullo præcepto divino fideles... teneri sumere utramque speciem.

Prob. 1ª. Si quoddam daretur præceptum divinum communicandi sub utrâque specie, de illo constaret Scripturâ aut Traditione aut ratione theologicâ; porro non constat.

1° Non *Scripturâ:*

Urgent potissimùm adversarii textus sequentes: 1. Joan. 6, 54: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 2. Sicut Christus præcipiens manducationem corporis ait, Matth. 26, 27: *Accipite et comedite*, ità præcipiens sumptionem sanguinis sui dixit: *bibite ex hoc omnes.* 3. Hoc præceptum confirmavit dicens, Luc. 22, 19: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo.

Argumentis autem adversariorum responderi potest,

In genere: 1. Conclusio deducta contradicit traditioni et praxi Ecclesiæ, ut infrà dicetur, ergo rejicienda est utpotè innixa interpretationi privatæ. 2. Imò contradicit ipsius Scripturæ verbis. « *Namque*, ait Concil. Trid. sess. 21, cap. 1, *qui dixit:* Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; *dixit quoque:* Si quis man-

latæ sunt, 26 mart. 1755 (tom. IV Bullar. n. 47, — edit. Mechlin. vol. XI, pag. 151 et seq.) in quâ agit de ritibus Græcorum.

ducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. *Et, qui dixit:* Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; *dixit etiam:* Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vitâ. *Et denique qui dixit:* Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo; *dixit nihilominùs:* Qui manducat hunc panem vivet in æternum. »

In specie, ad 1um text. 1. Christus non præcipit modum Eucharistiam sumendi, sed tantùm ipsius Eucharistiæ necessitatem exponit. Constat enim, tùm quia in eodem loco (vv. 52 et 59), eumdem promittit fructum Eucharistiam sumenti sub solâ specie panis; tùm quia ibi præscribit medium conservandæ vitæ spiritualis, hoc autem medium non consistit in modo sumendi seorsìm species, sed in sumptione rei sub speciebus contentæ, corporis scilicet et sanguinis, quæ sub quâlibet specie continentur, ut anteà probavimus. 2. Particula *et* non rarò in Scripturâ sumitur disjunctivè, ut v. g. in Exod. 2, 5: *Qui percusserit patrem et* (aut) *matrem, morte moriatur;* in Act. 3, 6: *Argentum et* (aut) *aurum non est mihi.* Hanc autem particulam in textu citato ità intelligendam esse colligitur, tùm ex praxi Ecclesiæ, tùm ex ipsâ Scripturâ, specialiter ex his 1 Cor. 11, 27: *Quicumque manducaverit hunc panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis et sanguinis Domini.*

Ad 2um: 1. His verbis Christus Eucharistiam distribuens solummodò invitabat ad sumptionem corporis et sanguinis sui. 2. Licèt prædicta verba importâssent præceptum, illud spectâsset tantùm discipulos præsentes, ut manifestum est ex Marc. 14, 24, ubi exsecutio

præcepti exhibetur : *Et biberunt ex illo omnes*. Quod confirmatur ex antiquis versionibus syriacâ, arabicâ, æthiopicâ, in quibus verba Christi sic referuntur : *Bibite ex hoc omnes vos*.

Ad 3um : 1. Verba illa protulit Christus immediatè post consecrationem panis. Undè et Paulus, qui solus cùm S. Lucâ ea refert, I Cor. 11, 25, cùm ipse de pane consecrato dixisset absolutè : *hoc facite in meam commemorationem*, versu seq. ait conditionatè : *hoc facite, quotiescumque bibetis*, id est, si biberitis, *in meam commemorationem*. Nec refert quòd S. Lucas, loquens de calice dicat : *Similiter et calicem*...; nam ista particula *similiter* spectat tantùm ad actionem sumentis, benedicentis, porrigentis, non autem ad omnia quæ Christus anteà fecit et dixit. 2. Commemoratio dominicæ passionis à fidelibus fieri potest per unius tantùm speciei sumptionem (1).

2° Non *Traditione :*

Equidem primis Ecclesiæ sæculis, usque ad decimum tertium, non infrequens fuit communio sub utrâque specie ; nunquàm autem fuit observata tanquàm necessaria ex præcepto divino, cùm in multis casibus fiebat sub alterutrâ tantùm specie. 1. Sub solâ specie panis Eucharistia deferebatur ad infirmos, ut liquet ex historiâ Serapionis, ap. Euseb. l. VI, c. 44; item ex historiâ S. Ambrosii, cui in extremis posito S. Honoratus Vercellensis episcopus tradidit *Domini*

(1) Vid. fus. Bellarmin. *Controv. de Sacram. Euch.* lib. IV, cap. 24 et 25; Billuart, *de Euch.* dissert. 6, art. 2; Wirceburg. *de Euch.* cap. 5, art. 2, etc.

corpus, quo accepto ubi glutivit, emisit spiritum (1). 2. Sub solâ specie vini communicabantur infantes, ut refert S. Cyprianus: hunc ritum adhuc observant Ecclesia græca aliæque ecclesiæ orientales (2). 3. In primævis sæculis, sacra Eucharistia, sub solâ specie panis, post synaxim domum deferebatur à fidelibus ut ipsi eâ opportunè vescerentur; in itineribus asportabatur; in signum communionis ab unâ ecclesiâ ad aliam mittebatur (3). 4. Constat ex S. Leone M. manichæos diù latuisse Romæ, quamvis Eucharistiam sub unicâ specie panis sumerent, relictâ specie vini à quo abhorrebant, ità ut ad eos detegendos necesse fuerit omnes indiscriminatìm cogere ad recipiendam communionem sub utrâque specie (4). Ob eamdem causam idem præceptum à S. Gelasio renovatum est (5). Ergo, etiam in communione publicâ, unam vel duas species sumere cuicumque liberum erat (6).

3° Non *ratione :*

Si Eucharistia sumenda esset sub utrâque specie, maximè quia fideles unam tantùm speciem sumentes privarentur gratiis ad salutem necessariis. Porro hoc est falsum. Etenim 1. cùm Christus sit totus sub utrâ-

(1) Vita S. Ambros. à Paulino, n. 47. (Patrolog. t. XIV, col. 43.)

(2) S. Cyprian. de Lapsis, n. 25. (Patrolog. t. IV, col. 485.) Vid. etiam Bona, l. II, c. 19; Martene, loc. cit. art. 10, n. 14.

(3) Vid. suprà pag. 42.

(4) S. Leonis op. serm. 4 de Quadrages. c. 5. (Patrol. t. LIV, col. 279.)

(5) Decreti 3 p. *de Consecrat.*, dist. 2, can. 12.

(6) Præter auctores cit. vid. Bossuet, *Traité de la Communion sous les deux espèces*, et *Défense de la Tradition...*

que specie, quælibet species verum est sacramentum, ac proindè confert gratiam. *Fatendum esse*, declarat Conc. Trid. sess. 21, cap. 3, *etiam sub alterâ tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi, ac propterea quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ, necessariâ ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* 2. Licèt plus gratiæ ex utrâque specie, quàm ex unâ tantùm perciperetur, non ideò opus esset ut omnes utramque sumerent speciem, cùm in sumptione unius speciei recipi queant gratiæ ad salutem necessariæ. Alioquin dicendum esset Eucharistiam concedendam esse parvulis; attamen cùm eâ necessariò non indigeant, nec sine periculo irreverentiæ eam recipere valeant, ipsis non datur neque à catholicis neque ab hæreticis. 3. Communiter tenent theologi non majorem per se produci gratiam per communionem sub utrâque quàm sub unâ tantùm specie. Etenim gratia non producitur ratione specierum, sed ratione rei sub speciebus contentæ, porro sub quâlibet specie totus continetur Christus. Nec refert quòd in communione sub utrâque specie bis sumatur Christus; nam duplex sumptio semper ordinatur ad unam tantùm refectionem. Dicimus *per se;* quia fieri potest ut ratione majoris fervoris in sumptione secundæ speciei per accidens conferatur major gratia (1).

Prob. 2ª. Concil. Trid. sess. 21, can. 1: *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem*

(1) Vid. Bellarmin. loc. cit. cap, 23; Billuart, loc. cit. § 2, etc.

sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere; anath. sit.

Corol. Undè Ecclesia potuit interdicere et meritò interdixit usum calicis.—Potuit interdicere: *Hanc* enim *potestatem perpetuò in Ecclesiâ fuisse*, declarat Conc. Trid. sess. 21, cap. 2, *ut in sacramentorum dispensatione, salvâ eorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum temporum et locorum varietate, magis expedire judicaret.* — Et meritò interdixit: *Si quis dixerit,* decernit idem Concil. sess. 21, can. 2, *sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laïcos, atque etiam clericos, non conficientes, sub panis tantummodò specie communicaret; aut in eo errasse; anath. sit.* Multis verò et quidem gravissimis rationibus ad hanc legem statuendam adducta est Ecclesia, ut conjicitur ex actis in Conc. Tridentino et exponitur in Catechism. Roman. p. 2, n. 70, *de Euch.* Hæ autem sunt præcipuæ rationes, scilicet: 1. periculum effusionis pretiosissimi sanguinis in magnâ præsertim populi frequentiâ, 2. impossibilitas hanc speciem ad ægrotos convenienter deferendi, 3. repugnantia multorum utendi vino vel hauriendi ex calice pluribus jàm oblato, 4. maxima difficultas speciem vini diù conservandi, 5. inopia vini pluribus in locis, 6. spontanea fidelium desuetudo ferè universalis sæc. XII et XIII, 7. hæreticorum audacia, qui negabant Christum sub utrâque specie integrum contineri, et Ecclesiam accusabant ac si ipsa legem Christi ignoraverit.

Notandum. Licèt, ut diximus in Prop. 1ª, aliquandò

tantùm adsit præceptum sacram Eucharistiam sumendi, attamen ex institutione Christi, sanctissimum hoc sacramentum hominibus præbentis in cibum et in conservationem vitæ supernaturalis, ex mente et praxi Ecclesiæ, ex doctrinâ Patrum et doctorum constat frequentem imò quotidianum Eucharistiæ usum esse laudabilem, imò summè commendabilem, positis aliundè dispositionibus debitis ex parte sumentis. *Optaret sacra synodus,* aiunt Patres Tridentini, sess. 22, cap. 6, *ut in singulis missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quò ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior perveniret.* Et, sess. 13, cap. 8: *Paterno affectu admonet sancta synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes et singuli qui christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo jam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantæ majestatis et tam eximii amoris J. C. D. N. qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra mysteria corporis et sanguinis ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ac pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint...*

§ II. — De obligationibus spectantibus ad circumstantias receptionis.

Fidelis communicaturus tenetur, pro circumstantiis, sub levi aut sub gravi, ad conditiones et circumstantias requisitas ad dignam receptionem.

Ex hoc principio solvuntur quæstiones sequentes de dispositionibus jure divino ad communionem requisitis ex parte animæ, ex parte corporis.

I. De dispositionibus ex parte animæ.

Ex dictis ubi *de Sacramentis in genere* exigitur status gratiæ.

Quær. autem *utrùm sacerdos celebraturus aut fidelis communicaturus teneatur ad confessionem, si sit in statu peccati mortalis?*

Resp. Certum est eum, qui sibi gravis peccati conscius est, teneri ante communionem confiteri, modò non adsit necessitas celebrandi aut communicandi, et aliundè copia confessoris desit; imò sacerdotem, qui reus peccati mortalis ratione necessitatis celebravit, teneri quamprimùm post celebrationem confiteri.

Probatur et explicatur propositio.

Prob. Ex Concil. Trid. sess. 13, cap. 7: *Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus* (Apostoli) *præceptum:* Probet autem seipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod à christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia confessoris. Quòd si, necessitate urgente, sacerdos absque prævià confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Idem repetit in canone 11, et addit: *Si quis autem contrarium*

docere, prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Explic. 1ª *p.* Qui sibi gravis peccati conscius est: Undè 1° communioni non obstant peccata venialia, quia non privant gratiâ habituali. 2° Non adest obligatio ante communionem confitendi peccata mortalia dubiè commissa vel dubiè mortalia. Communicaturus enim potest practicè judicare in priori casu peccata non fuisse commissa, in posteriori peccata non esse mortalia, proindè practicè non est sibi conscius peccati mortalis. Secùs dicendum, si peccata fuissent certò commissa, vel certò mortalia, et dubiè remissa (1). 3° Non adest obligatio ante communionem confitendi peccata mortalia certa, sed inculpabiliter in confessione omissa, quorum communicaturus recordatur, *certò*, si pœnitens jàm sacræ mensæ assideat, vel habeat causam gravem communicandi nec absque magno incommodo iterùm confiteri queat; quia præceptum confessionis non urget cum periculo scandali aut gravi incommodo. Imò *probabiliùs* nec adest obligatio, etiamsi pœnitens possit absque gravi incommodo confiteri vel omittere communionem; quia peccata inculpabiliter omissa fuerunt indirectè remissa, proindè pœnitens, ritè justificatus per sacramentum pœnitentiæ, est sufficienter probatus, etiam juxta mentem Concilii (2).

(1) Vid. S. Lig. l. VI, n. 475, et *Hom. ap.* tract. 15, n. 34. — Vid. etiam inferiùs dicenda ubi *de Pœnitentiâ.*

(2) Ità, contra multos quorum sententia non est improbabilis, Gibert, Pontas, Collet, *de Euch.* p. 1, c. 6, a. 3, q. 2, DD. Gousset, t. II, n. 249, P. Gury, t. II, n. 230, aliosque plures apud S. Lig.

2ª *p*. Modò non adsit celebrandi aut communicandi necessitas : Adest autem : 1° si moribundo afferendum sit viaticum, et desit hostia consecrata ; 2° si celebratio vel communio absque scandalo aut infamiâ omitti nequeat ; 3° si, viatico allato ad infirmum, tempus non suppetat ut confessio compleatur ob mortis aut infamiæ periculum : in hoc casu, sacerdos, audito aliquo peccato, debet moribundum absolvere, imponendo ei ut deinceps integram confessionem faciat, et ei sacram communionem præbere ; 4° si parochus celebrare debeat ut populus præcepto missæ satisfaciat, et desit alius sacerdos qui celebret ; vel, licèt alius adsit, si parochus nequeat absque infamiâ aut scandalo à celebratione abstinere ; 5° si sacerdos post consecrationem recordetur peccati mortalis ; secùs, jubente Rubricâ, si recordetur ante consecrationem, nisi adsit, ut plerumque existeret, periculum scandali aut infamiæ (1).

3ª *p*. Et copia confessoris desit : Rationes enim superiùs expositæ non excusarent, si sacerdos aut fidelis peccata sua confiteri possent. — Ut autem confessoris copia deesse censeatur, duo requiruntur, 1. nullus idoneus confessor præsto sit, 2. celebraturus aut communicaturus absentem sine gravi incommodo adire nequeat.

1° Nullus idoneus confessor præsto sit : Undè 1.

l. VI, n. 257. Attamen contraria fidelium praxis, licèt non statuat obligationis normam, *habenda est tanquam pius et laudabilis usus, qui cæteroquin omnibus suadendus est, quoties causa aliqua in oppositum aliud non suadeat.* S. Lig. *Hom. ap.* tract. 15, n. 23.

(1) Vid. S. Lig. l. VI, n. 260 et seq., et *Hom. ap.* tract. 15, n. 24 et 25.

juxta omnes, desinit obligatio confitendi, si non adsit nisi confessor idiomatis ignarus, vel cui celebraturus aut communicaturus confiteri nequeat absque gravi damno sive proprio sive alieno, vel si confessor omninò careat jurisdictione. 2. Si desit confessarius habens jurisdictionem in reservata, quorum celebraturus aut communicaturus sit reus: communiter admittitur pœnitentem non teneri ad confessionem, sed tantùm ad contritionem, si habeat solummodò peccata reservata (1). Secùs, juxta probabiliorem sententiam, si cum reservatis habeat alia peccata non reservata; quia urget præceptum confessionis, et aliundè sacerdos probabiliùs à reservatis indirectè absolvere posset (2). Utrùm autem in eo casu pœnitens teneatur accusare peccata reservata; non concordant auctores. Probabiliùs pœnitens ea confiteri non tenetur, nisi aliquandò per accidens, scilicet, quandò eorum notitia necessaria est ut confessarius de dispositionibus pœnitentis judicare possit (3).

2° Celebraturus absentem sine gravi incommodo adire nequeat: quodnam autem sit grave incommodum, non potest rigorosè determinari. Habenda est ratio, tùm valetudinis, ætatis, brevitatis temporis, negotiorum quibus vacandum est, etc.; tùm distantiæ:

(1) Juxta Suarez, De Lugo et alios, ap. S. Lig. *n.* 265, *quær.* 1, sacerdos advertens se non habere contritionem, tenetur confiteri de aliis peccatis jàm confessis, ut sic à reservato saltem indirectè absolvatur. Et De Lugo censet quòd hoc poterit fieri in omni casu, etiamsi sacerdos habeat contritionem, ut securiùs Eucharistiam recipiat. — Vid. aliundè inferiùs dicenda sub tit. *de Pœnitentiâ.*

(2) S. Lig. n. 265 et 585.

(3) Vid. S. Lig. n. 265, quær. 2.

sic excusaret à confessione distantia duplicis horæ juxta quosdam, unius horæ juxta alios; minor distantia, si sacerdos brevi celebraturus esset (1).

4ª *p*. Sacerdos in casu posito tenetur quamprimùm confiteri: — Tenetur: nam verba Tridentini important præceptum, ut constat ex Missali Romano, *cùm primùm poterit, debet confiteri*, et ex propositione, n. 38, ab Alexandro VII damnatâ, 16 mart. 1666, *Mandatum Tridentini, factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.* — Tenentur sacerdotes ex Concilio Trid., et ratio hujus legis, quia obligatio celebrandi eis iterùm et brevi incumbere potest. Non tenentur laïci, juxta communiorem sententiam, ob contrariam rationem (2). — Tenentur quamprimùm: Quod intelligi debet, non quidem ~~cùm~~ *sacerdos suo tempore confitebitur*, ut patet ex condemnatione hujus propositionis, n. 39, ab Alexandro VII; nec strictè et physicè, quasi immediatè post missam; sed moraliter. Undè probabiliùs confessio differri potest ad spatium trium dierum; nisi adsit ratio specialis citiùs confitendi, v. g. si sacerdos eâdem die confessarium haberet, quo posteà per plures dies carebit, vel si cras urgeret necessitas celebrandi nec confessarius haberi posset (3).

Controvertitur autem utrùm præceptum suprà explicatum sit divinum an merè ecclesiasticum.

(1) Vid. S. Lig. n. 264.
(2) Vid. S. Lig. n. 268.
(3) Vid. S. Lig. n. 266.

Prima sententia, communis, affirmat hoc præceptum esse divinum (1). Siquidem Concilium Trid. exigendo confessionem præviam communioni, non præcipit, sed potiùs explicat hoc præceptum *probet autem seipsum homo*, quod Apostolus affirmat se accepisse à Domino: *Ego enim accepi à Domino, quod et tradidi vobis*. I Cor. 11, 23. *Secunda* negat præceptum esse divinum (2). Quia verba : *Ego enim accepi à Domino*... afficiunt institutionem sacramenti, non verò præceptum confitendi peccata ante confessionem, quod verbis præcitatis instituebat Apostolus. Undè præceptum illud est merè apostolicum et ecclesiasticum.

Probabilius videtur præceptum esse simul divinum et ecclesiasticum. Divinum : quia Apostolus redarguit Corinthios quòd illud non servarent, ergo jam positum erat. Ecclesiasticum : loquitur enim Concilium modo imperativo : *Hæc synodus perpetuò servandum esse decrevit*.

Notanda. 1° Præter dispositiones necessarias ut sacra Eucharistia non indignè suscipiatur, aliæ insuper requiruntur ut sanctissimum illud sacramentum debitè colatur, ejusque effectus abundantiùs percipiantur, scilicet fides viva, spes firma, amor intensus Dei et proximi, desiderium, etc., ut explicatur in catechismis et in libris asceticis.

2° Eò meliòres requiruntur dispositiones, quò fre-

(1) Ità Suarez, dis. 66, sect. 3; Vasquez ; De Lugo, disp. 14, n. 69 et seq.; Sylvius, in 3 p., q. 80, a. 4; Collet, *de Euch*. p. 1, c. 6, concl. 4; Billuart, dis. 6, art. 4; Antoine, *de Euch*. cap. 2; S. Lig. n. 256.

(2) Ità Medina, Navarrus et alii pauci.

quentior est communio. — Cùm autem *frequens accessus* ad Eucharistiam *confessariorum judicio sit relinquendus*, ut fertur in decreto S. C. C., an. 1679, ab Innocentio XI approbato, in hâc præsertim materiâ confessario *maximè cavendum erit* (verba sunt S. Ligorii, initio sui op. *Praxis confes.*) *ne nimiâ indulgentiâ aut immoderato rigore erret*. Etenim, re maturè perpensâ, à prudenti confessario facilè agnoscetur veritas hujus regulæ quam tradunt probati auctores, scilicet: *Nullum esse cui menstrua communio consuli non possit; paucos quibus communio hebdomadaria sit prohibenda; paucissimos quibus quotidiana sit concedenda* (1).

II. De dispositionibus ex parte corporis.

Circa dispositiones ex parte corporis jure divino requisitas solvendæ occurrunt quæstiones sequentes: *Utrùm communioni obstent* 1° *pollutio*, 2° *actus conjugalis*, 3° *immunditiés externa?*

Resp. ad 1^{am}. De se communioni non obstat pollutio involuntaria; nec voluntaria ritè expiata. Utraque tamen per accidens obstat sub veniali, scilicet, quandò ex eâ oritur magna mentis perturbatio; nisi adsit justa causa ad communionem accedendi (2).

(1) Apud Clericat. *Decis. Sacram.* lib. II, decis. 10, n. 10. — De modo quo confessarii debent se gerere in concedendâ communione suis pœnitentibus, præter S. Francisc. Salesium, *Introd. à la vie dévote*, et J. Thauler, *Serm. 4 in fest. ven. Sacram.*, laudatos à Benedicto XIV, *de Syn. diœces.*, lib. VII, cap. 13, n. 9; — vid. Grenade, *Mémorial de la vie chrét.*, lib. III; Schram, *Theol. mystic.* § 415 et seq.; Scaramelli, *Directorium asceticum;* et eximium opus S. Alph. de Ligor. *Praxis confessariorum*, cap. 9, § 4, etc.

(2) Vid. S. Lig. n. 272.

Ad 2^{am}. Idem dicendum de actu conjugali habito ex bono fine, ob prolem obtinendam, vitandam incontinentiam. Obstat verò sub veniali actus conjugalis habitus ob solam voluptatem. — In genere expedit ut communicaturus et qui communicavit ab eo saltem petendo abstineat in die communionis (1).

Ad 3^{am}. Obstat communioni omnis immundities aut indecentia externa, si sit voluntaria; siquidem contradicit reverentiæ tanto sacramento debitæ. Undè v. g. peccaret graviter aut leviter, pro gravitate indecentiæ, accedens ad sacram mensam in habitu sordido vel immodesto. — Si autem immundities sit involuntaria, qualia sunt lepra, fluxus sanguinis et similia, per se non obstant communioni. Convenit tamen ex decentiâ, quantùm commodè fieri potest, communionem differre, si immundities sit notabilis et brevi cessare debeat; privatim verò communicare, si longo tempore duratura sit (2).

III.

PARS DISCIPLINARIS.

Pars disciplinaris exponit leges ecclesiasticas de Eucharistiâ. — Aliæ ad ministrum, aliæ ad subjectum spectant.

(1) Ibid. n. 273 et 274.

(2) Jure canonico, sacerdoti infecto leprâ vel alio morbo horrorem afferente prohibetur in publico celebrare. *Decretal.* lib. III, tit. 6, cap. 4. Non autem ipsi prohibetur secretò celebrare.— Vid. S. Lig. n. 275.

ARTICULUS I.

De legibus specialibus ministro.

PUNCTUM I.

De obligationibus sacerdotis quatenus est minister sacrificii.

Relativæ sunt 1° ad oblationem ipsam, 2° ad circumstantias oblationis.

§ I. — De obligationibus sacerdotis spectantibus ad oblationem.

Diversæ sunt pro diversis titulis quibus gaudent dicti sacerdotes.

I. Omnes curam animarum habentes tenentur sub gravi celebrare et applicare missam pro populo sibi commisso singulis diebus dominicis et de præcepto festivis, licèt eorum titulus congruis reditibus destituatur, et non obstante consuetudine etiam immemorabili in contrarium, nisi tamen adsit dispensatio debita.

Prædicta lex, quà determinatur præceptum divinum, de quo loquitur Concil. Trid. sess. 23, cap. 1 *de reform.* ut suprà vidimus, constat ex variis Ecclesiæ decretis, præsertim ex Encyclicâ Benedicti XIV *Cum semper*, 19 aug. 1744, ad episcopos Italiæ directà (1).

Explic. 1° Omnes curam animarum habentes : His verbis, præter episcopos, designantur parochi et omnes qui parochi vices gerunt. Proindè tenentur : 1. parochi, sive inamovibiles sive amovibiles, sive sæculares sive regulares ; 2. qui duas habent parochias, et duas mis-

(1) Bullar. Bened. XIV, tom. I, n. 103. (Edit. Mechlin. vol. II, pag. 304.) Vid. etiam declarationes S. C. C. in *Institutione* 10 ejusdem Pontificis, et ap. Merati part. 3, tit. 12, ad n. 3 Gavanti.

sas singulis dominicis et festis in respectivis parochiis celebrant (1); non verò juxta *DD. Gousset* et *DD. Bouvier*, qui unam parochiam et annexam sibi subjectam habent, quia una est parochia; 3. sacerdotes qui ecclesiæ annexæ, vel capellæ vicariali deserviunt, et ibi cuncta munia parochi respectu fidelium exercent; 4. vicarii aut sacerdotes, qui, cum certorum fructuum assignatione, ex commissione episcopi, vacantis parochiæ regimini ad tempus deputantur, *Bened. XIV*, const. cit. § 4 (2).

2° Tenentur celebrare et applicare missam pro populo : Etenim, nisi accedat *justa et legitima causa* v. g. infirmitas, absentia legitima, aut quid simile, parochus ipse tenetur missam applicare fidelibus sibi commissis (3). Parochus autem à celebratione missæ parochialis legitimè impeditus, adimplementum missæ pro populo applicandæ alii sacerdoti committere tenetur; quia talis obligatio non est tantùm personalis, sed etiam realis, seu annexa muneri pastoris, sicut onus prædicandi et sacramenta administrandi. *S. Lig. n.* 327.

(1) Ex resp. S C. C. 8 julii 1843.

(2) Ait tamen DD. Gousset. *Theol. mor.* t. II, n. 290 : « Quant aux prêtres qui sont chargés de porter les secours de la religion à une paroisse vacante, nous ne les croyons point obligés d'appliquer la messe aux fidèles. Ce que Benoit XIV dit à cet égard dans son encyclique aux évêques d'Italie, ne nous paraît pas applicable à l'Eglise de France. Parmi les prêtres qui sont chargés par l'évêque de desservir une paroisse vacante, les uns n'ont pas de traitement, les autres n'ont qu'une indemnité si faible, qu'on ne peut évidemment leur imposer les charges du titulaire. » Idem sentire videtur DD. Bouvier, t. III, pag. 168 (8æ edit.).

(3) S. C. C. 22 julii 1848.

3° Singulis diebus dominicis et de præcepto festivis: Sub quibus verbis etiam nunc comprehenduntur dies festi indulto apostolico 9 april. 1802 suppressi, ut constat ex variis decisionibus S. Sedis, ad episcopos tùm Belgiæ, tùm Galliæ directis (1). Etenim mens S. Pontificis, ut istis declarationibus patet, solummodò fuit per imminutionem festorum exonerandi fideles à præcepto missam istis diebus audiendi, non verò derogandi parochorum obligationi de missâ pro populo applicandâ.

4° Tenentur sub gravi...: Constat tùm ex objecto

(1) Vid. responsiones S. Sedis ap. P. Gury, tom. II, n. 265 et pag. 523 et seq.; in ephemeride cui titulus *Correspondance de Rome*, tom. I, pag. 107 nov. edit. Liège 1851 ; ap. D. Richaudeau, *Nouveau traité des SS. Mystères*, pag. 361 et 436, Paris 1853; etc.

Quænam autem sint festa indulto 9 april. 1802 suppressa, in quibus remanet obligatio applicandi missam pro populo, determinandum est, non quidem ex catalogo descripto in constit. Clementis XIV 27 aug. 1770, sed ex catalogo Urbani VIII, constit. *Universa*, an. 1642, § 2. (*Magn. Bullar.* tom. V, pag. 378, edit. Luxemburg.) Vid. D. Richaudeau op. cit. pag. 362 et seq.—Porro festa in constitutione Urbani VIII recensita, præter dies dominicas, sunt: Nativitatis D. N. J. C., Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus sequentibus feriis, Trinitatis, Corporis Christi, Inventionis S. Crucis; Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis B. V.; Dedicationis S. Michaelis archangeli; Nativitatis S. Joannis Baptistæ; SS. Petri et Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ, S. Matthiæ, S. Stephani protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii mart., S. Silvestri papæ, S. Josephi, S. Annæ; Omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia, pariter et unius è principalioribus Patronis cujusque civitatis, oppidi, vel pagi. His addendum, ex Clemente XI, festum Conceptionis B. V. — In pluribus diœcesibus, prædictus numerus ad multò minorem reducitur vi indultorum specialium.

legis, tùm ex verbis legislatoris. Imò Benedictus XIV, § 5 const. cit., auctoritate Apostolicâ declarat *quod licet parochi, seu alii, ut supra animarum curam habentes congruis præfinitis redditibus destituantur, et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum diœcesibus, seu parochiis obtinuerit, ut missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.*

Not. Ex declaratione S. C. R. 12 nov. 1831, in cathedralibus, quandò Episcopus pontificaliter celebrat, hebdomadarius nihilominùs tenetur missam applicare. Eodem modo ab illâ obligatione non dispensatur parochus, quandò episcopus missam parochialem celebrat, quia ipse episcopus applicationem missæ debet toti diœcesi.

II. Canonici tenentur missam conventualem pro benefactoribus in genere, non verò pro quibusdam tantùm, quotidiè applicare, non obstante consuetudine immemorabili in contrarium. Ità *Bened. XIV* constit. cit. § 11 et seq., et ità pluriès S. C. C. (1).

III. Circa obligationem missam applicandi superiùs diximus aut subaudivimus: *nisi adfuerit dispensatio aut reductio legitima.* Porro, omissis quæstionibus ad beneficiatos spectantibus, quæ in nostro rerum statu, parvi sunt momenti, sequentia tantùm de reductione notabimus:

1° Reductio propriè dicta est imminutio numeri missarum celebrandarum facta per legitimam auctorita-

(1) Vid. Merati in 3 part. tit. 12, § 2 Gavanti; Bened. XIV, *Instit.* 107, n. 78, et D. Richaudeau, op. cit. cap. 22, n. 5.

tem. Dicimus *celebrandarum;* etenim reductio futurum tempus respicit, et distinguenda est à condonatione seu remissione missarum omissarum, quæ nonnisi à R. Pontifice fieri potest (1). Facta per *legitimam auctoritatem:* Porro decreto Urbani VIII, an. 1625 edito, et ab Innocentio XII, an. 1697 confirmato, potestas onera missarum reducendi, episcopis concessa per Concil. Trid. sess. 25, cap. 4 *de reform.*, ad solum Pontificem R. fuit reservata (2). Undè, ut explicat Benedictus XIV, excepto casu quo testator ipse hanc facultatem episcopo tribuisse dignoscatur, episcopus non potest propriè reducere, non tantùm onera missarum per acceptationem jàm ratihabita, sed etiam onera propter eleemosynæ tenuitatem nondùm acceptata (3).

Causæ verò propter quas S. Sedes onera missarum reducere solet, sunt paucitas sacerdotum, tenuitas stipendii vel augmentum stipendii currentis, imminutio redditiuum ecclesiæ vel monasterii, etc. *S. Lig. n.* 331.

Regulas in reductione missarum servandas, quandò reductio fit ex delegatione Pontificis, explicat Benedictus XIV, *de syn.* lib. XIII, cap. ult.

(1) Vid. Bened. XIV *de Synodo*, lib. XIII, cap. ultim. n. 15.

(2) Vid. Decret. Urbani VIII et declarationes S. C. C. in tom. V *Magni Bullarii*. (Edit. Luxemburg. pag. 89.) Vid. etiam Bened. XIV, *de Synodo*, lib. V, cap. 10, n. 2, et lib. XIII, cap. ult. n. 19. — Ex S. C. C. facultas episcopis concessa per Concil. Trid. *intelligitur tantum de prima Synodo post idem Concilium celebrata, ac de oneribus missarum celebrandarum ante idem Concilium impositis.*

(3) *De Synodo*, lib. XIII, cap. ultim. n. 19.—Episcopis à S. Sede sæpe delegatur facultas reducendi missas in eorum diœcesibus. Quæ facultas extenditur etiam Regularibus. *Bened. XIV*, loc. cit. n. 20 et seq.

2° Licèt reductio propriè dicta Apostolicæ Sedis auctoritati sit reservata, attamen 1. episcopis etiam competit jus sententiam dicendi de validitate aut subsistentiâ legati. 2. Juxta DD. Gousset aliosque plures, quandò redditus initio sufficientes, posteà evenerunt certò insufficientes ad onera fundationis aut beneficii ferenda, episcopus posset onera minuere pro imminutione redditum, non quidem modo perpetuo et stabili, sed per modum dispensationis transitoriæ, seu potiùs sententiæ declarantis cessationem de jure obligationis pro rata redditum deficientium (1). 3. Certum est beneficiatum non teneri missas celebrare, si absque suâ culpâ redditus beneficii in totum defecerint. Ità *communiter* et S. C. C. ap. *S. Lig.* loc. cit. Item, si redditus defecerint in parte, videtur certum, ait S. Lig., posse capellanum minuere numerum missarum, quandò testator designavit congruam eleemosynam pro quàlibet missâ (2).

§ II. — De obligationibus sacerdotis spectantibus ad circumstantias oblationis.

In genere, sacerdos quilibet celebrans tenetur in actione sacrificii observare quæ prescribuntur, et omittere quæ prohibentur ab Ecclesiâ.

In specie, tùm ex jure canonico, tùm ex interpretatione canonistarum et theologorum, sequentia sunt observanda :

(1) DD. Gousset, *Theol. mor.* tom. II, n. 292 et 301. Vid. etiam S. Lig. n. 331, *dub.* 1 et 2.

(2) Vid. S. Lig. *n.* 331, *dub.* 2; Scavini, tom. III, pag. 163, edit. Parisiensis.

I. Circa tempus.

I. Prohibetur sub gravi celebratio missæ feriâ 6 in Parasceve, etiamsi celebrandum foret ad præbendum viaticum moribundo. — Nisi adsit indultum apostolicum, prohibentur missæ privatæ Sabbato sancto et feriâ 5 in Cœnâ Domini (1). Attamen, ex S. C. R., feriâ 5 in Cœnâ Domini, præter missam solemnem una privata celebrari potest in ecclesiâ parochiali propter infirmos, de licentiâ episcopi. Item eâdem die superior regularium celebrare potest in privato oratorio ad ministrandam religiosis communionem (2).— Aliis diebus cuilibet sacerdoti licet celebrare.

II. Prohibetur missam celebrare non recitatis matutino et laudibus. *Rubr. tit.* 1. — Probabiliùs veniale est tantùm absque ratione celebrare nondùm recitatis matutino et laudibus, modò id perpetuò non fiat (3).— « Ab hujusmodi autem culpâ veniali excusabit quælibet mediocris causa rationabilis, v. g. si dans eleemo-

(1) Vid. Merati in 3 p. tit. 8 Gavanti, passim; Bened. XIV *Institut.* 38; S. Lig. n. 349 et 350; D. Richaudeau, op. cit. cap. 7, n. 3 et seq., etc.

(2) Vid. *Manuale ecclesiasticorum, seu S. R. C. decreta*... Romæ 1853, n. 64 et n. 1009.

(3) S. Lig. n. 347 cum pluribus; Bened. XIV *de Sacrif. mis.* lib. III, cap. 13, n. 4. « Quod si quis, ait *Bened. XIV*, nullâ causâ » urgente, perpetuò id faceret, ut videretur quasi statuisse animo » nunquam celebrare dicto matutino et laudibus, tum cum illis » quinque et quinquaginta auctoribus quos sententiæ suæ affert » Clericatus, et ex rationibus ab ipso adductis concludi posset hu- » jusmodi sacerdotem peccare mortaliter. » — Hic non agitur de missâ conventuali, quam sine causâ gravi celebrare, antequàm matutinum in choro dicatur, mortale est juxta communem sententiam. *S. Lig. n.* 348, et *Bened. XIV, loc. cit.*

synam postulet ut statim celebretur, si expectet populus aut aliqua persona gravis, si superior præcipiat, tempus celebrandi transeat, vel instet commoditas studii, itineris, et similia. » *S. Lig. n.* 347.

III. Prohibetur missam celebrare ante auroram et post meridiem. *Rubr. tit.* 1. Per auroram intelligitur tempus illud medium inter noctem et ortum solis. — Tempus autem auroræ et meridiei non physicè sed moraliter accipiendum est. Undè commune est licere missam terminare circa auroram et illam incipere parùm ante meridiem. Imò Clemens XII ac Benedictus XIII declarârunt in hoc tolerari posse latitudinem tertiæ partis horæ tum ante auroram, tum post meridiem (1).— Juxta sententiam, quam S. Lig., n. 346, tradit ut communiorem et probabiliorem, celebrans non peccat graviter, nisi incipiat absque ratione missam integrâ horâ ante auroram aut post meridiem.— Ut causæ sufficienter excusantes habentur: 1. necessitas celebrandi ad præbendum viaticum moribundo; quo casu, juxta plures, post mediam quidem noctem celebrare liceret; 2. causa itineris, publicæ supplicationis, funeris alicujus magnatis, concionis, collationis ordinum, etc., quæ possunt excusare ad celebrandum unâ horâ ante auroram aut post meridiem; 3. dispensatio episcopi, qui pro casu particulari ex aliquâ causâ rationabili permittere potest ut sacrum unâ horâ anticipetur vel usque ad duas horas protrahatur; 4. privilegium post Conc. Trid. concessum (2).

(1) Vid. S. Lig. n. 341; Bened. XIV, *Institut.* 13, n. 3 et 4, et *Institut.* 34, n. 6.

(2) De his vid. S. Lig. nn. 343, 344, 342; DD. Gousset, tom. II,

Not. 1. Privilegium celebrandi unâ horâ ante auroram vel post meridiem intelligi debet de unâ horâ ante vel post tempus pro aliis non privilegiatis assignatum ; alioquin privilegium parùm prodesset (1).

2. Ex pluribus decretis S. R. C. die Nativitatis non licet missas privatas dicere ante auroram. Sola missa solemnis celebranda est in nocte.

IV. Prohibetur plures eâdem die missas celebrare, exceptis 1. die Nativitatis Domini, in quâ licet cuilibet sacerdoti tres missas dicere, 2. casu necessitatis, in quo, positis quibusdam conditionibus, licet sacrum iterare (2).

Dicimus 1° die Nativitatis licet cuilibet sacerdoti tres missas dicere. Imò, juxta Bened. XIV, parochus probabiliùs tenetur tres missas celebrare ad populi utilitatem et devotionem, saltem, ut videtur, si desit alter sacerdos in parochiâ (3).

Dicimus 2° in casu necessitatis licet, positis quibusdam conditionibus, sacrum iterare.

n. 346; DD. Bouvier, tom. III, pag. 335; D. Richaudeau, op. cit. cap. 7, n. 1 et 2, etc.

(1) Ità, cum Gavant. p. 1, tit. 15, Suarez et aliis, S. Lig. n. 346.

(2) Innocentius III, Decretal. lib. III, tit. 41, cap. 3. — Vid. Bened. XIV, tract. *de Sacrif. mis.* lib. III, cap. 5; et constit. *Declarasti*, 16 mart. 1746, in tom. II, n. 3 *Bullarii* hujus Pontificis (Edit. Mechlin. vol. IV, pag. 32); S. Lig. n. 331; D. Richaudeau, op. cit. cap. 8; *Analecta juris pontificii*, octobr. 1853, col. 543; D. Bouix, *de Parocho*, pag. 461, etc.

(3) Haud improbabiliter tamen tenent cum pluribus aliis Bonacina, disp. 4, *quæst. ult. punct.* 11, *n.* 10, Gavantus et Merati *p.* 4, *tit.* 3, *n.* 14, Busemb. ap. S. Lig. *n.* 331, parochum non teneri tres missas dicere, secluso scandalo. Illud autem, fatemur, facilè eveniret in locis ubi viget consuetudo tres missas celebrandi. — Parochus certò non tenetur nisi unam applicare pro populo.

Porro 1. ex Benedicto XIV, inter casus veræ necessitatis comprehendi non debent, ut voluerunt veteres canonistæ, casus supervenientis magni populi concursûs, advenientis episcopi, regis aut principis missâ jàm dictâ, benedictionis nuptiarum quæ differri nequeant, sepulturæ faciendæ. Nec etiam comprehendi potest necessitas administrandi viaticum moribundo ; quia, si sacerdos moneatur ante communionem, poterit servare particulam ex hostiâ abruptam; si moneatur post sumptam ablutionem, jàm non est jejunus; proindè solummodò potest supponi notitiam necessitatis ad ipsum pervenire intra breve temporis momentum intercedens inter communionem et ablutionem, quod vix practicum est (1). — Undè, abstractis casibus qui in infidelium aut hæreticorum regionibus occurrere possunt, solus casus hodiè practicus est quandò parochia dissita, aut magna pars unius populi, missâ careret die dominico aut festo, nisi sacerdoti liceret eâdem die sacrum iterare.

Supponitur proindè 1. fideles teneri ad missam audiendam; undè non liceret duplex officium facere ferià 6 in Parasceve, nec sacrum iterare ferià 5 in Cœnâ Domini, omnibusque aliis festis quæ non sunt de præcepto quoàd populum ; 2. populum unius parochiæ in ecclesiam alterius convenire non posse ; vel grave impedimentum subsistere pro magnâ parte populi ejusdem parochiæ insimul assistendi unicæ missæ : siquidem, ex S. C. 22 maii 1841, sola ratio majoris commoditatis pro parte unius parochiæ non sufficit ut liceat

(1) Bened. XIV, *de Sacrif. mis.* lib. III, cap. 5, n. 3.

sacrum iterare in eâdem ecclesiâ; 3. nullum aliud adhiberi posse medium canonicum ad providendum huic necessitati; specialiter nullum, præter parochum, haberi posse sacerdotem qui celebrare valeat. — Necessitate hujusmodi existente,

2. Ut liceat sacrum iterare, requiritur episcopi licentia, *etiamsi causa necessitatis intercedere videatur*, ait Bened. XIV in constit. *Declarasti;* nisi fortè in uno aut altero casu repentino, quandò recursus ad episcopum haberi nequit. — Prædicta episcopi licentia certò sufficit ad iterationem in duabus ecclesiis. — Utrùm autem sufficiat ad iterationem in eâdem ecclesiâ? Quidam negant, tenentes ex pluribus conciliis provincialibus et resolutionibus S. C. facultatem hujusmodi licentias concedendi excedere potestatem episcoporum (1). Probabilior autem videtur sententia affirmativa. Siquidem Benedictus XIV in const. cit. loquens de iteratione missæ in duabus ecclesiis aut in unâ, dicit: *hi duo casus eodem jure censendi sunt*, et omninò tacet de reservatione hujus licentiæ Sedi Apostolicæ. Aliundè res non clarè deducitur ex declarationibus S. C. allatis (2).

Not. 1. Graviores requiruntur rationes ad iterationem in eâdem ecclesiâ, quàm in diversis ecclesiis. Graviores etiam requiruntur ad iterationem in eâdem ecclesiâ super idem altare, quàm ad iterationem super altare diversum. 2. Ex S. C. C. licentia sacrum iterandi

(1) Ità sentire videtur DD. Bouvier, tom. III, pag. 164, 8æ edit. Ità explicitè docet auctor ephemeridum queis titulus *Analecta juris Pontificii*, loc. cit., col. 556 et 560.

(2) Ità D. Bouix, qui rem fusiùs discutit, pag. 467 et seq.

non potest ab episcopo concedi *generaliter, quasi privilegium alicujus sacerdotis, sed tantùm in aliquo casu particulari, necessitatis causâ ab episcopo examinandâ.* 3. Quandò non existit necessitas jure requisita, nullâ consuetudine contrariâ iteratio missæ licita fieri potest (1).

II. Circa locum.

I. Missa celebrari potest in ecclesiis, sive consecratis, sive simpliciter benedictis, nisi sint pollutæ, exceratæ aut interdictæ, nec cultui divino redditæ. — Constat ex Conc. Trid. sess. 22, decret. de observ. et vit. in celebr. mis.

Dicimus 1° *in ecclesiis sive consecratis, sive benedictis:* Porro nomine *ecclesiæ* designatur ædes publica, auctoritate ecclesiasticâ competenti erecta, et modo permanente deputata ad exercitium cultûs publici.— Ædificata ecclesia debet ad cultum divinum idonea reddi per aliquem ritum sacrum, seu per consecrationem aut benedictionem. *Consecratio* dicitur ritus solemnior in quo sacrum oleum adhibetur ; *benedictio* autem ritus minùs solemnis qui sine oleo sacro peragitur. — Consecratio ecclesiæ, cujus ritus et cæremoniæ in Pontificali Romano describuntur, jure ordinario fieri non potest nisi ab episcopo, sive diœcesano, sive cui diœcesanus hoc munus commiserit : à simplici sacerdote perfici nequit, nisi ex indulto S. Pontificis. Simplex autem benedictio, proùt in Rituali Romano reperitur, à quolibet sacerdote fieri potest, ex

(1) Vid. Bened. XIV tract. *de Sacrif. mis.* loc. cit. n. 4, et const. *Declarasti.*

delegatione episcopi. — Ecclesiam fuisse consecratam constat tùm ecclesiæ libris, tùm inscriptione, tùm duodecim crucibus in pariete depictis, tùm traditione orali : imò sufficit in dubio testimonium unius testis probi. Deficientibus aliis documentis, eo ipso quo sacrum à longo tempore peragitur in unâ ecclesiâ, inferri potest ecclesiam fuisse consecratam aut saltem benedictam (1).

Dicimus 2° *nisi sint pollutæ, execratæ aut interdictæ:* Porro 1° polluuntur ecclesiæ: 1. per homicidium voluntarium et injustum; 2. per copiosam sanguinis humani effusionem, ortam ex percussione aut vulnere gravi et mortaliter injurioso; 3. per effusionem humani seminis voluntariam et graviter peccaminosam; etiam per actum conjugalem; modò, juxta probabiliorem sententiam quam tenet *S. Lig.* lib. III, n. 458, actus conjugalis non sit moraliter necessarius; 4. per sepulturam non baptizati, vel excommunicati denuntiati. Non polluitur autem, probabiliùs, per sepulturam catechumeni, quia iste censetur defunctus cum desiderio baptismi; nec probabiliter (2) contra multos, per sepulturam infantis cujus parentes sunt christiani, quia pa-

(1) De erectione et consecratione ecclesiarum, vid. fusiùs canonistas, inter alios, Ferraris, v° *Ecclesia*, art. 4; card. Soglia, *Inst. jur. priv.* § 124 et 125; Joan. Devoti, *Instit. can.* tom. I; *Instit. jur. can.* auct. R. D. M. Paris. 1853, p. 2, l. I, c. 2 et 3, etc. special. de consecrat. Bened. XIV epist. 1 et 2 ad Engelbert. Abbat. 16 nov. 1748 in Append. ad Bullar. (vol. XII, pag. 222).

(2) Ità Pichler cujus sententiam sequuntur DD. Gousset, t. II, n. 310; P. Gury, t. II, n. 281; Scavini, t. IV, pag. 553 edit. Parisiensis; et plures alii laudati in *Instit. jur. can.* auct. *R. D. M.* tom. II, pag. 203.

rentes pro ipso baptismum desideràrunt; nec per sepulturam hæretici non denuntiati (1).

Ut polluatur ecclesia per prædicta facta, requiritur 1. ut fiant intra ecclesiam, id est intra parietes, quæ propriè pertinent ad corpus ecclesiæ, quod extenditur à fornice superiori ad pavimentum, à portâ interiori usque ad ultimam parietem: undè non polluetur, si fierent in turri, in tecto, in sacristiâ aliisve locis ecclesiæ adhærentibus. Requiritur 2. ut sint notoria notorietate juris aut facti, sive statìm à perpetratione criminis, sive successu temporis.

Not. 1. Pollutâ ecclesiâ, polluta sunt altaria fixa, non verò altaria portatilia (2); item pollutum est cœmeterium contiguum, secùs verò cœmeterium remotum. Econtra, polluto cœmeterio non polluitur ecclesia. Cœmeterium autem polluitur iisdem causis ac ipsa ecclesia. 2. Scienter celebrans in ecclesiâ pollutâ graviter peccat, nullam verò pœnam incurrit (3).

Porro 2° execratur ecclesia si parietes aut crusta totaliter aut secundum majorem partem destruerentur; non autem si totum tectum aut fornix superior corrueret, vel si parietes per modicas partes successivè destruerentur reficerenturve, licèt tota ecclesia successivè renovaretur (4).

Not. Execratâ ecclesiâ, non execrantur altaria quæ illæsa manent, et vice versâ.

(1) De his constat ex variis locis juris canonici. Vid. præter auctores citatos S. Lig. n. 364 et seq.; D. Richaudeau, op. cit. pag. 125 et seq.

(2) Vid. Ferraris, v° *Altare*, S. Lig. n. 368.

(3) S. Lig. n. 361, Bened. XIV, *de Sacrif. mis.* l. III, c. 7, n. 4.

(4) S. Lig. n. 368; D. Richaudeau, op. cit. pag. 125, etc.

De ecclesiâ interdictâ agetur ubi *de Censuris*.

Dicimus 3° *nec cultui divino redditæ:* Porro 1° si polluta ecclesia fuerit tantùm *benedicta*, reconciliari potest per simplicem sacerdotem, adhibitâ aquâ benedictâ et servatâ formâ in Rituali Rom. descriptâ. Juxta quosdam, ex præcepto prærequiritur delegatio episcopi, cùm de eâ mentio sit in Rituali Rom.; probabiliùs autem juxta plures, delegatio episcopi requiritur tantùm ex decentiâ (1).

2° Si polluta ecclesia fuerit *consecrata*, à solo episcopo diœcesano vel ex ejus commissione ab alio episcopo reconciliari potest, juxta formam Pontificalis Romani. Hæc autem reconciliatio à simplici sacerdote fieri nequit, nisi ex privilegio Sedis Apostolicæ (2). Observant tamen plures post Cabassut, si divina officia non possent omitti absque gravi incommodo, pollutam ecclesiam etiam consecratam, ex permissu episcopi aut ejus vicarii, posse ablui aquâ benedictâ per sacerdotem, adhibitis ordinariis benedictionum precibus, et posteà intra eam divina officia posse celebrari, donec ecclesia per episcopum reconcilietur (3).

3° Ecclesia execrata rursùs ad cultum divinum idonea reddenda est per novam benedictionem aut consecrationem.

(1) Ità, inter alios, Bened. XIV, *de Synod. diœc.* l. XIII, c. 15, n. 2, Quarti, p. 2, tit. 3, s. 2, d. 3; Ferraris, v° *Ecclesia*, art. 4, n. 71 et 72; D. Richaudeau, op. cit. pag. 135. Vid. etiam S. Lig. n. 363.

(2) Ità communiter. Vid. Bened. XIV, loc. cit.

(3) Cabassut, *Jur. can. theoria et prax.* l. V, c. 21, n. 14; DD. Gousset, t. II, n. 312; P. Gury, t. II, n. 282; Scavini, tom. IV, pag. 553 edit. Parisiensis.

II. Missa celebrari potest in oratoriis publicis, sive benedictis, sive non, modò fuerint ad cultum divinum ab episcopo deputata.—Oratorium publicum est ædes sacra, auctoritate episcopi erecta, ad Dei cultum modo perpetuo deputata, habensque liberum ingressum et egressum per viam publicam.—Etiam publica censentur 1. oratoria benedicta et designata ad usus sacros, licèt erecta in domibus privatis, modò ingressus pateat à viâ publicâ; 2. oratoria communitatum, v. g. hospitiorum, collegiorum, seminariorum; 3. oratoria erecta in domibus episcoporum (1).

III. Missa celebrari potest in oratoriis privatis, sed tantùm ex indulto R. Pontificis, et sub conditionibus à jure requisitis.

Porro 1° oratorium privatum est locus, privatæ personæ arbitrio et ad usum privatum erectus, nec perpetuò, saltem ex essentiâ, sed ad nutum possessoris cultui divino deputatus. — 2° Licèt oratoria privata non indigeant benedictione, possunt benedici, et in Galliis ordinariè benedicuntur (2). — 3° Licentia in iis celebrandi à solo R. Pontifice concedi potest: Facultas enim, quâ olim gaudebant episcopi hujusmodi licentias concedendi, ipsis omninò sublata est decreto Conc. Trid. sess. 22, solique R. Pontifici fuit reservata, ut declara-

(1) S. Lig. n. 357 et Append. 3 ad *Hom. ap.* n. 114.

(2) Ex S. R. C. 11 mart. 1820, *oratoria privata nunquàm benedicantur ritu præscripto in Rituali Rom. pro publicis oratoriis... Satis est, si hujusmodi oratoria, antequam sacrificium missæ in iis celebretur, aquâ benedictâ aspergantur, et super illa recitetur communis et generalis precum formula, quam pro novâ benedicendâ domo Rituale Rom. proponit.* Manuale ecclesiast. edit. Romæ 1853, n. 579.

vit Paulus V, et post ipsum Benedictus XIV; item S. R. C. 23 januar. 1847, respondit *non licere ulli episcopo hujusmodi licentias quocumque sub obtentu concedere, ne pro actu quidem merè transeunte; hanc facultatem esse soli R. Pontifici reservatam* (1).—4° Sequentibus autem conditionibus ordinariè subjacet facultas à S. Pontifice concessa, scilicet: 1. licentia exsecutioni mandetur ab Ordinario, cujus arbitrio duratura est; 2. missa non celebretur in festis solemnioribus, nisi concessio facta fuerit infirmitatis causâ (2); 3. missa non celebretur, nisi una saltem intersit ex personis quibus directè concessum est indultum; 4. unica tantùm missa celebretur: undè, juxta S. Lig., si in indulto dicatur *una missa quotidiè celebretur*, cuilibet sacerdoti sub gravi prohibetur alteram missam celebrare (3).

Not. 1° Oratoria privata, licèt benedicta, non polluuntur per facta quibus polluitur ecclesia, nec proindè indigent reconciliatione.

2° Episcopi possunt altaria erigere ibique celebrare, vel celebrari facere extra suos domos in domibus laï-

(1) Vid. Bened. XIV, *de Sacrif. mis.* lib. III, cap. 6, et Encycl. *Magno cum animi*, 2 jun. 1751, in tom. III, n. 48 Bullar. (vol. IX, pag. 5); *Correspondance de Rome*, t. I, pag. 33; D. Richaudeau, op. cit. chap. 6, n. 5.

(2) Festa autem solemniora, ex S. R. C. 17 nov. 1607, sunt: Nativitas D., Epiphania, feria 5 in Cœnâ D., Resurrectio, Ascensio, Pentecostes, Annuntiatio et Assumptio B. M. V., festum SS. Petri et Pauli, omnium Sanctorum. His addendum est, ex eâdem S. R. C. 11 april. 1840, festum Patroni loci vel diœcesis. — Prohibitio celebrandi in oratoriis privatis prædictis diebus intelligenda est de propriâ die festivitatis, non verò de die in quam transfertur solemnitas. S. R. C. 23 maii 1835.

(3) S. Lig. n. 359. Vid. etiam Bened. XIV encycl. cit. § 12.

corum, quandò ibi agunt per modum habitationis, veluti si ibi sunt occasione visitationis vel itineris, vel hospitio ibi recepti (1).

IV. Aliquandò missa celebrari potest extra locum sacrum, de licentiâ episcopi, imò absque prædictâ licentiâ si recursus ad episcopum commodè fieri nequeat, scilicet, si gravis urgeat necessitas, v. g. si ecclesia esset diruta, vel continere non posset multitudinem quæ secùs die festo missâ careret, si sacerdos longam peregrinationem peragerct per loca deserta, si exercitus esset in castris aut turba navigantium in littore maris, etc. (2).

Ut liceat celebrare in mari indultum S. Pontificis requiritur (3).

III. Circa altare et ejus ornatum.

I. Requiritur sub gravi altare fixum aut portatile, consecratum et non execratum.

1° Requiritur *altare*, seu lapis ad sacrificium ordinatus; — *fixum*, quod in ecclesiâ fixum est, et basi suæ immobiliter inhæret; — aut *portatile*, id est, lapis amplitudinis sufficientis ad continendam hostiam et majorem calicis partem, qui facilè potest moveri è loco in locum, et solet superponi mensæ ad usum sacrificii constructæ.

2° Altare *consecratum:* Altaris autem consecratio

(1) Ità Innocentius XIII in constit. *Apostolici ministerii*, cit. in encycl. Bened. XIV, § 7.

(2) S. Lig. n. 339 et Bened. XIV *de sacrif. mis.* lib. III, cap. 6, n. 7.

(3) Bened. XIV, *de sacrif. mis.* loc. cit. n. 8 et seq.; et Bullar. tom. I, n. 41. (Vol. I, pag. 223.)

jure competit soli episcopo : à simplici sacerdote fieri nequit, nisi ex privilegio S. Pontificis. Abbates et prælati, usu pontificalium gaudentes, altaria quidem ex privilegio consecrare possunt, sed pro suis tantùm ecclesiis (1).— Altare consecratur per unctionem sacri chrismatis et benedictiones in Pontificali Romano præscriptas : et in eo reponi debent reliquiæ sanctorum (2).

3° Altare *non execratum:* Porro execratur altare fixum 1. quandò altaris mensa notabiliter frangitur ; secùs, si levis sit fractura in uno vel altero cornu : in dubio an fractio sit enormis necne, res episcopi judicio subjicienda est; 2. quandò altaris mensa, etiam manens integra, à stipite suo separatur. Secùs, si integrum altare sine amotione ab inferiori structurâ aliò transferatur ; vel si destruatur paries cui insertum est altare, modò stet altaris forma ; vel si dimoveantur aliqui lapides ex iis quibus innititur altare, modò mensam immediatè non tangant (3). — Execratur altare portatile quandò frangitur per medium, aut notabiliter in angulis sacro chrismate perunctis, vel ità ut calix et hostia securè et decenter in eo collocari nequeant. Secùs verò, si leviter minuatur et calicem hostiamque complecti valeat ; nec etiam, si lapis sacer dimoveatur à tabulâ ligneâ cui insertus erat.—Execratur altare tàm fixum quàm portatile, quandò remotæ sunt reliquiæ, vel quandò confractus est parvus ille lapis qui claudit

(1) Vid. Bened. XIV *Institut.* 21.

(2) Vid. S. Lig. n. 369, *dubit.* 1.

(3) Vid. Suarez disp. 81, sect. 5; Collet *de Euch.* p. 2, cap. 9, art. 2, sect. 7, quær. 7; D. Richaudeau, op. cit. cap. 11, n. 7; De Herdt, *sacr. lit. prax.* p. 1, n. 56; Ferraris, v° *Altare*, etc.

repositorium reliquiarum quod *sepulchrum* dicitur. Deleto episcopali sigillo hispanicâ cerâ super sepulchrum impresso, altare novâ non indigeret consecratione, nisi de identitate et authenticitate reliquiarum constare non posset (1).

Not. « Si sub altari, vel sub ejus gradibus, humata sint defunctorum cadavera, non est illìc celebranda missa, donec aliò transferantur. » Ità S. C. 10 nov. 1599, et posteà pluriès S. R. C. Excipit tamen S. Lig. cum Lacroix, si cadavera sint humata profundè in cellâ aliquâ sub alto fornice constructâ (2).

II. Requiritur ordinariè, sub veniali, crucifixus, non sola crux.—Non sufficit sola crux: constat ex Bened. XIV, constit. *Accepimus*. Ex eodem Pontifice, crucifixus inter candelabra ita prominere debet, ut sacerdos celebrans et populus assistens eum facilè et commodè intueri possint. Proindè nec sufficit exiguus crucifixus tabernaculo infixus.—Crux requiritur tantùm sub veniali: ità *S. Lig. n.* 393, cum communi. — Dicimus *ordinariè:* Siquidem 1. in casu necessitatis licet celebrare cum solâ, imò absque ullâ cruce; 2. crucifixus non requiritur, si in majori tabulâ altaris adsit magna pictura aut statua Salvatoris è cruce pendentis; 3. quandò sacrum peragitur in altari in quo SS. Sacramentum expositum est, servanda est locorum consue-

(1) De his omnibus constat ex variis locis juris canonici, pluribusque declarationibus S. R. C. Vid. op. cit.; præsertim quoàd decreta S. R. C., De Herdt, *sacr. lit. prax.* loc. cit., et *Manual. ecclesiast.* nn. 586, 878, 909, 922, 981, 992, edit. 1853.

(2) Vid. S. Lig. n. 369 in fine; D. Richaudeau, op. cit. cap. 11, n. 6.

tudo collocandi vel non collocandi crucifixum super altare (1).

III. Requiritur duplex cerea candela accensa.—Mortale est celebrare absque ullo lumine, etiam ad viaticum moribundo ministrandum : ità *communiter*. Undè, si deficiat lumen ante consecrationem, desistendum est à celebrando ; secùs, si post consecrationem. — Unicum adhibere lumen cereum probabiliùs veniale est tantùm, præciso scandalo : imò, juxta S. Lig., nullum in eo adesset peccatum, si rationabilis causa, etiam sola devotio, celebrare suaderet. — Celebrare cum candelis ex sebo vel oleo, mortale est juxta communem sententiam: hoc autem in casu necessitatis, non verò propter solam devotionem, licitè fieri potest (2).

IV. Requiritur ut altare tribus operiatur mappis, ex lino vel cannabe, benedictis ab episcopo vel ab alio facultatem habente. — Præter casum gravis necessitatis, celebrare absque ullâ mappâ non excusatur à mortali : ità *communiter*. Probabiliùs veniale est celebrare cum duabus tantùm mappis, vel unâ duplicatâ.—Ex decreto generali S. R. C. 15 maii 1819, confirmato à Pio VII, prohibetur ne altarium mappæ, sicut et amictus, albæ, corporalia, pallæ et purificatoria, *ex aliâ quâcumque materiâ* fiant, nisi ex lino vel cannabe.

(1) Vid. Bened. XIV, *de Sacrif. mis.* lib. I, cap. 3; et constit. *Accepimus præstantium*, 16 jul. 1746, in tom. II, n. 17 Bullar. (Vol. IV, pag. 263), et decreta S. C. R. in *Manual. eccles.* nn. 32, 33, 34, 1026. — Cruces altarium, seu processionum non sunt benedicendæ de præcepto : potest tamen simplex sacerdos eas benedicere privatim, et non solemniter. S. R. C. 12 jul. 1704.

(2) Vid. S. Lig. n. 394; Bened. XIV *de Sacrif. mis.* lib. III, cap. 7, n. 2.

—Adhibere mappas non benedictas probabiliùs non excusatur à veniali (1).

IV. Circa vestes sacras.

I. Requiruntur vestes sacræ, seu benedictæ ab episcopo vel ab alio facultatem habente, coloris debiti, nec execratæ. — Prohibetur sub gravi celebrare, ex quâcumque causâ, sine ullâ veste. Item prohibetur sub gravi celebrare sine casulâ, vel sine albâ, vel sine stolâ et manipulo simul ; vel, nisi excuset gravis necessitas, cum ipsis non benedictis. Prohibetur, probabiliter sub levi tantùm, celebrare sine manipulo, vel cum manipulo non benedicto ; vel sine amictu, saltem pro eis qui illo non utuntur ad tegendum caput ; vel sine cingulo (2). — Celebrare cum vestibus coloris indebiti veniale non excedit, nisi scandalum adsit, qualiter adesset v. g. si in missâ festivâ adhiberentur vestes coloris nigri (3). — Execrantur vestes sa-

(1) Vid. S. Lig. n. 375. —Quoàd benedictionem mapparum, sicut et corporalium, pallarum aliorumque paramentorum : certum est 1. eam jure ordinario pertinere ad episcopum ; certum est 2. eam ex privilegio pertinere ad abbates aliosque prælatos usu pontificalium gaudentes, sed tantùm pro suis ecclesiis. Controvertitur utrùm absque speciali indulto sedis apostolicæ episcopi possint aliis sacerdotibus delegare facultatem benedicendi sacra paramenta. *Prima* sententia, quam tuentur Pasqualigus, Quarti, alii plures ap. S. Lig., DD. Bouvier, *tom.* III, *pag.* 303, etc., affirmat. *Secunda* autem communior, præsertim apud extraneos, negat : et ità declaravit S. R. C. 16 maii 1744. Hanc sententiam inter alios propugnant Gavantus, *p.* 4, *tit.* 19, n. 12; Bened. XIV, qui, in *Institut.* 21, n. 14, rem pro certâ tenet; Ferraris, v° *Benedic.* art. 1, n. 17; S. Lig. *n.* 378, *dub.* 4; De Herdt, *sacr. liturg. prax.* p. 1, n. 54, ad 4.

(2) S. Lig. n. 377.

(3) Ibid. n. 378, *dub.* 5.

cræ, quandò notabiliter et indecorè scissæ sunt, aut amiserunt formam, aut ex adjectis ità reficiuntur, ut in prudentium æstimatione jàm non sint eædem.

II. Sacerdoti non licet celebrare cooperto capite, seu cum pileolo (vulgò *calotte*), vel cum comâ fictitiâ (vulgò *perruque*), nisi habeat dispensationem ordinariè à S. Pontifice obtinendam.— Dicimus *ordinariè;* siquidem, propter morbum gravem et minimè diuturnum, sacerdoti liceret, absque dispensatione S. Pontificis, uti pileolo intra missam, excepto tempore intercedente à præfatione ad communionem (1).

V. Circa instrumenta sacrificii et ministrum.

I. Requiruntur 1° calix aureus, vel argenteus, aut saltem habens cuppam argenteam intùs inauratam, simul et patena itidem inaurata; calix et patena ab episcopo consecrata, nec execrata. — Extra magnam paupertatem, prohibetur adhibere calicem stanneum; item prohibetur, saltem sub veniali, adhibere calicem non inauratum. — Sub gravi prohibetur celebrare cum calice et patenâ non consecratis.—Execratur autem calix : si cuppa notabiliter frangatur, si fundus perforetur, si cuppa fixa pedi separetur à pede. Secùs, si cuppa

(1) Ità, cum Sylvio, Bened. XIV, *de Sacrif. mis.* lib. I, cap. 9, n. 3; et S. Lig. n. 397. — De usu pileoli et comæ fictitiæ, fusè tractat Benedictus XIV, tùm in *Instit.* 34, n. 14, et *Instit.* 96, tùm in opere *de Synod. diœces.* lib. XI, cap. 9. Inter alia probat, ex decretis SS. Pontificum et declarationibus S. Congregationum, 1. usum pileoli aut comæ fictitiæ omninò prohiberi in celebratione missæ; 2. solum Papam concedere posse usum pileoli intra missam, etiam extra canonem; item et sententiam, quæ tribuit episcopis facultatem permittendi usum comæ fictitiæ intra missam, à Sede Apostolicâ nunquàm fuisse probatam. *Vid.* etiam S. Lig. nn. 397, 398; D. Richaudeau, op. cit. cap. 2, n. 14 et 15.

sit tornatilis et separabilis à pede; si calix de novo inauretur, juxta S. R. C. 14 jun. 1845. Item execratur patena, si tàm enormiter frangatur ut decenter ampliùs inservire nequeat, si de novo inauretur. Econtrà calix et patena consecrationem non amittunt, si paululùm decidat inauratio; nec probabiliùs, si per longum usum inauratio deperdatur (1).

Not. Pyxis, seu ciborium, non est consecranda, sed tantùm sub veniali benedicenda (2). Idem dicendum de lunulâ ostensorii.

2° Corporale benedictum, ex lino vel cannabe, mundum, quod possit decenter continere calicem, patenam et hostiam. — Mortale est celebrare absque corporali, aut cum eo non benedicto. Item adhibere ex negligentiâ corporale valdè immundum non excusatur à gravi (3).

3° Palla benedicta, munda, ex lino vel cannabe in parte inferiori et superiori. — Celebrare absque pallâ, aut cum eâ non benedictâ, probabiliter veniale non excedit (4).

4° Purificatorium, ex lino vel cannabe. Ex S. R. C. 7 sept. 1816, purificatorium benedici non debet.

5° Bursa, velum, manutergium; sine quibus tamen,

(1) Vid. S. Lig. n. 370; Ferraris, v° *Calix*; D. Richaudeau, op. cit. cap. 13; etc.

(2) Bened. XIV, *Institut.* 21, n. 12; S. Lig. n. 385.

(3) S. Lig. n. 386, et *App.* 3 ad *Hom. ap.* n. 119.

(4) S. Lig. n. 388. — S. R. C. recenter consulta an liceat uti pallâ à parte superiori panno serico cooperta, respondit, 10 januar. 1852, *permitti posse, dummodò palla lino subsuta calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, aut referat aliqua mortis signa.*

cum rationabili causâ, absque peccato celebrari potest.

II. Requiritur missale sub gravi. Attamen, si sacerdos sat memoriter teneat missæ preces, et absit periculum errandi, potest ex causâ gravi sine missali celebrare, modò, ad notam effugiendam, alium librum loco missalis in altari habeat (1).

Tabella autem secretarum requiritur tantùm ad majorem celebrantis commoditatem.

III. Requiritur sub gravi minister, saltem usque ad oblationem ; nisi urgeat necessitas administrandi viaticum, vel etiam juxta plures, satisfaciendi præcepto in die festo. Debet esse masculus. Sub gravi prohibetur ne fœminæ ministrent immediatè in altari ; minimè verò ne celebranti respondeant à longè, præsertim si sint moniales (2).

VI. Circa modum celebrationis.

I. Missa celebranda est 1° juxta ritum approbatum à S. Sede, cui soli competit omne jus liturgicum, ut alibi

(1) Ità communissimè ap. S. Lig. n. 390. — Hinc plures inferunt licitè celebrare sacerdotem qui propter visûs debilitatem memoriter missam recitat, modò discernat calicem et hostiam, quantùm sufficit ad reliquas actiones absque irreverentiâ peragendas. Attamen, cùm S. C. C. non concedat sacerdotibus cæcutientibus facultatem celebrandi, nisi sub clausulâ *modò orator non sit omninò cæcus, et memoriter non recitet*, dispensatio videtur necessaria, si sacerdos sit ità infirmus ut nonnisi memoriter recitare valeat. — Dispensatio, quâ sacerdoti cæcutienti permittitur celebrare singulis diebus missam *de Beatâ* et *de Requiem*, pertinet ad S. Pontificem, seu ad S. C. Concilii. — Hujusmodi dispensatione obtentâ, si sacerdos omninò cæcus fiat, licitè non potest absque novo indulto iterùm celebrare. *Vid.* Bened. XIV, *Institut.* 34, n. 5; S. Lig. loc. cit.; D. Richaudeau, cap. 2, n. 18; De Herdt, p. 1, n. 22; etc.

(2) S. Lig. nn. 391, 392.

probatur; 2° juxta ritum proprium : hinc v. g. à SS. Pontificibus S. Pio V et Benedicto XIV prohibitum est Latinis græco more, et Græcis more latino celebrare (1); hinc etiam sæculares ritûs romani, qui celebrant in ecclesiis regularium, nequeunt absque culpâ gravi observare ritus proprios regularium, nec dicere missas pro regularibus specialiter concessas; sed debent (quantùm fieri potest) uti Missali Rom. et juxta illius rubricas celebrare (2); etc.

II. Missa celebranda est *exactè:* seu prohibetur sub gravi aut sub levi, pro gravitate materiæ, aliquid addere vel mutare in his quæ dicenda aut facienda sunt. Constat ex decreto Concil. Trid. sess. 22, *de serv. et evit. in celebr. missæ*, et ex bullâ S. Pii V, in fronte Missalis Rom.

Undè 1° juxta omnes, mortale est aliquid addere in missâ animo introducendi novum ritum. Aliquid autem ex eodem missali, sed parùm notabile, v. g. plures collectas non præscriptas, vel *Gloria*, *Credo*, addere solummodò ex importunâ devotione, veniale non excedit; modò tamen non indè sequatur gravis inordinatio, qualis adesset v. g. si in missâ *de Requiem* adderetur *Gloria* et *Credo* (3).

2° Mutare absque causâ missam præscriptam, quandò

(1) Constit. Pii V *Romani Pontificis*, 13 kal. sept. 1566, et Bened. XIV const. *Etsi pastoralis*, tom. I, n. 57 Bullar. (Vol. I, pag. 342.) — *Vid.* fus. *Editores* theol. mor. P. Antoine, *de Ritibus sacr.*, et *Append.* ad tract. *de Euch.*

(2) Ita pluriès S. R. C. *Vid.* Bened. XIV, *Institut.* 34, n. 20; S. Lig. n. 390; De Herdt, p. 1, n. 34; D. Richaudeau, op. cit. cap. 15, etc.

(3) S. Lig. n. 411.

rubricæ prohibent missas votivas, in se veniale est: imò etiam grave, si fiat in festis solemnibus in missâ publicâ, præsertim si istis diebus dicatur missa *de Requiem* (1).

3° Dicere submissâ voce quæ sunt altè recitanda, item et altè proferre quæ sunt submissè dicenda, saltem veniale est. Juxta plures, à mortali non excusatur proferens elatâ voce verba consecrationis aut magnam partem canonis. Alii verò cum S. Lig. non improbabiliter negant, nisi in hujusmodi agendi ratione videatur grave scandalum, et contemptus verborum et ritûs (2).

III. Missa celebranda est *integrè:* id est,

1° Prohibetur sub gravi aut sub levi, pro gravitate materiæ, aliquid omittere eorum quæ dicenda aut facienda sunt. Porro 1. distinguuntur in missâ partes ordinariæ et extraordinariæ. Partes *ordinariæ* vocantur ea quæ semper dicuntur vel aguntur, v. g. epistola, evangelium, oblatio, fractio hostiæ, etc.; partes verò *extraordinariæ*, ea quæ non in omni missâ dicuntur, v. g. *Gloria*, *Credo*, sequentia. 2. Communiter reputatur gravis omissio alicujus partis ordinariæ; nisi levitas materiæ excuset, v. g. si omittatur *Kyrie eleison*, una collecta, una vel altera crux super oblata. Levis autem reputatur omissio unius partis extraordinariæ, nisi tot sint omissiones, quæ simul sumptæ notabilem materiam constituerent (3).

(1) Ibid. n. 417 et seq.

(2) S. Lig. n. 416 contra Gavant., Quarti, etc.

(3) Vid. fus. S. Lig. n. 403 et seq., et *Append.* 3 ad *Hom. ap.* n. 125. *In canone autem*, ait S. Lig. n. 405, *mortale est omittere*

2° Prohibetur sub gravi missam incœptam relinquere imperfectam, nisi ob causam gravem. Porro causa gravis adest: 1. si sacerdos ante canonem recordetur alicujus impedimenti, v. g. se non esse jejunum, vel in gratiâ, se esse aliquâ censurâ innodatum; modò tamen possit absque scandalo missam relinquere; 2. si excommunicatus denuntiatus, sacrificio interesse præsumens, ab ecclesiâ nequeat expelli ante canonem; 3. si ecclesia polluatur ante canonem, nisi statim reconciliari possit; secùs, si polluatur post incœptum canonem; 4. si grave periculum immineat, v. g. incursus hostium, alluvio, ruina loci; 5. si sacerdos morbo gravi corripiatur, aut moriatur.

Not. In 4° casu: ante consecrationem, missa dimittatur; post consecrationem, sacerdos, omissis omnibus accelerare poterit sumptionem sacramenti, imò posset solam hostiam consecratam sumere vel secum ferre, calice non consecrato (1). In 5° casu: si celebrans deficiat ante consecrationem, missa relinquenda est imperfecta; si deficiat post consecrationem unius vel alterius speciei et ante communionem, ac deinceps ipse, etiam non jejunus, missam intra tempus aptum perficere non valeat, missa perficienda est ab altero sacerdote, etiam non jejuno, vel irregulari, excommunicato, modò tamen alter iste sacerdos intra spatium unius horæ accersiri valeat (2).

quamlibet orationem, vel ejus verba ita mutare, ut sensus varietur, vel aliquod verbum omittere, quo sublato, reliqua verba sensum non faciunt.

(1) S. Lig. n. 352.

(2) Vid. fus. Bened. XIV, *de Sacrif. mis.* lib. III, cap. 14; S. Lig.

IV. Missa celebranda est *modo continuo*, seu prohibetur sub gravi aut sub levi, pro duratione interruptionis, sacrum interrumpere; nisi ob causam gravem, scilicet: 1. ob concionem faciendam post evangelium, aut oblationem fidelium suscipiendam ad offertorium; 2. propter adventum principis aut turbæ peregrinorum, qui aliàs missâ carerent die festo; 3. ob necessitatem administrandi sacramenta moribundo.

Not. 1° In hoc ultimo casu, distinguendum est. 1. Si sacramentum sit moribundo omninò necessarium, qualia sunt baptismus, aliquandò pœnitentia, extrema-unctio quandò moribundus rite confiteri nequit, et desit alter sacerdos: celebrans potest, imò tenetur missam interrumpere, etiam intra consecrationem et communionem. Necessitas extrema proximi prævalet continuationi missæ. 2. Si sacramentum non ità sit moribundo necessarium, quale viaticum et extrema-unctio alicui jàm anteà ritè confesso: sacerdos potest, sed non tenetur missam interrumpere ante canonem; canone semel incœpto, potest quidem, retentis vestibus sacris, administrare sacramentum in ipsâ ecclesiâ, scilicet quandò quis intra missam repentino morbo corriperetur; minimè verò potest sacras vestes exuere, et extra ecclesiam

n. 355; De Herdt, p. 3, n. 19; D. Richaudeau, cap. 17, n. 5 et seq.; etc. — Si non adsit, nisi sacerdos excommunicatus, suspensus, aut in statu peccati existens, multò probabiliùs etiam iste tenetur sacrificium perficere, priùs obtentâ absolutione, aut saltem emisso actu contritionis. Censet tamen Bened. XIV, *loc. cit. n.* 8, sacerdotem qui gravi peccato commaculatum habet animum, et cùm sibi copia confessoris non sit, frustra studuit contritionis actum elicere, non teneri sacrificium perficere.

pergere. Prævalet sacrificii continuatio necessitati non extremæ (1).

2° Quandò sacrificium fuit interruptum propter causam fortuitam, sacerdos revertens resumere debet à loco ubi desiit, nisi longior intercesserit mora quàm ut missa censeri possit actio moraliter una. Hinc 1. si missa fuerit interrupta ante consecrationem, et sacerdos redire non potuerit intra spatium unius horæ, missa esset relinquenda, vel ab initio resumenda, modò tempus debitum celebrandi ante meridiem non effluxerit. 2. Si missa fuerit interrupta post consecrationem, et sacerdos intra duas horas redire non potuerit, servandum esset SS. Sacramentum die sequenti sumendum (2).

V. Missa celebranda est *breviter*, ne audientes tædio afficiantur, nec simul *nimis festinanter*, ut sacerdos advertere possit quæ legit et facit. Regulariter, *ad tertiam horæ partem saltem debet pertingere, neque horæ dimidium excedere*, ait Bened. XIV cum communi. Hinc, licèt missa sit ex brevioribus, à mortali difficulter excusari potest sacerdos missam persolvens infra quadrantem (3).

Tandem, in genere, sacerdos celebrans tenetur sub gravi aut sub levi, pro gravitate aut levitate materiæ, observare omnes rubricas quæ facienda aut dicenda

(1) Vid. Sylvius in 3 p. quæst. 83, art. 6, quær. 3; Laymann, lib. V, tract. 5, cap. 7; Bened. XIV *de Sacrif. mis.* loc. cit. n. 15; Quarti, p. 2, tit. 3, sect. 3, cap. 3; S. Lig. n. 354; De Herdt, p. 3, n. 20; D. Richaudeau, cap. 18; etc.

(2) Vid. auctores præcit.

(3 Bened. XIV, *Institut.* 34, n. 30; S. Lig. *Hom. ap.* tract. 15, n. 84, et *Append.* 3, n. 125.

præscribunt. — Tenetur servare rubricas: Siquidem ex Concil. Trid. sess. 7, can. 13, ex bullâ S. Pii V *Quo primum*, impressâ in fronte Missalis romani, ex decretis S. R. C., præsertim ex decreto generali quod Urbanus VIII apponi mandavit initio ejusdem Missalis, ex doctrinâ communi constat rubricas esse leges præceptivas quæ obligant ex genere suo (1). — Quæ... præscribunt: Quænam autem sint rubricæ *præceptivæ*, controvertitur. (Quæstio non est, ut patet, de rubricis quæ meram consilii rationem exprimunt.) *Prima* sententia docet præceptivas esse rubricas, quæ ex ipso textu, consuetudine aut communi sententiâ sunt de re gravi (2). *Secunda* distinguit inter rubricas quæ in ipso actu

(1) Hæc decernit Conc. Trid. loc. cit. *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse, anath. sit.* Porro certum est, observat *S. Lig.* n. 309, quòd celebratio Missæ etiam ad sacramenti Eucharistiæ administrationem pertinet. Idem eruitur ex his S. Pii V verbis: *Mandantes ac districtè omnibus et singulis... in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, ut... missam juxta ritum, modum ac normam quæ per missale hoc à nobis nunc traditur, decantent ac legant, neque in missæ celebratione alias cæremonias vel preces, quam quæ hoc missali continentur, addere vel recitare præsumant.* Et ex decreto S. R. C., *Renovando decreta alias facta, mandat S. C. in omnibus et per omnia servari rubricas Missalis romani, non obstante quocumque prætextu, et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat. Et facta relatione decreti S. D. N. Urbano VIII, Sanctitas sua annuit et ab omnibus ubique servari, et in missali noviter imprimendo apponi mandavit.*

(2) Ità Gavant. p. 3, tit. 11. « Cæterùm, ait *Collet*, hæc opinio penè inutilis est, quòd nec indicet, nec satis indicare possit, quæ rubricæ partes præceptivæ sint, quæ tantùm directivæ. »

celebrationis servanda statuunt, et eas quæ extra seu ante et post missam facienda proponunt, et affirmat priores esse præceptivas, posteriores verò merè directivas, nisi contrarium constet ex jure vel consuetudine. Etenim verba Concil. Trid. et S. Pii V intelligenda sunt tantùm de ipso actu celebrationis (1). *Tertia*, quæ videtur rectiùs deduci ex decretis SS. Pontificum et S. R. C., tenet omnes rubricas de se præceptivas esse, nisi contrarium constet ex legitimâ interpretatione, præsertim ex interpretatione S. R. C. (2). — Tenetur sub gravi aut sub levi, pro gravitate aut levitate materiæ : Gravitas autem materiæ non tàm æstimanda est ex ejus quantitate, quàm ex ejus qualitate, attentis scilicet fine ad quem res præscriptæ ordinantur, et indecentià omissionis, mutationis, etc.

Habentur insuper ut regulæ proximæ celebrationis decreta et declarationes S. C. Rituum, de quibus dicemus ubi *de Congregationibus Rom.*

(1) Ità Merati, in 3 p. tit. 11, n. 1 *Gavanti;* Quarti, *quæst. proœm.* sect. 2, p. 2; Collet, *de Euch.* p. 2, cap. 9, sect. 8; S. Lig. n. 399; De Herdt, p. 1, n. 2; Scavini, DD. Bouvier, etc. — Plerique tamen fatentur lotionem manuum ante missam, orationes ad sacras vestes, esse de præcepto saltem levi. *Vid.* S. Lig. n. 409, 410; Sylvius, in 3 p. q. 83, art. 6, quær. 3.

(2) Vid. Suarez, in 3 p. disp. 83, sect. 3; Billuart, *de Euch.* dis. 8, art. 12, *pet. ult.*; Laymann, lib. V, tract. 2, cap. 8, n. 4; P. Selleri *Votum in Conc. Rom. an.* 1725. *(Analecta jur. Pontif.* juillet 1854, col. 1037*)*; Baldeschi, à D. Favrel edit. 1 p. cap. 1; D. Falise, *Cérém. rom.* Introd. § 1; D. Richaudeau, cap. 1, n. 2, etc.

Punctum II.

De obligationibus sacerdotis quatenùs est minister sacramenti Eucharistiæ.

§ I. — De obligatione eucharistiam administrandi.

Ecclesiastico præcepto tenetur pastor eucharistiam ministrare ovibus suis, quæ eodem præcepto obligantur ad illud sacramentum suscipiendum. Hæc enim duo sunt correlativa (1).

§ II. — De obligationibus ministri spectantibus ad circumstantias administrationis.

In genere. Quilibet sacerdos tenetur in administratione eucharistiæ observare omnia quæ statuta sunt ab Ecclesiâ.

In specie. — I. Requiritur sub gravi jurisdictio, sive ex officio, sive ex licentiâ explicitâ, aut saltem rationabiliter præsumptâ. — Requiritur jurisdictio : diversis enim textibus juris, universali Ecclesiæ praxi et doctrinâ communi constat sacramenta nonnisi ab habentibus jurisdictionem licitè administrari posse. — Sufficit ordinariè licentia rationabiliter præsumpta : ex interpretatione communi et usu recepto. Dicimus *ordinariè;* siquidem non sufficit sola præsumptio quoàd primam communionem puerorum, quoàd communionem paschalem, nec, secluso necessitatis casu, quoàd viaticum : quæ, ex consuetudine aut jure, proprio parocho reservantur.

Hinc 1. graviter peccaret qui, sine parochi licentiâ,

(1) Nihil specialius hic dicendum erat de obligatione à jure ecclesiastico. De obligationibus à jure divino, vid. dicta in tract. *de Sacram. in genere.*

saltem præsumptâ, eucharistiam ministraret. Quoties autem parochus alicui concedit licentiam celebrandi in suâ ecclesiâ, censetur etiam, nisi contrarium exprimat, concedere licentiam distribuendi sacram communionem. Hinc 2. graviter peccarent, imò excommunicationem ipso facto incurrerent regulares, qui, extra proprias ecclesias et secluso necessitatis casu, præsumerent viaticum ministrare sine expressâ parochi licentiâ (1).

II. Insuper sequentia præcipuè sunt observanda:

I. Circa tempus. — 1° Excepto necessitatis casu, sub gravi prohibetur eucharistiam ministrare: 1. ferià 6 in Parasceve; secùs, ex S. R. C. sabbato sancto, ubi viget consuetudo; 2. nocte intempestâ: licet verò eam distribuere etiam summo manè quandò celebratur, vel aliquibus horis post meridiem, quandò fideles communionem anteà suscipere non potuerunt; 3. nocte Nativitatis Domini, ex pluribus decretis S. R. C.: contrarius tamen usus in Galliis ubique viget, nec sine gravi pietatis detrimento de medio tolleretur.

2° Juxta mentem Ecclesiæ, communio populi intra missam statim post communionem sacerdotis ordinariè fieri deberet. Attamen haud difficilè concedenda est ante vel post missam, rationabili causâ existente, v. g. si deficiant missæ, si communicantes non possint expectare, præsertim si sint debiles, quales infirmi, pueri, senes. Imò aliquandò expedit communionem differre post missam, si magna sit communicantium affluentia, scilicet ne cæteri assistentes tædio afficiantur.

(1) Vid. S. Lig. n. 234 et seq.

3° In missis *de Requiem*, 1. prohibetur eucharistiam ministrare ante vel post missam, si sacerdos sit indutus paramentis nigri coloris. 2. Intra missam cum paramentis nigris celebratam, sacra communio ministrari potest cum particulis in câdem missâ consecratis : ità S. R. C. 3. Probabiliùs, etiam cum particulis præconsecratis, saltem in locis ubi viget consuetudo (1).

II. Circa locum. — Eucharistia ministrari potest in omnibus ecclesiis aut oratoriis publicis. Dicimus *publicis;* siquidem in oratoriis privatis dari non potest, etiam cum particulis in missâ consecratis, sine speciali licentiâ Ordinarii (2).

III. Circa modum. — Eucharistia ministrari debet juxta ritum Ecclesiæ. Undè, inter alia,

1° Præter casum necessitatis, ministranda est cum superpelliceo, stolâ et lumine. — Secluso necessitatis casu : mortale est eucharistiam ministrare sine ullâ veste sacrâ ; veniale est tantùm eam ministrare sine stolâ, saltem juxta plures, vel sine lumine. — Urgente

(1) Licèt enim quædam dentur S. R. C. decreta in contrarium, attamen graves ex utrâque parte non desunt auctores; et ex decreto ejusdem S. R. C. 12 apr. 1823, constat S. Congregationem nondùm voluisse judicium ferre, tùm quia summæ auctoritatis scriptores (inter quos Bened. XIV) contrariam sententiam tuentur, tùm quia non eadem est apud omnes ecclesias et sacerdotes consuetudo. Vid. *Manuale ecclesiast.* n. 249 (3ª edit. Rom. 1853); D. Richaudeau, cap. 20, n. 9, ad 3; DD. Gousset, tom. II, n. 207; etc.

De his omnibus, præter auct. cit., vid. Bened. XIV, *de Sacrif. mis.* lib. III, cap. 18; S. Lig. n. 249; DD. Bouvier, tom. III, pag. 78; etc.

(2) Bened. XIV, *de Sacrif. mis.*, loc. cit. n. 14; *Instit.* 34, n. 11 et 12; et constit. *Certiores effecti*, § 23, tom. III, n. 48 Bullar. (Vol. IX, pag. 21.)

verò necessitate, probabile est hæc omnia posse omitti sine peccato, ne moribundus sacro viatico privetur (1).

2° Non licet, absque dispensatione S. Pontificis, etiam ad præbendum viaticum moribundo, eucharistiam ministrare in utrâque specie, aut in solâ specie vini.

3° Non licet, deficientibus hostiis minoribus, detrahere partem majoris hostiæ ad communicandos fideles; nisi ex rationabili causâ, v. g. si moribundo deferendum esset viaticum, aut si communicaturus diù exspectare deberet (2).

4° Non licet eucharistiam porrigere in cochleari vel mediante alio instrumento ; nisi in necessitate, scilicet, si ægrotus non posset hostiam deglutire sine vino aut aquâ, item in lue pestiferâ : ità *probabiliùs* contra plures (3).

5° Non licet sacerdoti, aliquâ infirmitate laboranti in pollice et indice, eucharistiam cum aliis digitis ministrare, nisi in casu gravissimæ necessitatis (4).

Not. Si decidat hostia in terram, locus tegatur panno lineo, vel aliquâ re mundâ, dein abluatur. Si decidat in mappam quam communicantes ori supponunt, locus spinulâ signetur, dein pariter abluatur. Si decidat in vultum, barbam aut vestes communicantis, purificatio potest et ordinariè debet omitti ; melius est enim vitare

(1) Vid. S. Lig. n. 241.

(2) Vid. S. Lig. n. 217; DD. Richaudeau, cap. 20, n. 9.

(3) Vid. S. Lig. n. 244 et 288; Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. 19, n. 25.

(4) *Ibid.* Si quis autem habeat pollicem ità infirmum ut hostiam cum eo frangere nequeat, non potest celebrare.

admirationem, turbationem aut offensionem populi, quàm servare rubricam, quæ juxta communem sententiam obligat tantùm sub levi (1).

ARTICULUS II.

De legibus specialibus subjecto.

Punctum I.

De obligationibus subjecti erga Eucharistiam quatenus est sacrificium.

§ I. — De obligatione assistendi sacrificio.

Omnes fideles rationis usum habentes tenentur sub gravi interesse missæ diebus dominicis et de præcepto festivis, nisi adsit ratio dispensans.

Probatur existentia præcepti, tùm universali praxi Ecclesiæ, tùm jure canonico (*decreti* 3 *p. dist.* 1, *can.* 64), ritualibus et catechismis.

Explic. 1ª *p.* Omnes fideles rationis usum habentes: siquidem Ecclesia nunquàm intendit præceptis suis obligare eos qui rationis usu destituuntur.

2ª *p.* Tenentur interesse missæ diebus dominicis et de præcepto festivis: Undè v. g. non est obligatio assistendi missæ ferià 5ª, 6ª et sabbato Majoris hebdomadæ, neque feriis rogationum; in festo Nativitatis Domini sufficit unam missam audire.

3ª *p.* Nisi adsit ratio dispensans: Porro, præter dispensationem propriè dictam, — in genere excusat ab auditione missæ quælibet causa mediocriter gravis,

(1) S. Lig. n. 250. Vid. fus. D. Richaudeau, cap. 19, n. 15. — Graviter tamen obligat rubrica præcipiens ablutionem loci in quem incidunt sacræ species vini, cùm ipsæ imbibantur.

seu quæ involvit notabile incommodum sibi vel proximo, vel damnum in bonis animæ aut corporis ; excusat etiam (saltem probabiliùs) occasio faciendi lucrum extraordinarium. Siquidem Ecclesiæ præcepta non obligant sub tanto detrimento (1).

In specie, excusantur: 1° ægroti, infirmi, convalescentes, quibus obest foràs prodire. In dubio an incommodum sit leve vel sufficienter grave, standum est consilio personæ prudentis. Et, si dubium excuti nequeat, possunt abstinere ; quia in tali dubio, cum certum sit periculum gravis damni, possidet libertas abstinendi.

2° Custodientes domos vel greges ; matres custodientes parvulos, quos domi relinquere, et in templo sine aliorum perturbatione continere non possent ; inservientes ægrotis. — Si autem plures sint in eâdem familiâ, et aliundè plures sint missæ, missam successivè audire tenentur, in quantùm fieri potest ; item debent alternatim huic interesse, si una tantùm missa dicatur.

3° Famuli, quandò ministerium suum omittere nequeunt sine gravi incommodo dominorum, aut quandò à dominis prohibiti gravem ipsorum indignationem timent, vel de facili non possent alium dominum invenire. Sedulò tamen procurare debent ut impedimenta quàm citissimè removeant.

4° Qui ab ecclesiâ notabiliter distant, habitâ ratione loci, temporis ac personæ. Juxta plures, regulariter excusantur iter pedibus agentes ob distantiam unius horæ cum quadrante : etiam ob minorem distantiam

(1) Vid. S. Lig. lib. III, n. 324 et seq.

excusarentur, si v. g. viæ essent molestiores, si personæ essent debiles, etc.

5° Aliquandò milites, si gravissimas exprobrationes timeant, vel si ab impiis ducibus toto ferè tempore matutino exercitiis occupentur.

6° Viatores, quibus non occurrit ecclesia in quâ missam audire possint, aut qui nequeunt iter incœptum interrumpere absque gravi incommodo, v. g. quia socii itineris, aliundè sibi valdè utiles, sistere nolunt.

7° Probabiliter, aurigæ qui non possunt vecturam relinquere sine notabili jacturâ; molitores si causâ missæ eis eveniret jactura mediocriter gravis (1).

§ II. — De circumstantiis præcepti.

Ut adimpleatur præceptum, requiritur 1° assistentia in loco debito, 2° præsentia corporis debita, 3° intentio et attentio mentis debita.

I. De assistentiâ in loco debito.

Certum est 1° fideles missam audientes in oratorio

(1) Ità plures ap. S. Lig. n. 332. — *Eo principio* (scilicet: occasio lucri extraordinarii et transitorii excusat ab auditione missæ) *innixi*, ait DD. Bouvier, tom. V, pag. 413, *plurimos excusamus qui certo anni tempore eunt Parisios, Belgium, vel in alias regiones, et acceptant laborem apud dominos qui permittere nolunt eos missam audire, si aliundè lucrum indè proveniens ipsis vel familiæ sit necessarium aut saltem maximi momenti, et faciant quod in se est moraliter ut missam audiant et diebus festivis non laborent. Non vero permittimus, ob lucrum faciendum, eligere conditionem qua missa fere nunquam audiri posset, etsi hoc lucrum ad sustentationem familiæ gravis esset momenti; quia aliud est missam quandoque vel per aliquod temporis spatium omittere, et aliud eam fere nunquam audire.*

privato satisfacere præcepto, quibusdam diebus exceptis, si in indulto comprehendantur; non autem satisfacere, si non comprehendantur. — Superiùs jàm diximus 1. quænam sint oratoria privata, 2. quibus ordinariè diebus prohibeatur in iis sacrum offerre. — In indulto concessionis, nisi contrarium exprimatur, comprehensi censentur tantùm : dominus oratorii, ipsiusque familiares, qui vivunt ejus expensis, aut ejus servitio sunt addicti.

Certum est 2° adhortandos esse fideles ut missæ parochiali, saltem ad ædificationem, assistant.

Controvertitur autem utrùm fideles, saltem in Galliis, teneantur interesse missæ parochiali. *Prima* sententia affirmat (1). Etenim, aiunt ejus patroni, ex omnium consensu, olim exstitit præceptum obligans ad audiendam missam parochialem, ità ut mortalis peccati reus erat qui tribus aut quatuor dominicis continuis omittebat sacro interesse in propriâ parochiâ. Porro non constat hoc præceptum in Galliis abrogatum fuisse consuetudine contrariâ : imò contrarium constat doctrinâ theologorum et reclamationibus multorum episcoporum. *Secunda* autem, multò probabilior et hodiè communis, negat fideles, etiam in Galliis, teneri (2). Quia 1. ut observat Bened. XIV, *de Synod.* lib. XI,

(1) Ità Juenin, *de Sacram.* dis. 5, q. 7, c. 2, a. 2; Bailly, *in 3 decal. præcept.*; Vernier, *Theol. pract.* n. 326 in not. etc. Et ità plures olim episcopi in suis constit. synodalibus.

(2) Ità DD. Gousset. t. I, n. 555; DD. Bouvier, t. V, pag. 409; DD. Devie, *in Ritual. Bellic.* t. I, p. 3, tit. 4, sect. 7; P. Gury, t. I, n. 383. Et ità hodiè plures synodi tùm provinciales, tùm diœcesanæ; specialiter conc. Remense, an. 1850, tit. 3, c. 6; stat. synod. Remens. 1851, cap. 17; synod. Cœnoman. 1852, cap. 7, § 2, etc.

cap. 14, n. 10, non præcepto adigendam, sed hortationibus ad id alliciendam plebem statuit Tridentinum, sess. 22, decret. *de observ. et evit. in celebr. mis.*, ubi episcopos in hunc modum alloquitur: *Moneant eumdem populum ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis et majoribus festis, accedant.* 2. S. C. C. declaravit *non posse ordinarium mulctis et pœnis cogere ad audiendam missam, vel concionem in propriâ parochiâ, etiam in casu negligentiæ et contumaciæ* (1). 3. Ex Bened. XIV, cum pluribus, *contrariâ consuetudine, in toto christiano orbe receptâ derogatum est præcepto audiendi missam parochialem... Quæ consuetudo, cum vigeat in toto orbe, jam induit naturam juris communis* (2). Proindè, si consuetudo prædicta æquivaleat juri communi, lex abrogata est pro totâ ecclesiâ. Imò episcopi, cùm generalibus ecclesiæ legibus contradicere nequeant, illicitè et invalidè præciperent assistentiam missæ parochiali.

II. De præsentiâ corporis debitâ.

Requiritur præsentia physica aut moralis, et continua.

1° Requiritur præsentia *physica aut moralis:* id est, requiritur et sufficit ut persona dici possit è numero assistentium.

(1) Ap. De Lugo, disp. 22, sect. 1, n. 2; et S. Lig. n. 322.

(2) Vid. Bened. XIV, loc. cit. —Non solâ consuetudine, sed etiam pluribus SS. Pontif. decretis derogatum est præcepto de quo agitur, scilicet constit. Leonis X an. 1517, S. Pii V an. 1567, Clementis VIII an. 1592, ut videre est ap. eumdem Bened. XIV, loc. cit. n. 8, et Billuart *de Religione* dissert. 6, art. 7.

Undè sufficienter præsens est qui missam audit per fenestram ecclesiæ, post altare vel internam parietis columnam, ad januam templi, vel in loco vicino, modò sit junctus multitudini protensæ usque ad interiora templi, et missam sequi possit quoàd partes præcipuas, sive videndo, sive audiendo, sive ad signa aliorum assistentium attendendo. Item probabiliùs qui missam audit ex fenestrâ domûs, licèt via sit intermedia, modò prospiciatur altare, et parvum sit intervallum inter ecclesiam et locum in quo stat (1).

2° Requiritur præsentia *continua:* seu perseverans ab initio usque ad finem missæ ejusdem sacerdotis.

1. Perseverans à principio usque ad finem: quia præcipitur auditio missæ integræ, non verò alicujus tantùm partis.

Undè, qui omittit partem missæ, peccat graviter aut leviter pro gravitate omissionis. Porro, licèt facilè determinari nequeat quænam sit omissio gravis, sequentia tamen ex communi sententiâ statui posse videntur : —Leve est omittere omnia usque ad epistolam exclusivè, et probabiliùs inclusivè ; imò, juxta multos contra plures, usque ad evangelium inclusivè.—Grave est omittere omnia ante evangelium simul et omnia post communionem ; non verò omittere tantùm omnia post communionem, imò omnia ante epistolam simul et omnia post communionem. — Levis est omissio offertorii ; item omissio symboli et præfationis. — Gravis est omissio consecrationis, quia consecratio est pars essentialis ipsius sacrificii ; item omissio canonis à consecratione ad

(1) Vid. S. Lig. lib. III, n. 312.

Pater exclusivè; item probabiliùs omissio communionis, quia communio est pars integralis sacrificii (1).

2. Missæ ejusdem sacerdotis: quia oblatio sacrificii est actio una, proindè requirit unitatem ministri.— Undè 1. præcepto non satisfacit, qui simul audit duas missas dimidiatas, ut constat ex propositione, n. 53, damnatâ ab Innocentio XI, 2 mart. 1679: *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui ejus duas partes, imò quatuor, simul à diversis sacerdotibus celebrantibus audit.* 2. Item, longè probabiliùs, non satisfacit qui unam missam audit usque ad consecrationem inclusivè, et alteram à consecratione ad finem; siquidem non assistit parti essentiali et integranti missæ ejusdem ministri. 3. Probabiliter verò, ob rationem contrariam, satisfacit præcepto qui audit missam unius sacerdotis usque ad consecrationem exclusivè, et alterius sacerdotis à consecratione usque ad finem (2).

Not. Qui non advenit à principio missæ nec deinceps alteram missam audire potest, tenetur reliquam missæ partem audire, si advenit ante consecrationem. Secùs, juxta probabiliorem sententiam, si advenit post consecrationem; quia eo ipso quòd non interfuerit parti essentiali missæ, jàm non potest adimplere præceptum. Contrariam nihilominùs sententiam valdè probabilem et in praxi tenendam dicit S. Lig., eâ scilicet ratione, quia tunc etiam audiri potest pars notabilis cæremoniæ ab Ecclesiâ præceptæ (3).

(1) Vid. S. Lig. n. 310.

(2) Ibid. n. 311. Cæterùm, ait S. Alph., omnes conveniunt quòd qui sine justâ causâ duas medias missas sic audiret, nullo modo excusaretur saltem à peccato veniali.

(3) S. Lig. n. 310, quær. 2.

III. De intentione et attentione debitâ.

1° Requiritur intentio : nam auditio missæ præscribitur ut actus religiosus, proindè humanus ; porro absque intentione nullus est actus humanus. — Quoàd qualitatem intentionis: non requiritur intentio quam sibi proponit Ecclesia præcipiens, nec etiam intentio satisfaciendi præcepto, ut constat ex dictis, ubi *de Legibus,* circa intentionem requisitam ad impletionem præcepti. Requiritur autem saltem et sufficit intentio colendi Deum ; quia hæc intentio saltem requiritur et sufficit ad actum religiosum.

2° Requiritur attentio debita : Requiritur autem *certò,* attentio externa, quæ consistit in eo quòd assistens nullam ponat actionem externè incompatibilem cum auditione missæ. *Probabiliùs* etiam, attentio interna, quâ assistens animum applicet saltem ad actiones sacerdotis : etenim attentio sive externa, sive interna, requiritur in oratione, uti fusiùs explicatur et probatur ubi *de Oratione ;* ergo requiritur à pari ad auditionem missæ, quæ præcipitur ut species orationis (1). — Undè præcepto satisfacere potest: qui cantat, musicâ

(1) Ità D. Thom. in 4, dist. 15, q. 4, art. 2, q. 4 ; Billuart, *de Relig.* dis. 6, art. 5; Bonacina, Sporer, S. Lig. n. 313; Dens, *de Sacrif.* n. 20, DD. Bouvier et plerique recentiores. — Attamen tenent plures, inter quos Suarez, Lessius, Medina, Lacroix, externam et moralem præsentiam sufficere cum intentione generali Deum colendi. Quæ sententia, saltem propter auctoritatem doctorum qui eam propugnant, probabilitate non caret. P. Gury, t. I, n. 347, censet magnam non interesse discrepantiam inter utramque sententiam, cùm etiam in istâ secundâ requiratur vera intentio honorandi Deum, juncta cum attentione tali ut assistens missæ rationem sibi reddere possit quòd reapsè sacro assistat. *Hinc,* concludit prædictus auctor,

occupatur, eleemosynas colligit, eulogias distribuit, modò simul aliquo modo ad missam attendat; clericus qui recitat horas; fidelis qui conscientiam discutit, qui legit librum spiritualem, non tamen historias licèt spirituales. Econtra non satisfacit qui per majorem partem missæ confabulatur; imò probabiliùs, qui tempore missæ per notabile intervallum incumbit persolvendæ confessioni (1).

Punctum II.

De obligationibus subjecti erga Eucharistiam, quatenùs est sacramentum.

§ I.—De obligatione suscipiendi eucharistiam.

Quilibet fidelis, postquàm ad annos discretionis pervenerit, tenetur ad suscipiendum eucharistiæ sacramentum semel in anno, nisi adsit impossibilitas physica aut moralis.

Existentia præcepti constat ex can. 21 Concilii Lateran. IV: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur..., suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab ejus participatione duxerit abstinendum: alioquin vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, et moriens christianâ*

non facilè arguendi sunt fideles de culpâ gravi ob defectum attentionis sufficientis in missâ, sed potiùs amanter adhortandi sunt ut piè et sedulò ad divina mysteria attendant.

(1) S. Lig. n. 314 et seq.

careat sepulturâ (1). Quod renovatum est à Concil. Trid. sess. 13, can. 9: *Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexûs, cùm ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anath. sit.*

Dicimus: nisi adsit impossibilitas physica aut moralis; siquidem Ecclesia impossibile nec jubet, nec jubere potest.

§ II. — De obligationibus subjecti spectantibus ad circumstantias receptionis.

Resumuntur in propositione sequenti: Quilibet fidelis eucharistiam recipiens sub gravi tenetur ad jejunium naturale, quibusdam casibus exceptis; insuper, in communione paschali, tenetur servare præscriptiones Ecclesiæ circa modum, tempus et locum communionis, nisi adsint rationes dispensantes.

Dicimus I. *Quilibet fidelis eucharistiam recipiens tenetur ad jejunium naturale:*

Constat præceptum ex Ecclesiæ praxi à primævis temporibus, ex variis Conciliis, præsertim ex Conc. Constantiensi, sess. 13 (2).

(1) Quæ tamen pœna non incurritur nisi post judicis sententiam.

(2) Legem jejunii ante sacram communionem à temporibus apostolicis in Ecclesiâ viguisse probatur

1° Testim. SS. PP. — Tertullian. lib. II ad uxor. cap. 5: *Non sciet maritus quid secreto ante omnem cibum gustes.* S. Cyprian. ep. 63, n. 16: *Christum offerre oportebat circa vesperam diei... Nos autem resurrectionem Domini manè celebramus.* S. Gregor. Nazianz. orat. 40, n. 30: *Ille* (Christus) *Paschatis mysterium discipulis in cœnaculo tradidit, et post cœnam; nos in templis et*

Porro, ad jejunium *naturale* requiritur ut communicaturus à mediâ nocte non sumpserit, ab extrinseco et per modum cibi aut potûs, aliquid habens rationem cibi aut potûs aut medicinæ.

1° Non sumpserit *ab extrinseco:* quia quod non su-

ante cœnam. S. Augustin. ep. 54, n. 8: *Liquido apparet quando primùm acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quòd à jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius dominicum corpus intraret, quam cœteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur.* S. Joan. Chrysost. homil. 27 in I Cor. n. 5: *Tu vero antequam percipias quidem jejunas, ut quomodocumque dignus communione videaris.* Et, ep. 125 ad Cyriac. *Multa adversum me struxerunt* (calumniatores mei): *aiuntque me post epulas quibusdam communionem impertiisse. Hoc si feci, de episcoporum libro nomen meum expungatur... si quidquam ejusmodi perpetravi, Christus e regno suo me abjiciet.* Similiter, et SS. Basil. homil. 1 *de jejun.*, Epiphan. lib. III *cont. hær.* in fin., Ambros. serm. 8 in psalm. 118, n. 48.

2° Decis. Concil. — Conc. Carthagin. III, can. 29 (an. 397); Concil. Bracarens. I, can. 16 (an. 561) et II, can. 10 (an. 572); Matiscon. II, can. 9 (an. 583); Toletan. VII, capit. 2 (an. 646). Prædicta resumens sic statuit Conc. Constantiense, sess. 13: *Sacrorum canonum auctoritas, laudabilis et approbata consuetudo Ecclesiæ servavit et servat quod hujusmodi sacramentum non debet confici post cœnam, nec à fidelibus recipi non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis à jure, vel Ecclesiâ concesso vel admisso.*

Equidem olim in quibusdam ecclesiis Africanis toleratum est ut feriâ 5 in cœnâ Domini sacra eucharistia post cœnam sumeretur, ut eruitur ex ep. cit. S. August. et ex can. 29 Conc. Carthagin. III. Ista autem consuetudo, quam Priscillianistæ in Hispaniam introduxerant, damnata fuit in Conc. Bracar. I et II, can. cit. — In pluribus etiam locis Ægypti irrepserat abusus eucharistiam sumendi post prandium. Notant verò Socrates, *lib.* V *hist.* c. 21, Sozomenus, *lib.* VII, *cap.* 19, Nicephorus, *lib.* XII, *cap.* 34, apud quos de illo mentio est, hunc morem extitisse *contra receptam omnium consuetudinem.* Abu-

mitur ab extrinseco, non reputatur trajici per modum cibi aut potûs. — Hinc communicare potest 1. qui deglutivit salivam, sanguinem ex ore, linguâ aut gingivis manantem, licèt ex proposito; 2. qui deglutivit involuntariè reliquias cibi in ore vel inter dentes relictas. — Non potest autem communicare 1. qui deglutivit sanguinem ex digitis prorumpentem, lacrymas ex oculis manantes; 2. qui saccharum posuit in ore ante mediam noctem, et post eam deglutivit; 3. juxta multos contra plures, qui voluntariè absumit reliquias cibi relictas in ore vel inter dentes; quia hujusmodi sumptio, cùm sit voluntaria, potiùs videtur nova comestio, quàm continuatio comestionis diei præcedentis, nec videtur fieri per modum salivæ. Attamen, non nimis scrupulosè in hoc incedendum est, ait *S. Ligorius;* reliquiæ à dentibus avulsæ, quæ sensibiliter in lingua percipiuntur, debent quidem expui, sed non adest obligatio diligentiam adhibendi ut è dentibus extrahantur (1).

2° Per modum *cibi* aut *potûs:* quia juxta communem sensum, hoc modo tantùm frangitur jejunium. — Hinc non læditur jejunium 1. per tabacum naribus sumptum, etiamsi trajiciatur in stomachum; per fumum tabaci; nec per tabacum dentibus attritum, modò succus expuatur, etiamsi aliquid præter intentionem de-

sum hujuscemodi pariter damnavit in Galliis Conc. Matiscon. II supr. cit.

Vid. Bona, *Rer. liturg.* lib. I, cap. 21; et, inter theologos, Suarez in 3 p. disp. 68, sect. 3; De Lugo, *de Euch.* disp. 15, sect. 2; Bened. XIV *de Sacrif. mis.* lib. III, cap. 12; S. Lig. n. 278 et seq.; D. Richaudeau, cap. 4; etc.

(1) S. Lig. lib. VI, n. 279, et *Hom. ap.* tract. 15, n. 36.

glutiatur per modum salivæ : notandum tamen duo posteriora esse indecentia (1); 2. per absorptionem reliquiarum aquæ post oris ablutionem, modò sit involuntaria, nec fiat in magnâ quantitate ; 3. per attractionem involuntariam aquæ, nivis, muscæ, etc.; hæc enim omnia sunt absorpta per modum salivæ.

3° Aliquid habens *rationem cibi*, *potûs* aut *medicinæ*, seu quid alterabile in stomacho ; secùs, juxta communem sensum, non esset comestio nec potatio. — Hinc capilli, ungues, metallum, crystallus, lapis, etc. non solvunt jejunium : secus dicendum de cartâ, paleâ, filo lineo, cerâ quæ ferè semper aliquid mellis retinet, etc.

4° Sumpserit à *mediâ nocte :* quod intelligendum est, non moraliter, sed physicè de primo ictu horologii. Inter plura autem horologia dissonantia licet ultimum sequi, modò de errore non constet, nec horologium sit de illis quæ ut plurimùm errant (2).

Dicimus II. *quibusdam casibus exceptis:* Porro licet eucharistiam absque prævio jejunio sumere in casibus sequentibus :

1° In periculo mortis, etiamsi ægrotans, antequàm morbo corriperetur, ad sacram synaxim eâdem die jàm accesserit ex devotione. — Dicimus : etiamsi ægrotans, *antequàm morbo corriperetur...:* Siquidem non liceret eucharistiam iterùm ministrare, si persona communicaverit eâdem die, jàm correpta morbo periculoso, quamvis periculum fuerit ignotum. Licet verò, durante eodem

(1) Vid. Bened. XIV, *de Synod.* lib. XI, cap. 13, et S. Lig. n. 280.
(2) S. Lig. n. 282.

morbi periculo, sacram communionem infirmo ministrare per modum viatici post octo circiter dies ab ultimâ communione; imò, bis in hebdomade, si infirmus sit assuetus ad frequentem usum eucharistiæ (1).

Cessante periculo mortis, si morbus sit diuturnus, et infirmus nunquàm jejunus communicare valeat, juxta plures etiam liceret aliquotiès in anno eucharistiam ipsi non jejuno ministrare. Saltem in eò videtur ratio sufficiens ut sacra communio ad infirmum aliquotiès, præsertim tempore paschali, deferatur post mediam noctem (2).

2° Si adsit periculum ne sacra eucharistia pereat, vel malè tractetur, v. g. ne incendio comburatur, vel in manus impiorum aut hæreticorum deveniat; modò nemo sit jejunus, nec profanatio aliter impediri possit.

3° Si sanguis pretiosus in terram effusus lambi non possit à jejuno.

4° Si sacerdos celebrans moriatur vel corripiatur morbo post consecrationem, nec adsit sacerdos jejunus qui missam absolvere possit.

5° Si sacerdos, jàm ad altare existens recordetur se non esse jejunum, et sine scandalo discedere nequeat. Vel si in sumptione sacramenti advertat se aquam loco vini in calicem infudisse : tunc potest, imò tenetur consecrare, aut novam hostiam simul cum vino, aut vinum solum.

6° Si missa celebranda sit populo, et parochus non jejunus, nec possit alterum sacerdotem habere, nec

(1) Vid. Bened. XIV, *de Synod.* lib. VII, cap. 12, n. 4 et 5; S. Lig. n. 285, et *Hom. ap.* tract. 15, n. 46 et 47.

(2) Itâ, cum Elbel et aliis, P. Gury, tom. II, n. 242.

missam omittere absque gravi incommodo, v. g. quia ex omissione missæ, præsertim in die magnæ festivitatis, orirentur murmurationes, scandala; modò tamen nemo sciat parochum non esse jejunum, aliàs enim majus scandalum oriretur (1).

7° Si sacerdos, post sumptas ablutiones, detegat fragmenta à se consecrata : tunc ea sumere debet etiam in sacrario, modò vestibus sacris adhuc indutus sit; quia eorum sumptio est complementum ejusdem sacrificii. Si autem sacras vestes jàm deposuerit, aut si relicta fuerint fragmenta ex alio sacrificio, vel ex eodem sacrificio integra hostia sive magna sive parva, ea sumere non potest, nisi reverenter servari nequeant (2).

Dicimus III. *in communione paschali fidelis tenetur servare præscriptiones Ecclesiæ,*

1° Circa *modum :* scilicet tenetur ad dignam communionem. Undè ab Innocentio XI damnata est propositio sequens, n. 55 : *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

2° Circa *tempus :* scilicet tenetur communicare tempore paschali. Tempus autem paschale, ex declaratione Eugenii IV in bullâ *Fide digna* an. 1440, currit à dominicâ Palmarum usque ad dominicam in Albis inclu-

(1) DD. Gousset, tom. II, n. 197. Si populus moneri possit, et nullum timendum sit scandalum, sacerdos non jejunus celebrare nequit eâ tantùm ratione, scilicet ne populus missâ careat die dominico aut festo.—Probabilius etiam sacerdos non jejunus celebrare nequit ad præbendum Viaticum moribundo. Vid. Bened. XIV, *de Sacrif. mis.* cap. 12, n. 8; S. Lig. n. 286.

(2) Vid. fus. Bened. XIV *de Sacrif. mis.* lib. III, cap. 17, n. 2 et seq.; S. Lig. n. 288; D. Richaudeau, cap. 4, n. 17 et seq.; De Herdt, p. 3, n. 15, etc.

sivè. Episcopi tamen ex privilegio, vel consuetudine, possunt hoc tempus pro circumstantiis prorogare, ut passim solent. *S. Lig.* (1).

Hæc autem determinatio non fit ad finiendam, sed potiùs ad urgendam obligationem. Undè, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, qui tempore paschali communionem omisit, licèt non adimpleverit, nec jàm adimplere possit partem legis quæ præscribit communionem in paschate ; nihilominùs tenetur quamprimùm communicare, si à præcedenti paschate non communicaverit. Siquidem ex Concilio Trid. tenetur eucharistiam suscipere *singulis annis*. — Dicimus : *si à præcedenti paschate* non communicaverit. Nam, ut observat Billuart, « si in decursu anni com-
» municavit, videtur quòd possit differre usque ad
» finem anni, computando à tempore quo ultimò
» communicavit, ut sic ultra annum non differat
» communionem, quod est quod intendit præcep-
» tum (2). »

3° Circa *locum:* scilicet, tenetur communicare in parochiâ domicilii, vel quasi-domicilii; et quidem de manu parochi, vel alterius sacerdotis explicitè vel interpretativè delegati.

Dicimus IV. *nisi adsint rationes dispensantes:* Dispensant autem

1° Licentia episcopi quoàd tempus et locum; licentia parochi quoàd locum.

2° Impossibilitas physica aut moralis. Sic indisposi-

(1) *Hom. ap.* tract. 12, n. 39.
(2) Billuart, *de Euch.* dis. 6, art. 1.

tus tempore paschali potest de consilio confessarii post illud tempus communionem differre.

3° Dispensantur etiam quoàd locum sacerdotes qui, ex consuetudine, præcepto satisfaciunt ubivis celebrent.

Dicimus V. *fideles tenentur sub gravi*, 1. ad jejunium naturale, ità ut infractio præcepti non admittat levitatem materiæ, nec dispensationem ex parte superioris, nisi R. Pontificis; 2° ad circumstantias temporis et loci; ità ut tamen obligatio illa dispensationem ex parte superioris admittere possit, ut suprà vidimus.

ERRATA.

Paginâ.	Lineâ.	
17	1	*loco* in Joan. S. *lege* in Joan. — S.
42	17	*loco* misit Euseb. *lege* misit. Euseb.
64	27	*loco* qui sess. *lege* quod in sess.

THEOLOGIA

DOGMATICA ET MORALIS.

Propriété.

LONS-LE-SAUNIER, IMPRIMERIE ET LITHOGRAPHIE DE A. ROBERT.

THEOLOGIA

DOGMATICA ET MORALIS

AD USUM SEMINARIORUM,

AUCTORE

J. J. FRAIGNIER

S. THEOLOGIÆ PROFESSORE IN SEMINARIO LÆDONENSI

(DIOECES. SAN-CLAUDIENSIS).

Opus revisum et auctum à Professoribus ejusdem Seminarii.

DE EUCHARISTIA ET POENITENTIA.

LÆDONE,

IN MAJORI SEMINARIO.

PARISIIS,

APUD J. LECOFFRE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS,

Viâ vulgò dictâ du Vieux-Colombier, 29.

MDCCCLIX.

DE POENITENTIA.

DE PŒNITENTIA (1).

Pœnitentia, juxta dogma catholicum, definiri potest: *Sacramentum novæ legis, quo peccata post Baptismum commissa remittuntur fidelibus contritis, confessis, satisfactionemque promittentibus, per validam sacerdotis absolutionem.*

Dicimus: *Sacramentum novæ legis;* quæ vox jàm explicata est ubi de *Sacramentis in genere;* — *quo remittuntur peccata post Baptismum commissa:* his verbis designatur finis sacramenti Pœnitentiæ, scilicet remissio peccatorum post Baptisma commissorum: etenim peccata Baptismum præcedentia per sacramentum Baptismi remittuntur; — *fidelibus contritis, confessis satisfactionemque promittentibus:* quæ verba indicant personam conditionesque subjecti; personam: scilicet fideles, seu qui Baptismum susceperunt; conditiones: quæ sunt contritio, confessio et satisfactio; — *per validam sacerdotis absolutionem:* quibus verbis designantur 1. minister, seu sacerdos, 2. actio, quâ peccata remittit, seu absolutio; potestas enim remittendi peccata exercetur per modum judicii, seu per absolutionem validam.

Veritas hujus definitionis ex infrà dicendis constabit.

(1) Pœnitentia spectari potest, in quantùm est *virtus*, et in quantùm est *sacramentum*. De pœnitentiâ sub priori respectu consideratâ, alibi dicemus.

I.

PARS DOGMATICA.

Dicendum 1° de institutione, 2° de conditionibus, 3° de effectibus sacramenti Pœnitentiæ.

CAPUT I.

DE INSTITUTIONE.

Duo sunt quærenda : 1° utrùm, 2° quandò Christus instituerit sacramentum Pœnitentiæ.

QUÆSTIO I.

Utrùm Christus instituerit sacramentum Pœnitentiæ?

Præmittenda. Divinam sacramenti Pœnitentiæ institutionem diversimodè diversis temporibus impugnârunt hæretici : ab aliis enim quoàd partem labefactata, ab aliis penitùs rejecta fuit. — Ad priorem hæreticorum classem inter alios pertinent Montanistæ, qui sæculo II, et Novatiani, qui circa medium sæc. III, negârunt graviora peccata post Baptismum commissa clavibus Ecclesiæ posse remitti. Ad posteriorem verò 1. Lutherus, qui, priùs pro tempore retentis tribus sacramentis, Baptismo, Pœnitentia et Pane, omninò posteà rejecit Pœnitentiæ sacramentum, utpotè carens signo visibili et divinitùs instituto; 2. Calvinus, asserens Pœnitentiam non distingui à Baptismo, cujus memoriâ, excitatâ fide, remittuntur peccata post Baptismum commissa.

Contra quos sit propositio sequens :

Christus instituit sacramentum Pœnitentiæ, in sensu definito, *sacramentum à Baptismate distinctum.*

Quæ propositio potest probari directè, indirectè.

PROBATIONES DIRECTÆ.

Argum. — Vera propositio, si 1° Christus Apostolis eorumque successoribus concesserit potestatem remittendi quæcumque peccata post Baptismum commissa, potestatem judicialem, annexam habentem facultatem imponendi pœnas pro peccatis; — potestatem, cujus efficientia supponit in subjecto contritionem, confessionem satisfactionisque propositum; — potestatem, quæ exercetur per validam sacerdotis absolutionem;

si 2° exercitium prædictæ potestatis sit sacramentum propriè dictum;

si 3° sacramentum istud sit à Baptismo distinctum.

Atqui hæc tria sunt certa.

Ia Pars Argum.

Christus Apostolis eorumque successoribus concessit potestatem remittendi... — potestatem cujus efficientia supponit... etc.

Probandæ seorsim singulæ propositionis partes.

§ I. — Christus Apostolis eorumque successoribus concessit

I. Potestatem remittendi quæcumque peccata post Baptismum commissa:

Prob. 1a. *Script.* Christus Apostolis distinctè promisit se ipsis daturum potestatem remittendi peccata quæcumque, sine ullo discrimine graviorum aut leviorum, Matth. 18,18: *Amen dico vobis, quæcumque alli-*

gaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. Et, Joan. 20, 21, promissam potestatem de facto contulit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo Apostolis...

Ergo eamdem potestatem in Apostolorum personâ concessit eorum successoribus. Etenim eadem ratio, quæ Christum impulit ut Apostolis daret potestatem dimittendi peccata, exigit etiam ut prædicta potestas in Ecclesiâ perduret. Convincit etiam analogia quam præcitata concessio cum aliis habet Christi sententiis, v. g. de institutione Baptismi, de prædicatione Evangelii, quas ne adversarii quidem negant ad totam Ecclesiam pertinere. Concordat traditio constans et sensus Ecclesiæ: Undè,

Prob. 2ª. *Tradit.* Testim. PP. Sequentia seligimus. S. Pacian. ep. 1 ad Sempron. novatian. n. 6: *Solus hoc* (ignoscere pœnitenti), *inquies, Deus poterit. Verum est: sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit:* Quæ ligaveritis in terris, ligata erunt et in cœlis: et quæcumque solveritis, etc.? *Cur hoc, si ligare hominibus ac solvere non licebat? An tantum hoc Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum Sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare: quia totum hoc, non aliis quam Apostolis imperatum est. Quod si uno in loco et resolutio vinculorum et sacramenti potestas datur; aut totum ad nos ex Apostolorum formâ et potestate deductum est; aut nec illud ex decretis relaxa-*

tum est... Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum ad episcopos inde descendit; et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi. Idem, ep. 3, n. 12, probat hanc potestatem extendi ad omnia peccata: *Quæcumque solveritis, inquit* (Christus), *omnino nihil excipit. Quæcumque: vel magna, vel modica.* S. Ambros. de Pœnit. lib. 2, cap. 2, n. 7: *Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti, concessit hoc Christus Apostolis, quod ab Apostolis ad sacerdotum officia transmissum est.* — Idem docent SS. Cyprian. ep. 54 ad Cornel. P.; Joan. Chrysost. de Sacerdot. lib. 3, cap. 5; Hieronym. ep. 1 ad Heliodor.; Augustin. serm. 351, cap. 4, n. 9; Leo, ep. 91, cap. 2, etc. — Vid. etiam textus paulò infrà relati ubi de Confessione.

Historiâ ecclesiasticâ constat Montanistas et Novatianos, statim ac potestatem remittendi peccata denegârunt Ecclesiæ, ubique pro hæreticis habitos fuisse, Romæ præsertim à S. Cornelio P., in Africâ à S. Cypriano, et in generali concilio Nicæn. I, can. 8. Ecclesia proindè tenebat omnia peccata post Baptismum commissa pastorum ministerio posse remitti.

Prob. 3ª. Concil. Trid. sess. 14, cap. 1; et can. 3: *Si quis dixerit verba illa Salvatoris:* Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt: *non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit... anath. sit.*

II. Prædicta potestas remittendi et retinendi peccata judicialis est:

Prob. 1ª. Verbis Christi: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* Ergo ex mente Christi, Apostolos eorumque successores mittentis sicut Ipsum miserat Pater, scilicet eos relinquentis sui vicarios ad salutem animarum, peccata non sunt indiscriminatim et arbitrario modo remittenda vel retinenda. Ergo ex mente Christi, sacerdotes potestatem clavium obtinentes tenentur de peccatis remittendis vel retinendis judicare, et, solummodò post informatam causam, sententiam alligantem aut solventem ferre.

Prob. 2ª. Constantî SS. PP. traditione. Patres enim, quandò de potestate illâ loquuntur, passim docent sacerdotes jus dicere, judicium facere, sententiam pronuntiare. Sic S. Hieronymus, ep. ad Heliodor. n. 8: *Absit*, inquit, *ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt..., qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante diem judicii judicant.* S. Joan. Chrysost. homil. 5 de verb. Isaïæ: *A terrâ judicandi auctoritatem sumit cœlum. Nam Judex sedet in terrâ, Dominus sequitur servum.* S. Innocentius I, ep. 1 ad Decent. cap. 7: *De pondere æstimando delictorum sacerdotis est judicare.* S. Greg. Magn. homil. 26 in Evang. exponens hæc verba: *Quorum remiseritis...* ait: *Principatum superni judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.*

Prob. 3ª. Concil. Trid. sess. 14, cap. 5: *Dominus noster Jesus Christus, è terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et judices; ad quos omnia mortalia crimina de-*

ferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient.

III. Prædicta potestas annexam habet potestatem imponendi satisfactiones pro peccatis :

Prob. 1ª. Ex institutione Christi, sacerdotes, pœnitentiæ ministri, constituti sunt judices ac medici pœnitentium. Ergo, vi potestatis clavium facultatem habent pœnas pro peccatis imponendi, si facultas illa ipsis necessaria sit, tùm ad salvanda divinæ justitiæ jura, tùm ad procurandum bonum spirituale fidelium. Porro rem ità esse infrà videbimus.

Prob. 2ª. Verba Christi : *Quæcumque alligaveritis*, sunt generalia ; ergo intelligi debent, non solùm de potestate retinendi peccata impœnitentibus, sed etiam de facultate pœnitentes ad opera satisfactionis alligandi. Ità insuper interpretatur Conc. Trid. sess. 14, cap. 8.

Prob. 3ª. Tradit. 1. Usu constanti Ecclesiæ. 2. Testim. SS. PP., quos inter, S. Leo Magn. ep. 108 (aliàs 83 aut 91) ad Theodor. Forojul.: *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Prob. 4ª. Concil. Trid. sess. 14, can. 15: *Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dùm imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi... anath. sit.*

§ II. — Efficientia potestatis prædictæ supponit in fidelibus contritionem, confessionem satisfactionisque propositum (1).

Prob. gener. Concil. Trid. sess. 14, can. 4 : *Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti Pœnitentiæ, videlicet,* contritionem, confessionem, *et* satisfactionem, *quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, quâ credit quis sibi per Christum remissa peccata, anath. sit.*

Prob. p. part.—1ª *p.* Efficientia... supponit *Contritionem* (2).

Res ità est, si 1° in genere ad remissionem pecca-

(1) Pseudoreformati, licèt rejicientes Pœnitentiam è numero sacramentorum, quamdam nihilominus lapsorum reconciliationem admittunt. Quonam autem modo dicta reconciliatio fiat, in eo, sicut in multis aliis explicandis, ipsi secum et inter se pugnant. — Lutherus, teste Pallavicino, *Histor. Conc. Trid.* lib. XII, cap. 10, duas tantùm admittit partes Pœnitentiæ, terrores scilicet propter minas legis conscientiæ incussos, et fidem sive ex Evangelio sive ex absolutione conceptam, quâ credit pœnitens sibi propter Christum peccata esse remissa. Calvinus totam Pœnitentiæ rem ponit in *mortificatione* vitiorum, et *vivificatione*, quæ pium est bene vivendi studium: juxta ipsum, pœnitentia nihil aliud est quàm resipiscentia et emendatio vitæ. Vid. Bellarmin. *Controv. de Pœnit.;* Mœhler, *Symbolique,* liv. I, chap. 4, § 32 et 33, etc.

(2) *Contritionis* nomen usurpant scriptores ecclesiastici *ductâ similitudine à rebus corporeis, quæ minutatim-saxo aut duriore aliquâ materiâ confringuntur, ut eo vocabulo declaretur corda nostra, quæ superbiâ obduruerunt pœnitentiæ vi contundi atque conteri.* Catech. Concil. Trid. part. 2 *de Pœnit.* n. 33.

torum, quocumque modo fiat, jure divino requiratur contritio in sensu catholico intellecta, si 2° in specie ad remissionem peccatorum per sacramentum obtinendam, quidam hujusmodi contritionis motus requiratur. Atqui,

I. In genere, ad remissionem peccatorum, jure divino requiritur contritio in sensu catholico intellecta :

Pr. Juxta Concil. Trid. sess. 14, cap. 4, contritio est *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*. Undè

1° Requiritur *dolor* ac *detestatio* de peccato commisso :

Siquidem 1. Deus, essentialiter sanctus, gratiam suam concedere non potest homini, cujus, per peccatum et quandiù durat status peccati, voluntas fuit remanetque ad creaturam conversa. Posito autem ordine divinitùs instituto, voluntas peccatoris ad creaturam manet conversa, donec ad Deum à creaturâ liberè se converterit, seu quod idem est, donec de peccatis doluerit eaque detestata fuerit; etenim ubi peccati detestatio non est, manet affectus ad peccatum, et aliundè detestatio peccati quatenus est offensa Dei in animo peccatoris absque dolore concipi non potest. — 2. Ezech. 18, 31 : *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras... et facite vobis cor novum et spiritum novum*. Joel, 2, 12 : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu; et scindite corda vestra et non vestimenta vestra*. Luc. 13, 5 : *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*. Ex his plurimisque aliis scripturæ locis constat ad remissionem peccati requiri pœnitentiam, seu, non so-

am consilii mutationem et pium benè in posterum vivendi studium, sed etiam præteriti peccati dolorem ac detestationem. — 3. Consonant SS. Patres, inter quos S. August. sérm. 351, n. 12 : *Non sufficit ad pœnitentiam mores in melius mutare, et à factis malis recedere ; verum etiam de his quæ facta sunt satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.* — 4. Concil. Trid. sess. 14, cap. 4, docet : *Fuit quovis tempore, ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Et infrà declarat *hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere.*

2° Requiritur *propositum non peccandi de cætero :* Etenim 1. ex dictis requiritur odium ac detestatio de peccato commisso ; ergo et propositum non peccandi de cætero : siquidem ex odio peccati necessariò fluit propositum illud vitandi, aversatur nempè voluntas ab eo quod odit et detestatur. 2. Idem clarè constat scripturâ, traditione definitionibusque Ecclesiæ (1).

II. Ad remissionem peccatorum per sacramentum obtinendam, quidam hujusmodi contritionis motus requiritur : Licèt enim per institutionem sacramenti remissio peccatorum facilior evenerit, nec tàm per-

(1) Appositè D. Thomas, 3 p. q. 86, art. 2 : *Offensa peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est adversa à Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile ; unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ et proposito emendæ.*

fectus intra quàm extra sacramentum doloris gradus ad justificationem obtinendam requiratur; aliqualem nihilominùs etiam in sacramento requiri contritionem 1. convincit ratio, cùm, absque conversione ad Deum per contrariam actionem, ad gratiam rectè dispositus censeri nequeat, qui propriâ voluntatis actione à Deo fuerat per peccatum aversus; 2. clarè confirmat traditio constans ac doctrina Ecclesiæ.

Qualis autem contritionis motus in sacramento requiratur, inferiùs dicemus.

2ª *p.* Efficientia potestatis remittendi peccata supponit *Confessionem.*

Pr. 1ª. Superiùs concludimus ex verbis Christi: *Quorum remiseritis peccata...* potestatem remittendi peccata esse judicialem, seu exercendam per modum judicii. Porro in omni judicio, ac proindè in judicio de peccatis, informatio causæ sententiæ judicis præmittenda est. Informatio autem causæ, cùm agitur de peccatis, per solam confessionem fieri potest. Res patet, si quæstio sit de peccatis internis, quæ à solo pœnitente cognoscuntur. Patet etiam, si agatur de peccatis externis; etenim actio peccaminosa rationem peccati formalis habet ex actu libero voluntatis, qui soli pœnitenti innotescit. Ergo (1).

(1) Multa alia prætermittimus, tùm Vet. tùm Nov. Testam. testimonia, quæ tamen fatemur plurimum valere ad illustrandum dogma catholicum. — Ejusmodi sunt 1° testimonia quæ Bellarminus figuras vocat et indices confessionis sacramentalis (*de Pœnit.* lib. III, cap. 3): hujus generis reperiuntur figuræ in Genes. capp. 3 et 4; Levit. capp. 13 et 14, confirm. ap. Matth. 3, 6; Numer. cap. 5; Eccles. 4, 31. Aliæ et occurrunt in Nov. Test., scilicet ap Matth. 3, 6; ac

Pr. 2ª. *Tradit.* Vera propositio, si dogma de necessitate confessionis ad remissionem peccatorum per potestatem clavium originem habeat à Christo. Originem habet à Christo, si de illo dogmate nec Apostoli neque Christiani innovàrunt. Atqui,

I. Non innovàrunt Apostoli : Alioquin dicendum foret Apostolos potuisse innovare circa alia dogmata ; corrueret proindè christianæ religionis certitudo.

II. Nec innovàrunt Christiani :

Constat 1° testimoniis SS. PP. quæ supponunt aut explicitè probant dogma de necessitate confessionis à primævis sæculis in Ecclesiâ vigere (1).

præsertim ap. Joan. cap. 11, figura ex Lazari suscitatione petita, quam Patres plurimi, et inter cæteros S. Ambros. *de Pœnit.* lib. II, cap. 7, S. August. tract. 49 in Joan. et alibi, S. Greg. Magn. homil. 26 in Evang., de resurrectione peccatoris per sacramentalem confessionem exponunt. — Sunt 2° alia quædam testimonia N. Test. quæ propriè confessionem, utpotè jàm instituto sacramento, indicare videntur; scilicet, Act. 19, 18; I Joan. 1, 9; Jacob. 5, 16. Sufficit autem textus ex Joan. 20, 23 superiùs allatus, quo et Conc. Trid. et Catechism. Rom. ad probandum dogma catholicum utuntur. De cæteris vid. Bellarm. loc. cit. cap. 4, et alios theologos.

Inter alia, vid. opus DD. Gerbet, *Vues sur le dogme catholique de la Pénitence,* in quo præclarè exponuntur, et figuræ christianam confessionem adumbrantes, cujusdam confessionis usus apud populos, et harmoniæ hujus institutionis cum ordine generali Redemptionis humanæ, imò et conformitas ritûs externi confessionis cum ipsius hominis naturâ.

(1) Testimonia Patrum afferimus ex editionibus à D. Migne in *Patrologiæ* tùm latinæ tùm græcæ *cursu completo* insertis.

Perpaucos inter sæculi I scriptores, de confessione peccatorum quædam occurrit mentio ap. S. Barnab., epist. n. 161. A pluribus etiam laudatur locus 2 epist. ad Cor. S. Clementi R. adscriptæ : *Quandiu sumus in hoc mundo, de malis quæ in carne gessimus ex toto corde resipiscamus, ut à Domino salvemur, dùm habemus*

Sæc. II. S. Irenæus, contr. hær. lib. 1, cap. 13, n. 5, de quibusdam mulieribus quas circumvenerat Marcus hæreticus, scribit : *Hæ sæpissimè conversæ ad Ecclesiam Dei, confessæ sunt... valdè illum se dilexisse.* Et infrà, de aliâ muliere pariter ab eodem seductâ, ait : *Cùm magno labore fratres eam convertissent, omne tempus in exomologesi consummavit, plangens et lamentans, ob hanc quam passa est ab hoc mago corruptelam.*

Tertullian. de Pœnit. cap. 10 : *Plerosque hoc opus* (exomologeseos) , *ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo; pudoris magis memores quàm salutis : velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, et ità cum erubescentia sua pereunt... Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proindè et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quàm palàm absolvi?* Idem, cap. 12, apertè dicit *institutam à Domino exomologesim.*

Sæc. III. Origenes, in Levit. homil. 2, n. 4 : *Est adhuc et septima, licèt dura et laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lavat peccator in lacrymis stratum suum... et cùm non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere me-*

tempus pœnitentiæ. Postquàm enim e mundo exivimus, non ampliùs possumus ibi confiteri, aut pœnitentiam adhuc agere. Quidquid autem sit de authenticitate 2æ. hujus S. Clem. epist., sat concluditur fides primi sæculi ex fide sequentium sæculorum.

dicinam... In quo impletur et illud, quod Jacobus apostolus dicit: Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiæ... Et, homil. 3, n. 4 : *Omni genere pronuntianda sunt et in publicum proferenda cuncta quæ egerimus, si quid in occulto gerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta commisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri: proferri autem ab illo qui et accusator peccati est et incentor. Ipse enim nunc nos ut peccemus instigat, ipse etiam cum peccaverimus accusat. Si ergo in vita præveniamus eum, et ipsi nostri accusatores simus, nequitiam diaboli inimici nostri et accusatoris effugimus.* Idem, homil. 17 in Luc. docet delenda fore peccata nostra, *si revelaverimus (ea) non solum Deo, sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis.*

S. Cyprian. de Lapsis, n. 28 : *Quanto et fide majores et timore meliores sunt qui, quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes, exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse: Deus non irridetur.* Et, n. 29 : *Confiteantur singuli, quæso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Deum grata est.*

Sæc. IV. Lactantius, lib. 4 Institut. cap. 30, contra Novatianos confessionem ponit pro notâ veræ Ecclesiæ : *Sed tamen,* inquit, *quia singuli quique cœtus hæretico-*

rum se potissimum christianos, et suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est illam esse veram, in qua est confessio et pœnitentia, quæ peccata et vulnera, quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.

S. Basilius, in Regul. brev. tract., in resp. ad Interrog. 129 : *Servanda est,* ait, *ratio eadem in peccatorum confessione, quæ in detegendis corporis morbis adhibetur. Quemadmodum igitur corporis morbos non omnibus patefaciunt homines, neque quibusvis, sed iis qui horum curandorum periti sunt : ita fieri quoque debet peccatorum confessio, coram iis qui curare hæc possint, proùt scriptum est : Vos qui fortes estis, infirmitates debilium portate.* Et, in resp. ad Interrog. 288 : *Quoniam conversionis modus debet peccato congruere, ac etiam opus est fructibus dignis pœnitentiæ, juxta hanc sententiam :* Facite fructus dignos pœnitentiæ... *peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est.*

S. Gregor. Nyssen. Orat. *in eos qui alios acerbè judicant,* scribit : *Major in eo tibi fiducia sit, qui te in Deo genuit, quàm in illis à quibus corpore procreatus es. Audacter ostende illi quæ sunt recondita. Animi arcana tanquam occulta vulnera medico detege. Ipse et honoris, et valetudinis tuæ rationem habebit.* Et paulò infrà : *Tu verò cujus animus æger est, cur non ad medicum properas? Cur non ei confitendo morbum ostendis tuum?*

Sæc. V. S. Joan. Chrysost. homil. 50 in Genes. *Quia in magnam hanc hebdomadam Dei gratia pervenimus, nunc maxime jejunii cursus intendendus, et ferven-*

tiores fundendæ preces, faciendaque diligens et pura peccatorum confessio.

S. Hieron., in Evang. Matth. lib. 3, cap. 15, vers. 19, in hæc verba *Quodcumque ligaveris : Alligat,* inquit, *vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt, vel noxii; sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus.*

S. Augustin. conc. 2 in Ps. 101 : *Cùm audis hominem pœnitere peccatorum, jàm revixit; cùm audis hominem confitendo proferre conscientiam, jàm de sepulchro eductus est, sed nondùm solutus est. Quandò, et à quibus solvitur? Quæ solveritis in terrâ, inquit Christus, erunt soluta et in cælo.* Idem, serm. 351 de Pœnit. n. 9 : *Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesiæ, quibus solvatur in terrâ ut sit solutus in cælo... Veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur... A præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum. Ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset.*

S. Leo M. ep. 168 (aliàs 80 aut 136) ad epp. Campaniæ, cap. 2, usum, quibusdam in locis vigentem, singula peccata libellis scripta publicè recitandi, constituit submoveri tanquàm *præsumptionem contra apostolicam regulam... Cùm,* ait, *reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione se-*

cretà... Sufficit enim, addit paulò infrà; *illa confessio quæ primum Deo offertur, tùm etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tùm enim demùm plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.*

Sed ista sufficiant (1). — Undè sic : confessio est accusatio peccatorum facta sacerdoti competenti ad veniam virtute clavium obtinendam. Porro testimoniis citatis, præsertim conglobatim sumptis, constat SS. Patres hanc peccatorum accusationem tenuisse tanquàm necessariam jure divino.

Constat 2° doctrinâ de divinâ confessionis institutione ac necessitate, et usu confessionis apud Græcos, Armenos, Coptos, Æthiopes aliasque sectas orientales Nestorianorum et Monophysitarum, quæ à sæculo V ab Ecclesiâ Romanâ sunt separatæ : ut fusè demonstrat Renaudot, *Perpétuité de la foi*, tom. 5, liv. 3, chap. 3 et suiv.; liv. 4, ch. 1 et suiv.

Christianos non innovâsse constat 3° impossibilitate innovationis.

Nam, ut vidimus ubi de *Sacram. in gen.*, Christiani non potuerunt innovare circa dogma de septenario sacramentorum numero ; ergo à pari, imò et à fortiori non potuerunt innovare circa dogma de necessitate con-

(1) Qui numerosiora Veterum testimonia perlegere voluerit, adeat Bellarmin. *de Pœnit.* lib. III, à cap. 6 ad 11 ; Natal. Alex. Theol. dogm. *de Pœnit.* cap. 5; Denis de Sainte-Marthe, *Traité de la Confession;* Drouin, *de Re Sacramentaria;* Lettres de Scheffmacher, 4e lettre ; D. Trevern, *Discussion amicale sur l'Eglise anglicane*, lettre 11e; Tournely, Collet, etc., etc.

fessionis. — Dicimus *à pari :* rationes enim quæ obstant possibilitati innovationis circa prius dogma, obstant etiam quin circa posterius innovatio fieri potuerit. *A fortiori :* siquidem dogma et præceptum confessionis magis contradicit ac repugnat hominum passionibus et præsertim superbiæ, quàm dogma de septenario sacramentorum numero.

Pr. 3ª. Concil. Trid. sess. 14, can. 6 : *Si quis negaverit confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino... anath. sit.* Vid. et can. 7.

3ª *p.* Efficientia potestatis remittendi peccata supponit *propositum Satisfactionis.*

Prænot. Satisfactio definiri potest : solutio debiti erga Deum ex peccato contracti ; seu voluntaria acceptatio et perpessio pœnæ temporalis, ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, redimendamque pœnam graviorem (1).

(1) Hâc generali satisfactionis definitione, omne comprehenditur genus pœnæ quam pro peccatis homo sustinere potest. Omnis autem satisfactio, ad Pœnitentiam, ut sacramentum est, minime pertinet ; sed illa tantum sacramenti pars censenda est, quam dicemus ex præcepto sacerdotis Deo pro peccatis dependi. *Catech. Conc. Trid.* part. 2 *de Pœnit.* n. 89.

Pseudoreformati, omnem pœnitentiam in mutatione vitæ reponentes, eo ipso satisfactionis humanæ necessitatem rejecerunt. Catholicam aliundè doctrinam de satisfactionis necessitate impugnârunt, docentes 1. remisso culpæ ac pœnæ æternæ reatu, nullam deinceps superesse pœnam temporalem in ultionem culpæ deletæ luendam, 2. hominem non posse veram Deo satisfactionem pro peccatis exhibere, proindè omnia satisfactionis opera esse tantum ad aliorum exemplum, scandali reparationem, probationem morum. — Hinc ad plenam enuntiatæ propositionis probationem, priùs adstruen-

Pr. Ex dictis requiritur contritio, seu dolor ac detestatio de peccato, cum proposito non peccandi de cætero, seu servandi mandata, speciatim adimplendi quæ ad remissionem peccatorum obtinendam à Deo præcipiuntur. Ergo requiritur propositum satisfactionis, si 1° in genere ex ordine divinitùs instituto necessaria sit humana satisfactio pro peccatis, si 2° in specie cujusdam satisfactionis impositio necessaria sit in sacramento, eaque respectu subjecti veram induat naturam præcepti. Atqui

I. In genere, ex ordine divinitùs instituto, necessaria est humana satisfactio pro peccatis:

Nam 1° satisfactionem contineri inter actus ab homine lapso requisitos ad remissionem peccati, innuit ratio et explicitè docet scriptura, traditio, Ecclesia.

Innuit ratio: Etenim qui injuriam alteri intulit tenetur ad satisfactionem seu reparationem, nisi constet offensum renuntiare juri suo; porro per peccatum injuria Deo infertur, nec constat Deum renuntiare juri suo.

Explicitè docet 1. Scriptura: Joel. 2, 12: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et in fletu, et in planctu.* Daniel. 4, 24: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Luc. 3, 8: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Ex istis aliisque pluribus scripturæ locis patet conversionem peccatoris non importare solam vitæ mutationem, sed, præter cordis dolorem, fructus etiam pœnitentiæ

dum est dogma catholicum de necessitate satisfactionis in genere, dein speciatim probandum satisfactionem à sacerdote injunctam esse partem sacramenti.

per jejunia, fletus, eleemosynas, etc.— 2. Traditio. Unanimi ore satisfactionis necessitatem tradunt SS. PP. Satis sint Tertullian. de Pœnit. cap. 6: *Quam ineptum, quam iniquum pœnitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere, hoc est pretium non exhibere, ad mercem manum emittere! Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hâc pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.* S. Cyprianus, in lib. de Lapsis, totus est in probanda satisfactionis necessitate. Et in lib. de oper. et eleem. n. 5: *Remedia propitiando Deo ipsius Dei verbis data sunt, quid deberent facere peccantes magisteria divina docuerunt, operibus justis Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari.* S. Augustin. serm. 351, n. 12: *Non sufficit ad pœnitentiam,* etc. vid. supr. S. Ambros. de Pœnit. lib. 2, cap. 5: *Qui agit pœnitentiam, non solum diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatoribus factis operire et tegere delicta superiora, ut non ei imputetur peccatum suum* (1). — 3. Ecclesia. Praxis in Ecclesiâ semper viguit peccatoribus imponendi opera satisfactoria, sive ante sive post absolutionem peragenda; et quidem, non solùm in exemplum aliorum, scandali reparationem, sed, ut tradunt SS. PP., et in vindictam ac compensationem injuriæ Deo illatæ. Hinc definivit Conc. Trid. sess. 6,

(1) Ipsi Pseudoreformati fatentur sibi Patres contrarios esse. *Dicam simpliciter*, ait Calvinus, *Instit.* lib. III, cap. 4, n. 38, *omnes fere Patres quorum libri exstant, aut in hâc parte lapsos esse, aut nimis aspere et dure locutos.* — Vid. fus. testim. PP. ap. Bellarm. *de Pœnit.* lib. IV, cap. 9 et seq.; Nat. Alex. *Theol. dogm.* de Pœnit. lib. II, cap. 6, art. 2, etc.

cap. 14: *Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eâque contineri... satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes et alia pia spiritualis vitæ exercitia.* Et, sess. 14, cap. 8, docet satisfactiones non imponendas esse *tantùm ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.* — Ergo, ex ordine divinitùs instituto, quædam ab homine persolvenda est satisfactio in compensationem injuriæ Deo illatæ, nec in genere fit remissio peccati nisi sub conditione pœnæ cujusdam solvendæ.

2° Sæpiùs, remisso culpæ ac pœnæ æternæ reatu, superest in vindictam ejusdem culpæ debitum pœnæ temporalis in hoc sæculo vel in futuro luendæ. Ergo ad plenam peccati remissionem in hâc vitâ necessaria est satisfactio.

Sæpiùs, remisso... superest debitum, etc.: Constat 1. perspicuis et illustribus exemplis in S. Script. relatis, speciatim exemplo David (2 *Reg.* 12, 13), de quo S. Gregor. M. lib. 9, Moral. cap. 17: *Delinquenti Dominus nequaquam parcit, quia delictum sine ultione non deserit. Aut enim ipse homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit... Sic David audire post confessionem meruit:* Dominus transtulit peccatum tuum. *Et tamen multis pòst cruciatibus afflictus ac fugiens, reatum culpæ quam perpetraverat, exsolvit.* Eadem habet S. August. in Ps. 50 (1). Constat 2. fide et praxi Ecclesiæ. Fide nempè certum est existere purgatorium in quo animæ justorum temporales

(1) Fusiùs vid. Bellarmin. *de Pœnit.* lib. IV, cap. 2.

pœnas patiuntur pro peccatis quoàd culpam quidem dimissis, sed nondùm plenà satisfactione expiatis. Praxi, ut suprà diximus. Constat 3. definitione Conc. Trid. sess. 14, can. 12, anathema vibrantis contra dicentem *totam pœnam simul cum culpâ remitti semper à Deo*. Ergo.

Diximus: *in genere, sæpiùs*. Etenim aliquandò contingere potest ut eodem instanti, propter intensitatem doloris charitatisque fervorem, plena et perfecta sit justificatio peccatoris.

Ergo, etc. (1).

Observ. Diversimodè, juxta catholicam doctrinam, homo, per merita Christi, Deo satisfacere potest, scilicet : vel pœnis ab ipso susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis aut aliis pietatis operibus; vel pœnis à sacerdote injunctis; vel etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis et patienter toleratis. Ità definivit Conc. Trid. sess. 14, cap. 9 et can. 13. — Attamen,

II. Specialiter cujusdam satisfactionis impositio ne-

(1) Rationes et emolumenta satisfactionis sic tradunt Patres Tridentini, sess. 14, cap. 8 : *Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero qui semel à peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritûs Sancti dono, scientes templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ità nobis absque ullâ satisfactione peccata dimittantur, ut, occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur thesaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere à peccato revocant, et quasi freno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis; et vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.*

cessaria est in sacramento, eaque respectu subjecti veram induit naturam præcepti:

Nam 1° ex unâ parte hoc sacramentum institutum est ad modum judicii. Porro ad rationem judicii pertinet ut serventur justitiæ commutativæ jura, proindè ut pœna imponatur delinquenti ad solvendum debitum erga Deum ex peccato contractum. Ex alterâ parte, hoc sacramentum ordinatur ad curationem pœnitentium, proindè in eo præscribendæ sunt pœnæ medicinales, ad medendum præteritis peccatorum vulneribus occurrendumque futuris.

2° Satisfactio præcipitur in sacramento, si ministri possint ac debeant satisfactiones imponere sub præcepto. Atqui 1. possunt, ut suprà vidimus. 2. Debent: siquidem in administratione hujus sacramenti servare debent fines ac modum institutionis divinæ; porro ex finibus ac naturâ sacramenti constat necessariam esse impositionem satisfactionis. Undè Conc. Trid. sess. 14, cap. 8: *Debent sacerdotes Domini quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere... non tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.*

3° Innumeris Patrum et Conciliorum testimoniis constat hanc perpetuò praxim ac legem in Ecclesiâ viguisse, reconciliationem peccatoribus non dari, nisi injunctâ convenienti pœnitentiâ, sive ante sive post absolutionem persolvendâ.

4° Idem deducitur ex Conc. Trid. sess. 14, can. 15, supr. cit.

Ergo requiritur propositum satisfactionem à sacerdote injunctam adimplendi. Siquidem, si minister possit ac teneatur satisfactionem imponere, pœnitens tenetur eam acceptare: hæc enim duo sunt correlativa.

Sufficit autem ad valorem sacramenti propositum. Inferiùs enim, ubi *de Conditionibus* satisfactionis, probabimus ad validitatem sacramenti non requiri ut satisfactio ante absolutionem adimpleatur.

§ III. — Potestas remittendi peccata exercetur per absolutionem sacerdotis.

Seu: Per absolutionem sacerdotis verè et propriè dimittuntur peccata, non verò tantùm declarantur remissa (1).

Prob. 1ª. Matth. 18, 18: *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveritis*, etc. Joan. 20, 21: *Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos... Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, etc. Ergo Apostoli, et, in eorum personâ, sacerdotes, à Christo missi, sicut à Patre missus fuerat Christus, veram acceperunt potestatem solvendi, remittendi peccata, non verò tantùm facultatem declarandi peccata remissa. Ergo sententiæ ministri solventis, seu absolutioni, vera et propria inest vis remissiva peccati.

(1) Hæc propositio pugnat 1. contra Pseudoreformatorum errorem, qui solvendi potestatem Ecclesiæ concessam reponunt in exteriori ministerio, per quod declarant pastores sua credentibus peccata esse remissa: etenim, juxta ipsos, per solam fidem extrinsecam fit justificatio; 2. contra sententiam quorumdam scholasticorum, de quibus infrà.

Prob. 2ª. *Tradit.* Docent SS. PP. sacerdotum ministerio verè et propriè peccata dimitti. Sic S. Joan. Chrysost. de Sacerdot. lib. 3, n. 6: *Corporis lepram purgare, imò potiùs nullatenùs purgare, sed purgatos probare tantùm, Judæorum sacerdotibus licebat... Hi verò* (sacerdotes novæ legis) *non lepram corporis, sed immunditiam animæ, non purgatam probandi, sed prorsùs purgandi potestatem acceperunt.* — Docent peccata dimitti priùs in terris, sententiam Dei sacerdotis sententiam sequi: *Judex sedet in terrâ,* inquit idem Chrysost. de verb. Isai. *Vidi Dominum,* homil. 5, n. 1, *Dominus sequitur servum; et quidquid hic in inferioribus judicârit, hoc ille in superioribus comprobat.* — Docent sacerdotes eâdem auctoritate remittere peccata per pœnitentiam et per baptismum: *Cur baptizatis,* ait contra Novatianos S. Ambros. de Pœnit. lib. 1, cap. 8, *si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est: quid interest, utrum per pœnitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent?* Ergo (1).

Prob. 3ª. Conc. Trid. sess. 14, cap. 6: *Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solùm nudum ministerium, vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata; sed, ad instar actûs judicialis, quo ab ipso, velut à judice, sententia pronuntiatur.* Vid. et can. 9 ejusdem sessionis.

(1) Vid. fusiùs Tournely, *de Pœnit.* quæst. 2, art. 2.

II^a Pars Argum.

Exercitium potestatis remittendi peccata verum constituit sacramentum.

Prob. 1^a. In exercitio hujus potestatis continentur omnes sacramenti conditiones.

Adest enim 1° signum *gratiæ:* scilicet remissionis peccatorum, quæ non fit, nisi per infusionem gratiæ; 2° signum *sensibile:* remissio peccatorum fit per absolutionem, quæ legitimè concedi non potest, nisi pœnitens confessus fuerit peccata, et manifestaverit sacerdoti se esse contritum et habere propositum satisfactionis; porro absolutio, confessio, manifestatio contritionis et voti satisfactionis sunt res sensibiles; 3° signum *arbitrarium:* nam Christus potuisset instituere aliud signum ad remissionem peccatorum; 4° signum *symbolicum:* siquidem peccatum ex corde quasi expellitur per confessionem ac signa manifestantia contritionem satisfactionisque propositum, et destruitur per absolutionem; et sic symbolicè exprimitur remissio seu abolitio peccati; 5° signum *practicum:* quia, ut jàm diximus, absolutio, suppositis conditionibus præviis, remittit peccata, proindè gratiam confert; 6° *à Deo institutum:* siquidem ex verbis Christi in primâ propositione citatis concluditur simul potestas remittendi peccata, et modus remissionis; 7° *permanenter:* nam remissio peccatorum, quæ est scopus hujus institutionis, est permanenter utilis Ecclesiæ.

Prob. 2^a. Concil. Trid. sess. 14, can. 1: *Si quis dixerit in Catholicâ Ecclesiâ Pœnitentiam non esse verè et propriè sacramentum, pro fidelibus, quotiès post*

Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino Nostro institutum, anathema sit.

IIIª Pars Argum.

Pœnitentia est sacramentum à Baptismo distinctum.

Prob. 1ª. Pœnitentia distincta est à Baptismo, si hæc duo sacramenta inter se differant quoàd conditiones essentiales, scilicet, ministrum, elementa et subjectum. Atqui

1º Differunt quoàd ministrum : Nam minister pœnitentiæ est sacerdos, ut suprà probavimus ; sacerdos jurisdictionem habens, cùm potestas remittendi peccata exerceatur per sententiam judiciariam, quæ jurisdictionem supponit in judice. — Minister autem baptismi potest esse laïcus, etiam infidelis ; nec in eo requiritur jurisdictio, cùm baptismus non administretur per modum judicii.

2º Differunt quoàd elementa : Materia pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, confessio, contritio et satisfactionis propositum; forma est absolutio. Siquidem pœnitentia administratur per modum judicii ; porro, in judicio, materia est debita informatio causæ, forma est sententia judicis. — Econtrà in baptismo, materia est ablutio aquæ ; et forma *Ego te baptizo in nomine Patris*, etc., ut constat ex verbis quibus institutum est sacramentum baptismi.

3º Differunt quoàd subjectum : Infidelis non potest esse subjectum pœnitentiæ. Siquidem Ecclesia eos solos judicare potest, qui post baptismum ejus jurisdictioni subjecti sunt. — Solus verò infidelis potest

esse subjectum baptismi. Siquidem homo qui post baptismum factus est membrum Ecclesiæ, non potest validè rebaptizari.

Prob. 2ª. Passim tradunt SS. PP. peccata post baptismum commissa difficiliùs condonari quam peccata quæ baptismum præcedunt; lapsos post baptismum resurgere, non, ut volunt pseudoreformati, per memoriam baptismi, sed per labores pœnitentiæ, vi potestatis clavium, sacerdotum auctoritate. Explicitè docent baptismum esse distinctum à pœnitentiâ, quam vocant *secundam spem, secundam post naufragium tabulam, baptismum laboriosum et lacrymarum*, etc. (Vid. Bellarmin. *de Pœnit.* lib. 1, cap. 13.)

Prob. 3ª. Concil. Trid. sess. 14, can. 2: *Si quis sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non rectè secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.*

PROBATIO INDIRECTA.

Tempore Lutheri et Calvini possidebat dogma affirmans Pœnitentiam esse sacramentum propriè dictum, à Baptismo distinctum. Retinendum est proindè, aut ad illud redeundum, si nullis rationibus validis impugnetur; porro rem ità esse constabit ex refutatione objectionum.

Contra 1ᵃᵐ propositionem in probatione nostrâ inclusam, adversarii

Objiciunt 1° Christus nequidem Apostolis concessit potestatem remittendi peccata post Baptismum com-

missa. Nam 1. Deus solus offenditur per peccatum, ergo solus potest remittere offensam. 2. Apostolus ad Hebr. 6, 4, ait : *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati* (baptizati, baptisma enim dicitur illuminatio), *gustaverunt etiam donum cæleste* (per Eucharistiæ participationem), *et participes facti sunt Spiritûs Sancti* (per Confirmationem) ... *et prolapsi sunt; rursùs renovari ad pœnitentiam*. Et infrà cap. 10, 26 : *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia*. Ergo nulla est post baptismum remissio peccati, nulla proindè potestas remittendi.

Resp. ad 1um. Reverà Deus per peccatum offensus potest solus remittere offensam sibi illatam; illud autem jus exercere potest, vel per se, vel per ministrum à se delegatum. Posteriori modo agit in sacramento Pœnitentiæ.

Ad 2um. Certum est ex probationibus nostræ propositionis Christum Apostolis concessisse potestatem remittendi peccata. Ergo, cùm veritas sibi contradicere non possit, falsa est interpretatio textuum in objectione citatorum et conclusio ex eis deducta. Quod certè sufficit ad diluendam difficultatem nostram.

De sensu verò textuum qui nobis opponuntur, non concordant interpretes.

Quoad primum textum : Quidam arbitrantur Apostolum affirmare eos qui relapsi sunt post recepta sacramenta Baptismi, Eucharistiæ, Confirmationis, non posse expiare peccata per secundum baptismum. Ità SS. Ambrosius, Augustinus et alii plurimi ; hâc ratione nixi, quòd voces istæ *renovari*, *renovati* in pluribus Scripturæ

locis designent baptismum : sic Apostolus ad Tit. 3, 5, baptismum vocat *lavacrum regenerationis et renovationis*. — Juxta alios, Apostolus affirmat impossibilem esse pœnitentiam post baptismum non absolutè, sed moraliter tantùm ; seu, quod idem est, valdè difficilem esse pœnitentiam relapsis post baptismum, præsertim gravissimis peccatoribus et ingratissimis, putà apostatis, qui post tot insignia lumina et dona à Deo accepta, à verâ fide ad infidelitatem deficiunt, uti faciebant aliqui hebræi in judaismum relabentes (1).

Quoàd secundum textum : Docet Apostolus, vel secundum baptisma non superesse fidelibus post lapsum : vel apostatis à fide christianâ (qui in textu designantur his verbis : *voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis*), nullam existere hostiam pro peccatis ; ipsis enim non relinquitur Christus, cùm Christo renuntiaverint, nec alius mediator, cùm præter Christum nullus alius sit.

Objic. 2° Nihil probat potestatem remittendi peccata Apostolis concessam ad pastores Ecclesiæ transmissam fuisse.

Resp. Hoc probatur 1. ratione theologicâ : siquidem jura Apostolis concessa censeri non debent personalia et transitoria, sed potiùs realia et in successoribus Apostolorum per transmissionem permanentia, si horum jurium scopus et utilitas sint perpetua ; porrò res ità est in præsenti casu, homines enim usque ad consummationem sæculi remissione peccatorum indigebunt.

(1) Vid. Cornel. à Lapide, *Comment.* in D. Paul. ep. ad Heb. cap. 7, v. 6.

2. Idem probatur, ut vidimus, traditione et Ecclesiæ definitionibus.

Objic. 3° Contritionem et propositum satisfaciendi non requiri ad remissionem peccatorum, sed sufficere novæ vitæ institutionem. Nam 1. vox græca quâ scriptores sacri pœnitentiam designant significat tantùm mentis mutationem. 2. Gal. 6, 15 : *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet , neque præputium, sed nova creatura.* Ergo renovatio mentis et vitæ sufficit ad veram pœnitentiam, proindè ad remissionem peccatorum, proindè non requiruntur contritio satisfactionisque propositum.

Resp. Ad veram pœnitentiam sufficit quidem mutatio mentis, nova vita; sed mutatio mentis, nova vita includunt contritionem et propositum satisfaciendi. Includunt contritionem : mens enim ad creaturas per peccatum conversa non potest mutari, nisi ad Deum redeat per aversionem à creaturâ et conversionem ad Deum, seu, quod idem est, absque contritione. Item vita cordis in peccatore non potest fieri nova, nisi peccator odio habeat peccatum quod priùs diligebat, et Deum diligat quem priùs odio habebat. Includunt propositum satisfactionis : homo enim non potest Deum diligere, quin velit observare mandata ; porro satisfactio præcipitur, ut suprà ostendimus. Aliundè mutationem mentis, novam vitam in sensu Pseudoreformatorum non sufficere constat scripturâ, traditione et decisionibus Ecclesiæ.

Speciatim *objic.* minimè necessariam esse satisfactionem humanam pro peccatis. Nam 1. scriptura Vet. Test. docet Deum, quotiès remittit culpam, omnem

simul remittere pœnam, sic ap. Ezech. 18, 21 et seq. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis..., omnium iniquitatum ejus... non recordabor.* Et in Nov. Test. nusquàm legimus Christum peccata remisisse sub conditione pœnæ cujusdam solvendæ. 2. Nulla in baptismo satisfactio præscribitur ; ergo nec in pœnitentiâ præscribenda est. 3. Conc. Trid. sess. 6, can. 30, damnat eos qui negant sæpiùs remanere reatum pœnæ temporalis *vel in hoc sæculo, vel in futuro* luendæ. Ergo pœnitens potest ad futurum sæculum remittere solutionem pœnæ temporalis, proindè nec satisfactiones à sacerdote injunctas acceptare, nec alias suscipere in hâc vitâ tenetur.

Resp. ad 1um. In genere, non negamus Deum aliquandò, propter perfectam peccatoris conversionem, simul remittere omnem pœnam temporalem ; et Christum, sive ob rationem istam, sive ob excellentem auctoritatem quâ remittebat peccata, simul cum culpâ omnem potuisse pœnam condonare. Pœnam verò temporalem semper deleri cum culpâ, citatis exemplis probari non potest, contrariumque scripturâ probatur.

In specie, 1. ex eo quòd ap. Ezechielem iniquitas impii dicatur per conversionem deleri eodem modo quo per peccatum deleta dicitur justitia justi, solummodò concludi potest gratiam et jus ad mercedem æternam, quæ per peccatum amittuntur, per conversionem rursùs obtineri : nihil autem ampliùs. Sicut enim status peccati non impedit quin Deus impiis, ob quædam opera bona, aliqualem elargiatur mercedem temporalem : sic remissio culpæ et pœnæ æternæ non vetat quin, ob dimissas culpas, quædam imponantur

pœnæ temporales. 2. Argumentum ex Nov. Test. v. g. ex veniâ concessâ paralytico, mulieri pœnitenti, Petro, latroni, desumptum, merè negativum est. Aliundè flevit Petrus, et quidem amarè toto vitæ suæ tempore, ipsumque supplicium crucis patienter toleratum à latrone potuit in satisfactionem offerri.

Ad 2um. Magnum pœnitentiam inter et baptismum discrimen intercedit. Siquidem baptismus sacramentum est innovationis, *lavacrum regenerationis*, quo proindè omnis deletur culpa et pœna; pœnitentia verò sacramentum est sanationis, *laboriosus baptismus*, ut docent Patres, ideòque proprios requirit labores pœnitentis. — Aliundè, cùm graviora sint peccata quæ post baptismum perpetrantur, *divinæ justitiæ ratio exigere videtur*... etc. Vid. text. Conc. Trid. sess. 14, cap. 8 supr. cit. et sess. 6, cap. 14.

Ad 3um. 1. Ex Conc. Trid. sequitur tantùm in purgatorio subeundam esse pœnam temporalem quæ in præsenti vitâ soluta non fuit; minimè verò homini liberum esse solutionem pœnæ temporalis ad alterum sæculum remittere. 2. In specie, quoàd satisfactionem à sacerdote injunctam: negamus pœnitentem eam recusare posse. Siquidem, ut diximus, ministro jus et regulariter officium incumbit satisfactionem imponendi, sive ad integritatem sacramenti procurandam, sive ob alios fines superiùs enuntiatos. Proindè, ut ratiocinatur Bened. XIV, officio ministri respondet correlativum officium respectu pœnitentis (1). Quoàd verò

(1) Vid. Bened. XIV, Constit. *Inter præteritos* § 65, Bullar. Bened. tom. III, n. 21. Edit. Mechlin. vol. VIII, pag. 110. — Tenuerunt quidem Scotus, Navar. aliique theologi pœnitentem recusare posse

spontaneam satisfactionis susceptionem : resp. cum Liebermann : Non auderemus asserere eos novo peccato se obstringere, qui non plenè satisfaciunt in terris. Sed et hoc negare non possumus Dei voluntatem esse ut hìc pœnitentiam agamus. Et certè qui diceret se nolle pœnitentiam agere in hâc vitâ, is difficiliùs vitaret graviores culpas, et magnam sibi vindictam thesaurizaret pro futuro sæculo (1).

Objic. 4° Confessionem non esse necessariam jure divino ad remissionem peccatorum per potestatem clavium. Quia 1. nullibi in scripturis mentio est de necessitate hujus conditionis. 2. Confessio, de quâ agitur in textibus Patrum, est confessio publica peccatorum publicorum, quæ non divinâ, sed tantùm ecclesiasticâ lege præcipiebatur, ut constat ipsius abrogatione. 3. Origo ecclesiastica confessionis probatur specialiter facto Nectarii, patriarchæ Constantinopolitani, qui, circa finem sæculi IV, confessionem peccatorum abrogavit, uti narrant Socrates, lib. 5, c. 19, Sozomenus, lib. 7, c. 16. 4. Si necessitas confessionis in primis Ecclesiæ sæculis admissa fuisset, fideles sæpiùs ad confessionem confugissent; porro de hoc tacet historia ecclesiastica. 5. Ante tempora Innocentii III, scilicet ante sæculum XIII, multi negârunt necessitatem confessionis, nec damnati sunt ut hæretici.

Resp. ad 1um. Nulla quidem in scripturis occurrit

pœnitentiam à confessario injunctam. Dicendum tamen contrariam doctrinam adeò esse communem et Ecclesiæ decretis conformem, ut quidam eam judicaverint de fide, alii, cum Suarez, *de Pœnit.* disp. 38, sect. 7, doceant illam absque temeritate negari non posse.

(1) Liebermann, *de Pœnit.* cap. 4.

expressa mentio de necessitate confessionis: sed nihil indè. Nam 1. necessitas confessionis concluditur ex verbis quibus Christus Apostolis concessit potestatem remittendi peccata, ut suprà probavimus. 2. Quamvis nulla mentio explicita aut implicita de necessitate confessionis fieret in Scripturâ, hæc necessitas constare posset, et reverà in casu actuali constat traditione et fide Ecclesiæ.

Ad 2um. 1. Id unum affirmamus, videlicet confessionem quoàd substantiam esse juris divini; proindè thesis nostra probatur, sive Patres loquantur de confessione publicâ, sive de confessione privatâ.

2. Plures è Patribus, quorum testimonia citavimus, loquuntur de confessione privatâ peccatorum occultorum.

3. Secretam confessionem regulam fuisse confessionis vel pœnitentiæ publicæ et pœnitentiæ privatæ, constat pluribus veterum monumentis, specialiter Origene, homil. 2 in Ps. 37, n. 6. Ibi enim citatus auctor, postquàm docuit oportere peccatum *non celare intrinsecus*, sed confiteri: *Tantummodò*, addit, *circumspice cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba priùs medicum cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam: ut ità demum, si quid ille dixerit qui se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris. Si intellexerit et prœviderit talem esse languorem tuum qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat et curari, ex quo fortassis et cœteri ædificari poterunt, et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione,*

et satis perito medici illius consilio procurandum est. Idem tradit S. Augustin. serm. 351 de Pœnit. supr. cit. Undè videre est confessionem publicam pro judicio sacerdotis imponi in confessione privatâ per modum satisfactionis.

4. Discrimen est inter pœnitentiam publicam et publicam confessionem. — Valdè dubium est 1. an confessio publica semper comes fuerit pœnitentiæ publicæ; 2. an ulla unquàm fuerit lex ecclesiastica publicam præscribens peccatorum confessionem, etiam eorum quæ publicâ pœnitentiâ castigabantur. Superiùs retulimus textum S. Leonis M. constituentis submoveri, tanquam *illicitam usurpationem* ac *præsumptionem contra apostolicam regulam*, morem à fidelibus postulandi publicam recitationem singulorum peccatorum (1).

(1) De hâc quæst. seq. scribit Petavius, qui prorsùs negat ullam unquàm exstitisse legem Ecclesiæ decernentis peccata publicè proferri: « Fuerè qui nullam peccatorum genus a publicæ lege con» fessionis exciperent, ne occulta quidem: quos prudentiores cæteri » meritò rejiciendos putant. Alii publica duntaxat crimina, vulgoque » cognita publicæ illi professioni subjiciunt. Alii denique certa » duntaxat ex omnibus à pœnitentiæ præsidibus delecta contendunt. » Rursùs aliqui pœnitentes ipsos asserunt in concionem productos » sua propalam peccata confessos; alii, quo illorum pudori consu» leretur, eas partes sacerdotibus demandandas putarunt, qui aut » memoriter, aut ex scripto pœnitentium crimina in populum affer» rent. A quibus omnibus vehementer ego dissentio. Neque enim » adduci possum ut existimem legem ullam in Ecclesia fuisse un» quam ejusmodi, quæ peccata proferri publice decreverit. Fuerit » enim aliquis interdum, qui abundantia quadam doloris ac pietatis » delicta sua coram omnibus exposuerit: nequaquam tamen id in » exemplum consuetudinemque jure potest transferri. » Petav. not. ad op. S. Epiphan. *De Pœnit. vel. in Eccl. rat. diatriba*, Patrolog. græc. tom. XLII; Op. S. Epiphan. tom. II, col. 1037.—Vid. et Tournely, *de Pœnit.* quæst. 6, art. 4 *de secreto Confessionis;* Martene,

— Aliundè non omnia mortalia solemni pœnitentiæ vi canonum subjiciebantur (1). Majoraque crimina ejus generis sæpiùs erant, quæ confessione publicâ manifestari non poterant, sive propter pœnas legum civilium, sive propter alia graviora incommoda.—Attamen, ex citatis Patribus patet omnia etiam occulta peccata necessariam confessionis materiam esse.

Ad 3um. Falsum est confessionem sacramentalem à Nectario fuisse sublatam. 1. Fatetur ipse Dallæus Calvinista (*De Sacrament. conf.* lib. 4, cap. 24), asserens econtra illam tempore Nectarii nondùm viguisse. 2. Constat ex citatis Patrum testimoniis, et usu constanti confessionis apud Græcos. 3. Unum ex narratione Socratis et Sozomeni sequitur, scilicet Nectarium abrogâsse pœnitentiarium publicum. Sic enim breviter de hoc facto.—Ante presbyteri pœnitentiarii institutionem, quam Socrates ad Decii persecutionem refert, coram episcopis aut presbyteris confessiones fiebant. Cùm autem multi in eâ persecutione lapsi essent, ut obviaretur criminationibus Novatianorum, qui catholicos reprehendebant utpotè faciliores in admittendis lapsis ad communionem, ab episcopis constitutus est presbyter pœnitentiarius. Hujus pœnitentiarii muneris erat moribus invigilare, majorum criminum reos excipere vel ad

de Antiq. eccl. rit. lib. I, cap. 6, art. 3. E contrario, inter alios, Morinus, *in Comment. hist. de admin. Sacram. Pœnit.* lib. V, cap. 16, tenet confessionem publicam necessariam fuisse comitem publicæ pœnitentiæ pro peccatis publicis, non verò pro peccatis occultis. Vid. et lib. II, cap. 6 et seq. ejusdem op.

(1) Vid. Tournely, quæst. 8, art. 3; et *Patrolog. latin.* tom. XCIX, Append. ad Pœnitentiale Theodori Cantuar. col. 1163 et seq.

se vocare, modum ac tempus pœnitentiæ pro ratione delictorum determinare, pœnitentibusque præesse. (Notandum, præter hunc presbyterum qui publicæ pœnitentiæ præfectus erat, alios simul exstitisse presbyteros ad suscipiendas cæterorum fidelium confessiones, ut eruitur ex Origen. homil. 2, in Ps. 37, et Euseb. lib. 6, cap. 36). Verùm, Nectarii tempore, cùm mulier quædam nobilis, post confessionem pœnitentiario factam, publicè confessa fuisset ecclesiæ diaconum cum ipsâ stupri consuetudinem habuisse; ratione scandali ex illâ accusatione orti, Nectarius presbyterum pœnitentiarium suppressit. Et, juxta Eudæmonis consilium, cuique permisit ut *pro arbitrio et animi sui conscientiâ ad sacramentorum communionem accederet;* id est, accederet absque prævià confessione, si nullius peccati mortalis reus esset; vel simpliciter post privatam confessionem et independenter à licentiâ pœnitentiarii, ut anteà fiebat, si peccati mortalis conscientiam haberet (1).

Imò ex narratione Socratis et Sozomeni novum habetur testimonium in gratiam confessionis sacramentalis. Illam enim necessariam esse veniæ conditionem scribit Sozomenus, loc. citato : *Cùm in nullo peccare*

(1 Hæc probabilior videtur interpretatio hujusce facti, quam tuentur plurimi, inter quos Tournely, Collet, Chardon, *Hist. des Sacrem.*, Pénit. sect. 2, ch. 2, Perrone, Palma, *Prælect. hist. eccl.* cap. 49, etc. — Sive autem narratio Socratis intelligenda sit de suppressione pœnitentiæ publicæ, ut, cum Bellarmino, lib. III, cap. 14, contendunt Petavius, *Diatrib. de pœnit.* § 3, et alii ; sive intelligenda sit de abrogatione publicæ confessionis peccatorum occultorum, ut putat Morinus, *Comment. histor.* lib. II, cap. 9, n. 5 et seq.; apud omnes eruditos constat nil prorsùs ex facto allato deduci posse contra sacramentalem confessionem.

divinæ cujusdam naturæ sit et humanâ præstantioris, pœnitentibus verò, etiamsi sæpiùs deliquerint, veniam dare Deus præceperit; cumquè in petendâ veniâ, peccatum necessariò confiteri oporteat, grave ac molestum ab initio jure merito visum est sacerdotibus tanquam in theatro, circumstante totius Ecclesiæ multitudine, crimina sua evulgare. Et ex Socrate constat publicam pœnitentiam nobili mulieri, cujus occasione sublatum est pœnitentiarii munus, impositam fuisse post privatam confessionem: *Mulier.... ad pœnitentiarium accedens delicta post baptismum à se perpetrata sigillatim confessa erat. Presbyter verò præcepit mulieri ut jejuniis et orationibus continuis vacaret, quo scilicet unà cum delictorum confessione opus etiam pœnitentiæ conveniens ostenderet.*

Ad 4um. 1. Argumentum adversariorum est negativum, ergo nihil probat contra testimonia positiva in nostrâ propositione allata. 2. Leguntur quidem pauca de praxi confessionis in historiâ ecclesiasticâ priorum sæculorum, sed factum istud multis rationibus explicatur. Rariora sunt scripta hujus temporis; vigebat lex secreti; res quæ sunt in usu communi à scriptoribus non memorantur; plerique fideles sanctam vitam ducentes frequenti remedio confessionis non egebant, etc. 3. Falsum est scriptores ecclesiasticos omninò tacere de praxi confessionis. S. Irenæus memorat confessionem mulierum à Marco heresiarchâ corruptarum. Eusebius, lib. 6 *histor.* cap. 34, laudat Philippi imperatoris pietatem in suis peccatis declarandis; cap. 9, narrat unum è calumniatoribus Narcissi Episcopi Hierosolymitani totius calumniæ ordinem confessum

fuisse. Sozomenus et Socrates referunt exemplum confessionis factæ à nobili matronâ, cujus occasione Nectarius abrogavit institutionem pœnitentiarii. S. Ambrosius, teste Paulino in ejus vit. n. 39, pœnitentium confessionem excipiebat. Plura hujusmodi facta legi possunt apud Tournely, *de Pœnit.* quæst. 6, art. 2, concl. 2, arg. 4.

Ad 3^{am}. Ex eo quòd nonnulli in dubium vocaverint aut negaverint necessitatem confessionis, nihil indè concludi potest contra istud dogma. Alioquin rejiciendæ forent omnes veritates religionis Christianæ, cùm nulla sit quæ non fuerit ab hæreticis impugnata. Notam hæreseos non incurrerunt confessionis adversarii, quia Ecclesia nondùm hanc quæstionem clarè et expressè definierat.

Objic. 3° Potestatem remittendi peccata Apostolis concessam non esse exercendam per absolutionem, sed per prædicationem. Quia 1. si per absolutionem, ergo salus pœnitentium pendet à sacerdotum arbitrio. 2. In omni judicio requiruntur reus, accusator, testis, sententia et sententiæ executio; hæc autem in tribunali pœnitentiæ non reperiuntur. 3. S. Lucas 24, 46 : *Sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere à mortuis tertiâ die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum.* Ergo remissio peccatorum fit per prædicationem pœnitentiæ. 4. Quidam theologi (Magist. sentent., Alex. Alens., D. Bonav. et nonnulli alii) tenuerunt sacerdotes non remittere peccata, sed declarare tantùm ea esse remissa ; nec tamen à Concilio Tridentino fuerunt damnati.

Resp. ad 1^{am}. Positâ quidem facultate remittendi

peccata sacerdotibus concessâ, salus pœnitentium quodam modo pendet à sacerdote; non autem pendet à sacerdote tanquam causâ principali, quæ est Deus, sed tanquam causâ instrumentali. Porro nihil in institutione illâ repugnat. Deus enim, origo suprema gratiæ, illam communicare potest immediatè vel mediatè per actionem hominis. Sic, fatentibus ipsismet adversariis, minister baptismi est causa instrumentalis ad salutem infantium.

Ad 2um. In tribunali Pœnitentiæ adsunt omnes conditiones judicii suprà expositæ in objectione. Reus, accusator et testis est pœnitens; sententia est judicium sacerdotis; executor est, tùm Deus qui ratam habet in cœlis sententiam ministri, tùm pœnitens qui sibi infligit pœnas à sacerdote impositas.

Ad 3um. Ex eo quòd homines hortandi sint ad pœnitentiam, non sequitur Christum non concessisse Apostolis eorumque successoribus facultatem absolvendi à peccatis.

Ad 4um. Prædicti theologi negârunt absolutionem remittere peccata, quia falsò supponebant ad sacramentum Pœnitentiæ requiri contritionem perfectam, quæ vim habet remittendi peccatum absque sacramento Pœnitentiæ; undè concludebant absolutionem declarare tantùm peccata esse remissa. — A Concilio Tridentino non fuerunt damnati, quia in eo statutum erat damnare tantùm errores hæreticorum. Ab hæreticis autem differebant prædicti theologi, in eo quòd docebant 1. sacerdotes in tribunali pœnitentiæ non esse solùm præcones ad excitandam fidem, ut volunt pseudoreformati, sed judices pronuntiantes peccata esse

remissa ; 2. contritionem perfectam peccata non delere absque voto sacramenti, seu voto subjiciendi peccata clavibus Ecclesiæ. — Quamvis à Tridentino Concilio proscripta non fuerit præfata scholasticorum opinio, attamen certum est eam, in quantùm contendit absolutionem non remittere culpam, sed remissam declarare, non satis cum doctrinâ catholicâ congruere. Undè nunc à theologis tanquàm erronea et temeraria communiter rejicitur (1).

Contra II^am^ argum. part.

Objic. Pœnitentiam non esse sacramentum, quia 1. S. Petrus, *Act.* 10, 43, ait se annuntiare pœnitentiam, *cui prophetæ omnes testimonium perhibent;* porro pœnitentia cui prophetæ testimonium perhibent, non erat sacramentum. 2. Si exercitium potestatis clavium sit sacramentum, sacramentum confert sacerdos qui ligat peccata ; porro hoc falsum est.

Resp. ad 1um. S. Petrus unum docet loc. cit., scilicet in nomine Jesu remissionem peccatorum accipere omnes qui credunt in eum, idque à prophetis fuisse prænuntiatum; tacet verò de modo accipiendæ remissionis. — Detur aliundè S. Petrum loc. cit., vel alios Apostolos, aliis scripturæ locis, eamdem quam prædicârunt prophetæ pœnitentiam annuntiare, minimè sequitur Christum non instituisse sacramentum pœnitentiæ. Loquuntur enim Apostoli de pœnitentiæ virtute, quæ semper necessaria fuit, et quæ in veteri sicut in novâ lege quoàd substantiam eadem est : in utrâque

(1) Vid. Estius, in 4 *Sentent.* dist. 18, § 3 et 4; Suarez, *de Pœnit.* disp. 10, sect. 2; Collet, *de Pœnit.* part. 2, cap. 2, art. 3.

scilicet pœnitens debet peccata detestari satisfactionemque promittere, ut à Deo veniam consequatur. Loquuntur præsertim de illâ pœnitentiâ quæ pertinet ad infideles convertendos ad fidem.

Ad 2um. Exercitium potestatis clavium est sacramentum, solummodò cùm minister solvit peccata. Sacerdos enim qui ligat non remittit peccata, proindè gratiam non confert, nec sacramentum administrat.

Contra IIIam argum. part.

Objic. Pœnitentiam à baptismo non differre. Christus enim, ap. Marc. 16, 16, ait : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et Apostolus de Christo dicit, Tit. 3, 5: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis;* Ephes. 5, 26 : *Mundans lavacro aquæ.* Ergo salus hominis à solo baptismo pendet, ergo pœnitentia cui adscribitur etiam remissio peccatorum confunditur cum baptismo.

Resp. Textibus allatis non negatur salutem hominis etiam à pœnitentiæ sacramento pendere, pœnitentiamque essentialiter à baptismo differre. Proindè inconcussæ manent nostræ probationes.

QUÆSTIO II.

Quandò Christus instituerit sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. Christus instituit sacramentum pœnitentiæ ipso die Resurrectionis. Id asserit Concil. Trid. sess. 16, cap. 1 : *Dominus autem sacramentum Pœnitentiæ tùm præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos dicens : Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

Dicitur *præcipuè:* quia idem sacramentum anteà promiserat Christus (Matth. 16, 19), cùm alloquens Petrum ait: *Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* In capite 18, 18, idem promittit Apostolis.

CAPUT II.

DE CONDITIONIBUS.

Dicendum de conditionibus 1° ex parte ministri, 2° ex parte elementorum, 3° ex parte subjecti.

ARTICULUS I.

De conditionibus ex parte ministri.

Quær. *Quænam conditiones speciales requirantur in ministro pœnitentiæ?*

Resp. Requiritur semper character sacerdotalis, approbatio, jurisdictio in personam, aliquandò jurisdictio specialis in materiam (1).

Quæ propositio probanda et explicanda est,

Probatio.

1ª *pars resp.* Requiritur semper *character sacerdotalis.*

(1) Circa ministrum sacramenti pœnitentiæ errârunt 1. Waldenses, Wicleffitæ et Hussitæ, qui potestatem clavium tribuebant laicis probis, denegabant verò sacerdotibus pravis; 2. Pseudoreformati, qui eamdem potestatem omnibus indiscriminatim fidelibus à Christo concessam dicunt; 3. sub finem sæculi elapsi quidam Jansenista docentes minimè necessariam esse jurisdictionem, saltem ad validam administrationem sacramenti.

Pr. 1ª. Si character sacerdotalis non requiritur, ergo simplices fideles possunt remittere peccata; porro hoc falsum est. Siquidem ad Apostolos solos, et, in eorum personâ, ad eorum successores Christus direxit hæc verba : *Quorum remiseritis peccata...*

Pr. 2ª. *Tradit.* S. Ambros. de Pœnit. lib. 1, cap. 2 : *Jus hoc* (ligandi et solvendi) *solis permissum est sacerdotibus.* Et, lib. 2, cap. 2 : *Impossibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti : concessit hoc Christus apostolis suis, quod ab apostolis ad sacerdotum officia transmissum est.* S. Joan. Chrysost. de Sacerdotio lib. 3, n. 5 : *Quæcumque infernè sacerdotes faciunt, eadem Deus supernè confirmat; servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit, quàm omnem cœlestium potestatem? Nam* Quorum, *inquit,* remiseritis peccata, remittuntur; et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* 20, 23). *Quæ major hâc potestas fuerit?* Omne judicium dedit Pater Filio (*Joan.* 5, 22) : *videoque ipsum omne ipsis traditum à Filio esse.*

Pr. 3ª. Concil. Trid. sess. 14, can. 10 : *Si quis dixerit... non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum :* Quorum remiseritis... *anathema sit.*

Pr. 4ª. Cùm propositio nostra possideat, retinenda est, nisi probetur validam esse absolutionem eorum qui non sunt sacerdotes. Porro hoc non probatur.

Sequentibus præcipuè rationibus nituntur adversarii, scilicet, 1. S. Jacob. 5, 16, ait : *Confitemini alterutrum peccata vestra.* 2. S. Cyprianus, ep. 12 ad presbyteros et diaconos Carthaginenses, jubet pœniten-

tes, si desit presbyter, exomologesim facere *diacono, ut manu eis in pœnitentiam impositâ veniant ad Dominum in pace*. Eamdem potestatem diaconis olim fuisse concessam demonstrant plura conciliorum et scriptorum mediæ ætatis testimonia. 3. D. Thomas (in 4 *sent.* dist. 17, q. 3, a. 3) et alii plures cum Magistro sentent., docent in casu necessitatis etiam laicum vicem sacerdotis supplere, ut ei confessio fieri possit (1). Porro minimè probant rationes prædictæ. Siquidem,

Resp. ad 1um. 1. Nihil probat S. Jacobum loqui de confessione sacramentali; non verò tantùm de confessione factâ humilitatis studio, vel ad petendum auxilium, etc. 2. Juxta plures, verba S. Jacobi intelligi possunt de confessione sacramentali, adeò ut sensus sit *Confitemini, non soli Deo, sed sacerdotibus*. Quæ interpretatio sequi videtur ex contextu. S. Jacobus enim (vers. 14 et 15) loquitur de Extremâ Unctione administrandâ per presbyteros; dein, explicans hujus sacramenti effectus, ait : *et, si in peccatis sit, remittentur ei;* demùm, per modum conclusionis dicit : *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*, ut ostendat remissionem peccatorum non obtineri absque confessione factâ presbyteris.

Ad 2um, resp. cum Bened. XIV: « Nomen *exomologesis* non semper apud Patres significat confessionem arcanam, auricularem et sacramentalem; sed frequenter usurpatur pro ultimo illo ritu, seu actu externo, qui totius pœnitentiæ publicæ clausula erat, et comple-

(1) Vid. testim. ap. Morin. *Comment. hist.* lib. VIII, cap. 23 et 24; Martène de *Antiq. Eccles. rit.* lib. I, cap. 6, art. 6; Collet, *de Pœnit.* part. 2, cap. 8 de ministro, et alios.

mentum, cùm nimirùm publicè pœnitentes... veniam exposcebant, et Ecclesiæ tandem reconciliari, atque iterum ad sacramenta admitti petebant... Hanc porro publicam exomologesim, deficiente sacerdote, et urgente necessitate, excipere poterat diaconus, isque potestatem habebat publicum pœnitentem Ecclesiæ reconciliandi eo pacto, quo etiam nunc posset, facultate ab episcopo acceptâ, excommunicatum absolvere et Ecclesiæ communioni restituere. De hâc exomologesi loquitur Cyprianus, in *cit. ep.* 12, et de eâ intelliguntur cæteri Patres et Concilia, cùm idem, quod Cyprianus affirmant. Quodque hic sit proprius et genuinus Cypriani aliorumque Patrum sensus, apertè insinuant posteriores Ecclesiarum constitutiones, quæ eamdem potestatem faciunt diacono, excipiendi scilicet pœnitentium confessiones, absente sacerdote, sed simul apertè denegant eidem potestatem clavium, et auctoritatem absolvendi à peccatis (1). »

(1) Bened. XIV, *de Synod. diœc.* lib. VII, cap. 16, n. 6 et seq. Vid. Petavii *Diatrib. de pœnit. rit. vet. in Eccles.* cap. 2 et 4. (Patrolog. græc. tom. XLII, col. 1024, et tom. XLIII, col. 620); Natal. Alex. *dissert.* 4 in histor. sæc. III; Tournely, quæst. 10; art. 1; Collet, loc. cit. — Et Morinus, in *Recognit.* sui op. de Pœnit., scribit : « Quæ de absolutione à diaconis, atque etiam à laicis data plurimis » testimoniis historicè referuntur, cap. 23 et 24 libri VIII, expressissi- » mè moneo, initio cap. 23 et in fine 25, ubi historia rei finitur, ista » non esse intelligenda, nec intelligi posse de absolutione sacramen- » tali, cujus effati rationes locis adnotatis explicantur; imò pluri- » mas ex ipsis auctoribus, qui hanc sui sæculi consuetudinem tes- » tantur, disertè asserere, nullam prorsus illis esse à peccatis ab- » solvendi potestatem. Itaque non potest aliud esse absolutio illa » quam cæremonia, sive sacramentale aliquod... in absentia veri » sacramenti... quo morientis aut gravissimè periclitantis interior » dispositio excitabatur et incalescebat, atque à Deo, precibus Ec- » clesiæ, sacramenti effectum pœnitens promerebatur. »

Ad 3um. Magister sent., D. Thomas et alii, affirmantes laicum in casu necessitatis posse sacerdotis vicem supplere, non ideò tenent laicis competere potestatem clavium, facultatemque sacramentaliter absolvendi. Omnes enim docent hoc jus ad solos sacerdotes pertinere. Tradit solummodò Magister sent. lib. 4, dist. 17, art. 3, per confessionem socio factam, absente sacerdote, confitentem fieri *dignum veniâ ex sacerdotis desiderio*, in quantùm scilicet per hunc humilitatis actum potest mereri gratiam, quâ excitetur ad perfectam contritionem. Ac D. Thomas, in solut. 2, art. 3, ad 3 : *Quamvis ille, qui laico confessus est in articulo necessitatis, consecutus sit veniam à Deo, eo quod propositum confitendi secundum mandatum Dei, quod concepit, sicut potuit, implevit, non tamen adhuc Ecclesiæ reconciliatus est, ut ad sacramenta Ecclesiæ admitti debeat, nisi priùs à sacerdote absolvatur... : et ideò oportet, quod iterùm confiteatur sacerdoti, cùm copiam habere potuerit, et præcipuè quia ut dictum est* (in resp. ad 1), *sacramentum pœnitentiæ perfectum non fuit.*

2a *pars.* Requiritur semper *approbatio*, seu judicium ordinarii de idoneitate sacerdotis ad excipiendas confessionès.

Pr. 1a. Requiritur jurisdictio ab Episcopo concessa, proindè judicium Episcopi de idoneitate ministri.

Pr. 2a. Concil. Trid. sess. 23, cap. 15, de Reform. : *Quamvis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen S. Synodus nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id ido-*

neum reputari; nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, et approbationem quæ gratis datur, obtineat; privilegiis et consuetudine quâcumque, etiam immemorabili, non obstantibus.

3ª *pars.* Requiritur *jurisdictio in personam absolvendam.*

Jurisdictio, in materiâ præsenti, definitur: potestas absolvendi, vel ligandi in tribunali pœnitentiæ sacerdoti legitimè concessa. Quo posito,

Pr. 1ª. Sacerdos remittit peccata per sententiam judicialem; porro ad validitatem sententiæ, semper in judice jurisdictio requiritur.

Pr. 2ª. Conc. Trid. sess. 14, cap. 7: *Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, persuasum semper in Ecclesiâ Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

Idem jàm definierat Concil. Lateran. IV, an. 1215, in can. 21 *Omnis utriusque sexûs;* et Eugen. IV, in Decret. ad Armen. docens: *Ministrum sacramenti Pœnitentiæ esse sacerdotem habentem auctoritatem absolvendi, ordinariam, vel ex commissione superioris.*

Pr. 3ª. Si necessaria non esset jurisdictio, maximè quia sacerdos generalem habet ab ordinatione potestatem remittendi peccata. Porro hoc est falsum. Ab ordinatione quidem, præter potestatem ordinis, habet sacerdos jurisdictionem radicalem, incompletam, minimè verò jurisdictionem actualem et expeditam. Sive

enim ex ordinatione oriatur jurisdictio perfecta quoàd principium, ut alii volunt, sive oriatur tantùm habilitas ad jurisdictionem recipiendam, ut contendunt alii; certum est tamen, et ab omnibus catholicis admissum, jurisdictionem saltem incompletam esse quoàd objectum, nec validè reduci posse ad actum, donec subditi in quos exerceatur assignati fuerint ab Ecclesiâ, cujus dispensationi ac regimini omnem commisit Christus potestatem jurisdictionis, ut alibi probatur.

Hinc Pius VI, in Bullâ *Auctorem fidei*, sequentes notas inussit propositioni n. 37 Synodi Pistoriensis: *Doctrina Synodi, quæ de auctoritate absolvendi acceptâ per ordinationem enuntiat*, post institutionem diœcesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive jure quodam personali, *propterea quod* aliter confusio induceretur et perturbatio; *quatenùs post institutas diœceses et parochias enuntiat tantummodò* conveniens esse ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos; *sic intellecta tanquàm ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine quâ Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem à sacerdote prolatam; falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.*

4ª *pars*. Requiritur *aliquandò* jurisdictio specialis *in materiam:*

Id est, si superior sibi aut suis delegatis absolutionem quorumdam peccatorum reservaverit, potestas indeterminata absolvendi à peccatis non sufficit sacer-

doti ut de peccatis reservatis absolvat; sed requiritur potestas specialis à talibus reservatis absolvendi.

Pr. Res ità est, si 1. superior concedens jurisdictionem possit sibi reservare quædam peccata; si 2. positâ reservatione, jurisdictio specialis requiratur ad absolutionem peccatorum reservatorum. Atqui

1° Superior potest sibi reservare quosdam casus: Nam 1. liberè concedit jurisdictionem; ergo potest à facultate concessâ quosdam excludere casus, quorum absolutionem reservat sibi sacerdotibusque speciatim à se delegatis. 2. Concil. Trid. sess. 14, can. 11: *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoàd externam politiam, atque ideò casuum reservationem non prohibere quominùs sacerdos à reservatis verè absolvat, anathema sit.* Idem docet cap. 7.—Undè ab eodem Pio VI, in cit. Constit., declarata fuit *propositio Synodi* (Pistor. n. 44) *asserens* reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quàm improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem; *falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva.* Item et prop. n. 45.

2° Positâ reservatione, requiritur jurisdictio specialis in peccata reservata: Siquidem in concessione generali potestatis absolvendi non comprehenditur facultas à peccatis illis absolvendi.

Explicatio (1).

1ª *conditio*, videlicet necessitas characteris sacerdotalis, clara est.

2ª, nimirùm necessitas approbationis, confunditur in disciplinâ actuali cum concessione jurisdictionis. Siquidem uno et eodem actu Episcopus approbat et dat jurisdictionem.

Proindè explicandæ manent 3ª et 4ª, scilicet, necessitas jurisdictionis in personas, et aliquandò in materiam.

Utriusque determinanda sunt 1° subjectum, 2° extensio.

I. — De jurisdictione in personas.

I. De Subjecto.

Quær. *Quis habeat jurisdictionem?*

Prænot. Triplex distinguitur jurisdictio, scilicet ordinaria; delegata, vel ab homine, vel à jure; subdelegata. *Ordinaria:* ea est quæ alicui competit ratione officii annexam habentis curam animarum. — *Delegata:* quæ non sequitur ex collatione officii secum importantis curam animarum, sed oritur ex concessione legitimâ habentis ordinariam. Concessio autem fieri potest, vel per actum personalem superioris, et tunc dicitur jurisdictio delegata *ab homine;* vel per legem

(1) Sequentes circa jurisdictionem explicationes, in se spectatæ, seu in quantùm exponunt sanctiones canonicas, potiùs reducuntur ad partem *disciplinarem*. Illas tamen sub titulo præsenti comprehendimus, cùm mens nostra sit, sub titulo *partis dogmaticæ*, explicare quidquid ad valorem sacramenti spectat, ac jurisdictio determinata juxta leges Ecclesiæ sit conditio essentialis ex parte ministri ad validam administrationem sacramenti pœnitentiæ.

generalem, aut consuetudinem debitis conditionibus vestitam, et tunc dicitur delegata *à jure*. Item concessio fieri potest *directè* ipsimet sacerdoti, vel *indirectè*, quandò scilicet Ordinarius concedit pœnitenti facultatem sibi eligendi confessarium et ab eo absolutionem suscipiendi. — *Subdelegata:* quæ oritur à concessione legitimà delegati habentis potestatem subdelegandi. — Quibus positis,

Resp. I. Habent *ordinariam:* qui, vi proprii officii, curam gerunt animarum, scilicet : S. Pontifex ; Episcopus; Vicarius generalis qui, fictione juris, una est quoàd jurisdictionem cum Episcopo persona; Prælati religionum; Parochus.

II. Habent jurisdictionem *delegatam* — *ab homine:* omnes quibus legitimè concessa fuit.

Porro, ut legitima sit concessio, requiruntur conditiones ex parte delegantis, delegationis et delegati.

Ex parte delegantis, — sufficit ut delegans habeat jurisdictionem ordinariam, nec amiserit potestatem delegandi per excommunicationem aut suspensionem denuntiatam. — Excipitur parochus qui, licèt habeat jurisdictionem ordinariam, delegare non potest (1).

Ex parte delegationis,— delegatio sit 1. libera : etenim delegatio est actus humanus; 2. realis, et non solùm præsumpta : id est, non sufficit præsumptio, etiam moraliter certa, de concessione jurisdictionis; siquidem jurisdictio solummodò præsumpta realiter non existit; 3. actualis, id est actu obtenta, et non tantùm obtinenda : ob rationem præcedentem ; 4. sufficienter

(1) Vid. Bened. XIV *Institut.* 87, n. 7; S. Lig. lib. VI, n. 344.

expressa: alioquin de concessâ jurisdictione non constaret. Attamen silentium æquivalet consensui et sufficienter exprimit consensum, si inferior exerceat jurisdictionem coràm superiore non reclamante, et aliundè nullas habente rationes tacendi.

Ex parte delegati, —delegatus sit sacerdos, nec excommunicatus aut suspensus denuntiatus.

Habent jurisdictionem delegatam — *à jure:*

1° In periculo mortis, quilibet sacerdos (1), absente approbato. *Conc. Trid. sess.* 14, *cap.* 7. Etiam præsente approbato, 1. si approbatus aut nollet, aut non posset confessionem audire: tunc idem est ac si non adesset; 2. si approbatus sit nominatim excommunicatus, aut suspensus: quia in eo casu approbatum prohibet Ecclesia; 3. si moribundus ità horreret sua peccata aperire approbato, ut esset in periculo sacrilegè confitendi: siquidem tunc etiam urget ratio Conc. Trid. *ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat;* 4. si approbatus fuerit complex infirmi in peccato turpi: ità declaravit Bened. XIV, ut infrà dicetur.

Periculum autem mortis adesse censetur, non solùm in morbo periculoso, sed etiam tempore pestis, in partu difficili, in operatione chirurgicâ arduâ, ante navigationem valdè periculosam, in prælio, et aliis similibus (2).

(1) Etiam hæreticus, schismaticus, excommunicatus, juxta doctrinam hodiè receptam. Dubio de hâc quæstione ad Innocent. XI delato, hic jussit supprimi quæstionem, nec ampliùs dubitari moribundum in defectu alterius sacerdotis validè et licitè absolvi ab excommunicato vitando, degradato, aut hæretico. S. Lig. *Hom. ap.* tract. 16, n. 92.

(2) Vid. S. Lig. lib. IV, nn. 560 et seq.

2° Sacerdos absolvens concurrente simul errore communi et titulo colorato.

Error communis adest, quando sacerdos, jurisdictionem reipsà non habens, reputatur tamen legitimus confessarius ab omnibus vel ferè omnibus incolis loci ubi excipitur confessio. — *Coloratus* dicitur titulus, verè existens, id est verè collatus à legitimo superiore, nullus verò propter quoddam vitium occultum. Sic v. g. titulum habet coloratum, qui à legitimo superiore obtinuit titulum parochi, sed invalidè propter simoniam. Porro

Concurrente errore communi cum titulo colorato, ab Ecclesiâ confertur jurisdictio. *Certum* apud omnes: eâ ratione, quòd pia mater Ecclesia, ne tantùm ex defectu jurisdictionis sequatur detrimentum animarum, meritò præsumitur jurisdictionem supplere, cùm id possit.

Dicimus 1. errore *communi*: Siquidem certum est Ecclesiam non supplere, si, defectu jurisdictionis ab omnibus ferè cognito, quidam tantùm illum ignorent: tunc enim non currit ratio publici damni vitandi.

Dicimus 2. *concurrente* errore communi et titulo colorato: Controvertitur enim utrùm Ecclesia suppleat, si adsit error communis solus. Negant quamplurimi, eâ scilicet ratione quòd ex concessione jurisdictionis majus damnum fidelibus proveniret quàm bonum (1).

(1) Huic communiori sententiæ neganti jurisdictionem ab Ecclesiâ suppleri favere videtur declaratio S. C. Conc. 11 decembr. 1683, quam in integrum ex Actis S. Congr. refert Bened. XIV, *Instit.* 84, n. 22. De Capuccinis enim, qui occasione Jubilæi confessiones exceperant in Patavinâ diœcesi absque licentiâ Episcopi, respondit eos sæcularium confessiones excepisse 1. *illicitè*, 2. *invalidè*, *sed non esse inquietandos illos, qui bonâ fide confessi sunt. Attamen*,

Affirmant verò plures alii graves theologi, tenentes eamdem urgere rationem et pro solo errore communi, et pro errore communi concurrente titulo colorato (1).

3° Juxta communem sententiam, sacerdos absolvens cum jurisdictione probabili, modò saltem adsit causa gravis. — Communiter enim admittitur Ecclesiam supplere jurisdictionem in casu præsenti (2).

Porro, ex S. Ligorio, gravis adest causa in sequentibus præcipuè casibus: 1. si urgeat præceptum annuæ confessionis, nec alius adsit confessarius; 2. si pœnitens indigeat auxilio confessarii habentis jurisdictionem tantùm probabilem; 3. si pœnitens deberet complicem manifestare, aut diù remanere in statu peccati mortalis, adeundo alium confessarium; 4. si confessarius qui probabilem habet jurisdictionem timeat ne pœnitens sacrilegè confiteatur apud alium.

Dicimus: cum jurisdictione *probabili*, non verò cum jurisdictione tantùm *dubiâ*. Nam, in ultimo casu, Ecclesia non supplet jurisdictionem.

Nihilominùs aliquandò sacerdoti licet absolvere cum jurisdictione dubiâ, v. g. si pœnitens à celebratione aut communione abstinere non possit absque infamiâ. Probabilior enim evadit status gratiæ, positâ, quàm omissâ confessione; quia forsan minister habet jurisdictionem.

si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem.

(1) Ità Billuart, dis. 6, art. 4, § 1; De Lugo, Bonacina, Lessius, Viva, Cardenas, et alii apud S. Lig. lib. VI, n. 572.

(2) Vid. Billuart, dis. 6, art. 4, § 2; S. Lig. lib. VI, n. 573, et *Hom. ap.* tract. 16, n. 91.

Not. Plures sunt differentiæ inter jurisdictionem *probabilem* et jurisdictionem *dubiam.*

1° Sacerdos habens jurisdictionem probabilem potest absolvere modo absoluto; siquidem Ecclesia supplet jurisdictionem. Econtrà, ob rationem contrariam, sacerdos habens jurisdictionem dubiam debet absolvere sub conditione.

2° Pœnitens, qui peccata confessus est sacerdoti jurisdictionem probabilem habenti, non tenetur iterare confessionem, etiamsi posteà detegeret confessarium suum nullam habuisse jurisdictionem; quia, positâ probabilitate jurisdictionis, Ecclesia supplevit jurisdictionem. Econtrà, et ob rationem contrariam, confessionem iterare tenetur pœnitens, qui peccata detulit apud confessarium dubiæ jurisdictionis, si dubium deponere non possit; à fortiori, si constet confessarium nullam habuisse jurisdictionem.

3° Qui confessus est sacerdoti jurisdictionem probabilem habenti potest, obtentâ absolutione, ad Eucharistiam accedere absque actu prævio contritionis perfectæ, et quamvis nulla existeret moralis necessitas communicandi: quia absolutio, positis aliundè ponendis, est certò valida. — Econtrà, qui confessus est sacerdoti dubiam jurisdictionem habenti 1. non potest communicare, si desit necessitas moralis celebrandi aut communicandi. Possidet enim indignitas pœnitentis, donec constet de absolutione validâ; porro in casu præsenti dubia est validitas absolutionis, cùm dubia sit jurisdictio absolventis. 2. Positâ necessitate morali celebrationis, potest quidem celebrare aut communicare, sed tenetur ad actum prævium contritio-

nis perfectæ, à quo non potest dispensari per absolutionem dubiam.

III. Habent jurisdictionem *subdelegatam:* sacerdotes quibus jurisdictio legitimè concessa est à delegato habente facultatem subdelegandi.

Porro, ut legitima sit subdelegatio, necessariæ sunt conditiones requisitæ ad delegationem.

II. De Extensione.

Determinanda est quoàd personas, locum et durationem.

I. *Quoàd personas et locum.*

Quær. *Quænam sit extensio jurisdictionis?*

Resp. In genere extensio jurisdictionis, quoàd personas et locum, potest determinari quatuor principiis sequentibus:

1° Jurisdictio est personalis, seu afficiens immediatè personas; vel localis, seu afficiens immediatè territorium, et mediatè personas quæ in territorio comprehenduntur.

2° Jurisdictio ordinaria est simul personalis et localis. — Jurisdictio delegata et subdelegata sunt merè locales: exceptâ jurisdictione delegatâ à jure in periculo mortis, quæ est personalis et localis in eo sensu, quòd à sacerdote exerceri possit erga quaslibet personas, et in omni loco.

3° Jurisdictio personalis ubique terrarum potest exerceri validè erga subjectum absolventis. — Jurisdictio localis, in loco cui inhæret, erga quaslibet personas, etiam non subjectas personaliter absolventi.

4° Extensio jurisdictionis personalis et localis determinatur titulo aut actu delegationis.

Undè : S. Pontifex habet jurisdictionem personalem in omnes Christianos, et localem ubique terrarum. — Episcopus habet jurisdictionem personalem in omnes diœcesanos, et localem in totâ diœcesi suâ. — Parochus habet jurisdictionem personalem in omnes parochianos, localem in totâ parochiâ. — Vicarius parochi et alii delegati nullam habent jurisdictionem personalem, benè verò jurisdictionem localem, juxta tenorem actûs delegationis.

Observ. Delegatio cum clausulâ *de licentiâ parochi* intelligenda est tantùm ad licitatem, nisi positivè exprimatur licentiam esse requisitam ad validitatem.

Diximus : *In genere* extensio jurisdictionis... Excipiuntur enim casus sequentes :

1° Quicumque confessarius, sive regularis, sive sæcularis (dempto mortis articulo, et tunc deficiente quocumque alio sacerdote etiam non approbato), omninò privatur jurisdictione ad absolvendum virum aut mulierem, etiam sibi subjectum, complicem in materiâ luxuriæ, donec de peccato turpi complex absolutus fuerit ab alio confessario ; modò peccatum fuerit certum, grave ex utrâque parte, et ex utrâque parte simul externum. — Imò, confessarius, extra dictum articulum mortis, *si complicis confessionem excipere audeat et ipsum absolvere*, ipso facto incurrit excommunicationem Papæ reservatam. — Constat ex Bened. XIV Bul. *Sacramentum pœnitentiæ*, 1 junii 1741, et *Apostolici muneris*, 8 febr. 1745.

Deficere censetur alius sacerdos, cùm adest quidem, sed vocari nequit absque scandalo vel infamiâ. — Tenetur tamen confessarius complex periculum scandali

aut infamiæ avertere si potest, sub eâdem pœnâ excommunicationis, licèt tunc validè absolveret si periculum illud non averteret. Bul. *Apostolici muneris* (1).

2° Specialis requiritur approbatio episcopi pro excipiendis confessionibus Monialium. — Constat ex pluribus SS. Pontif. decretis, ap. S. Lig. *Hom. ap.* tract. 16, n. 89.

Nomine *monialium*, hic solæ intelliguntur mulieres quæ solemnia, non verò quæ simplicia tantùm emiserunt vota. — Attamen episcopi possunt statuere, et communiter apud nos statuunt, ut, pro audiendis confessionibus religiosarum illarum quæ vota simplicia emittunt, specialis etiam obtineatur approbatio. In eo igitur attendenda sunt statuta cujusque diœceseos.

II. De extensione quoàd *durationem*.

Quær. *Quandònam incipiat, et quibus causis cesset jurisdictio?*

Resp. 1° Positâ notificatione debitâ, incipit jurisdictio tempore designato in titulo, aut delegatione.

2° Cessat quælibet jurisdictio per revocationem debitè notificatam, per excommunicationem aut suspensionem denuntiatam.

Insuper cessat jurisdictio delegata temporaria per cessationem temporis in delegatione designati. — Per mortem concedentis, cessat quidem jurisdictio delegata, quandò concessa fuit pro casibus particularibus, v. g. ad audiendam confessionem personæ designatæ, nisi confessio jàm fuerit incœpta ; non cessat verò, quandò

(1) *Bullar.* Bened. XIV, tom. I, n. 20 et n. 120. (Edit. Mechlin. vol. I, pag. 101, et vol. III, pag. 82.) Fusiùs vid. S. Lig. lib. VI, nn. 353 et seq.

delegatio fuit generalis, nisi concessa fuerit sub clausulis *ad arbitrium nostrum, ad beneplacitum nostrum*, ut explicatur ubi *de Legibus*.

II. — De jurisdictione speciali in casus reservatos.

Præmittenda circa notionem, conditiones et species casuum reservatorum.

1° *Notio*. Casus reservatus est, ut jàm indicavimus, peccatum cujus superior habens auctoritatem ordinariam, absolutionem reservat sibi, aut sacerdotibus specialiter à se delegatis. — Undè reservatio est negatio potestatis absolvendi à quibusdam peccatis, seu limitatio apposita confessariorum jurisdictioni, non verò pœna propriè dicta.

2° *Conditiones*. Quodlibet peccatum potest absolutè quidem à superiore reservari (1).

Nullum autem, *nisi contrarium exprimatur*, reverà censetur reservatum, nisi sit : 1. *externum ;* — 2. *mortale* materialiter, id est quoàd actum in se consideratum, simul et formaliter, id est ex parte subjecti ; — 3. *opere consummatum*, seu in genere suo completum, non verò solummodò attentatum ; — 4. *certum*, id est, nullum adsit de peccato dubium *facti*, scilicet de existentiâ peccati, vel de verificatione conditionum ad

(1) Ex dictis patet, et communiter admittitur, sive etiam de peccatis merè internis, sive de venialibus agatur. *S. Lig.* n. 582.

Quænam autem peccata debeant reservari, *ut reservatio in ædificationem non autem in destructionem cedat*, pendet à prudenti superiorum judicio. Adeatur hâc de re Bened. XIV, *de Synodo diœc.* lib. V, capp. 4 et 5.

Gaudent facultate sibi reservandi casus S. Pontifex, Episcopi, Prælati religionum ; non autem Parochi.

reservationem requisitarum; aut (juxta communem sententiam, quam tenet S. Lig.) dubium *juris*, scilicet de existentiâ legis ejusque extensione ad peccatum: possidet enim plenitudo jurisdictionis donec limitatio probetur; dubio autem stante circa reservationem, non probatur limitatio jurisdictionis, proindè peccatum dubiè reservatum practicè non est reservatum (1); — 3. *à pubere commissum:* saltem ex consuetudine generaliter admissâ, juxta DD. Gousset, DD. Bouvier et alios (2). Communi jure, puber est masculus anno decimo quarto, fœmina anno undecimo.

(1) Vid. S. Lig. lib. VI, n. 600, et *Hom. ap.* tract. 16, nn. 142, 143; Billuart, dissert. 6, art. 6, § 1; Pauwels, *de Casib. reserv.* Prolegom. 2, n. 25 (*Theol. curs. compl.* tom. XVIII, col. 943); etc. Undè, juxta probabiliorem sententiam, qui confessus est simplici confessario peccatum dubiè reservatum omninò liberatur à reservatione, etiamsi posteà detegat illud esse certè reservatum. Siquidem, positâ circumstantiâ dubii, peccatum non erat reservatum tempore confessionis, proindè pœnitens ab illo fuit directè absolutus, ideòque directè ablata fuit reservatio.—Undè ulteriùs, non est iteranda confessio, si peccatum dubiè reservatum accusatum fuerit tanquam certò commissum. At, si fuerit accusatum tanquam dubiè commissum, et posteà deprehendatur certò commissum, tenetur quidem pœnitens, ex infrà dicendis, illud posteà confiteri ut certum, non tenetur autem adire confessarium casus reservatos habentem. Vid. *Billuart, S. Lig.* loc. cit.

(2) DD. Gousset, *Theol. moral.* tom. II, n. 491; DD. Bouvier, *de Pœnit.* cap. 7, art. 2, § 6; Collet, cap. 8, art. 4, sect. 2; Sætler, *de Pœnit.* cap. 2, quær. 4, etc. Contradicunt tamen theologi non pauci ap. Ferraris *Prompt. Biblioth.* verb. *Reservatio*, n. 44. —Sed advertendum 1. quòd censuræ generaliter latæ à jure vel ab homine non incurrantur ab impuberibus, nisi hoc sit expressum in lege: ità S. Lig. lib. VII *de Censur.* n. 14; 2. quòd generaliter apud nos Episcopi non sibi reservent, aut saltem non censeantur, nisi de contrario constet, sibi reservare peccata ab impuberibus commissa.

3° *Species*. Casus sunt reservati, alii *ratione sui*, seu propter se; alii *ratione censuræ*, id est, unicè quia peccato annectitur censura reservata; alii, *tùm ratione sui, tùm ratione censuræ*.

Omnes casus papales, duobus exceptis, reservantur ratione censuræ iis annexæ (1).

Corol. Ex dictis solvi possunt quæstiones sequentes:

Q. 1ª. *Utrùm ignorantia excuset à reservatione?*

R. Vel quæstio est de peccatis reservatis ratione sui, vel de peccatis reservatis ratione censuræ.— Si priùs: Ignorantia non excusat à reservatione. Reservatio enim non est propriè pœna pœnitenti imposita, sed limitatio afficiens confessarii jurisdictionem; porro pœnitentis ignorantia non impedit quin limitetur confessarii jurisdictio. — Si posteriùs: Ignorantia *censuræ* ipsius excusat à reservatione, in omnibus et solis circumstantiis in quibus excusat à censurâ (quod explicatur ubi *de Censuris*). Siquidem peccatum reservatur solummodò ratione censuræ. Ignorantia autem solius *reservationis* censuræ non eximit à reservatione, ob rationem in priori responsione expositam (2).

(1) Duo sunt casus Papæ reservati absque censurâ, scilicet: 1. innocentem sacerdotem falsò insimulare, per se aut per alium, apud judices ecclesiasticos, de crimine sollicitationis: ex Bul. *Sacramentum*. Bened. XIV; 2. accipere dona à Regularibus utriusque sexûs, nisi priùs facta fuerit restitutio, vel in toto, si donum excedat valorem decem scutatorum roman., vel in parte ad arbitrium Pœnitentiarii magni, si prædictum valorem donum non excedat. *S. Lig.* n. 580.

Casus S. Pontifici et Episcopis reservatos ordinariò exhibent *Acta* et *Statuta* Synod. sive provincial. sive diœcesan. — Eorum igitur expositionem prætermittimus.

(2) Aliquandò ab Episcopis simul reservatur casus, eique adnec-

Q. 2ª. *Utrùm sacerdos non habens casus reservatos absolvere possit à peccato commisso ante, sed accusato post legem reservantem?*

R. Vel peccatum reservatur ratione sui, vel ratione censuræ. — Si ratione sui : Non potest; siquidem instanti confessionis limitatur jurisdictio confessarii. — Si ratione censuræ : Potest; censura enim non incurritur ante legem, proindè peccatum non potest esse reservatum, cùm censura sit ratio reservationis.

Q. 3ª. *Utrùm confessarius casus reservatos non habens possit absolvere à peccato in diœcesi suâ non reservato, sed reservato et commisso in diœcesi propriâ pœnitentis?*

R. In genere confessarius prædictus potest absolvere. Siquidem non limitatur ejus jurisdictio per limitationem alieni Episcopi.

Dicimus : *in genere.* Non potest enim absolvere 1. si pœnitens adeat confessarium in fraudem legis. Ità ex Bul. *Supernâ* Clementis X, 21 jun. 1670. Existit autem *fraus legis*, juxta S. Lig., quandò pœnitens alienam petit diœcesim principaliter eo fine ut effugiat judicium sui superioris, vel ut faciliùs absolvatur. Secùs verò, si abscesserit ad alienam diœcesim ob aliquem finem honestum, v. g. negotii agendi, indulgentiæ lucrandæ, vel ut confiteatur cum minori incommodo, ut confessarium prudentiorem inve-

titur censura, quod in Tabellis casuum reserv. sæpiùs indicatur istâ adnotatione : *Casus Episcopo reservati, quibus est annexa censura.* Undè, in illâ hypothesi, ignorantia potest quidem eximere à censurâ, minimè autem excusat à reservatione. — Vid. S. Lig. nn. 580, 581.

niat (1); — 2. si peccato pœnitentis sit annexa censura *ab homine*. Ità omnes. — An verò limitetur prædicti confessarii jurisdictio quoàd omnes censuras in diœcesi pœnitentis episcopo reservatas? Affirmant plures contra alios (2).

Q. 4ª. *Utrùm confessarius casus reservatos non habens possit absolvere à peccato reservato in diœcesi suâ, non verò in diœcesi pœnitentis in quâ commissum est?*

R. Non potest; limitatur enim ejus jurisdictio.

Quibus positis,

I. De Subjecto.

Quær. *Quis habeat jurisdictionem in casus reservatos?*

Resp. Quoàd præsentem materiam, quadruplex distingui potest jurisdictio, scilicet: 1. ordinaria, 2. delegata à jure, vel ab homine, 3. subdelegata, 4. indirecta, seu per accidens. — Porro

I. Jurisdictionem *ordinariam* habent 1. auctor reservationis, 2. ejus successor, 3. superior utriusque, — et isti soli.

Prædicti habent jurisdictionem ordinariam, seu independentem à delegatione: siquidem auctor reserva-

(1) S. Lig. n. 589.

(2) Affirmat S. Lig. n. 590, et *Hom. ap.* trac. 16, n. 138, cum Roncaglia et Wigandt, non posse absolvi à confessario simplici pœnitentem extra diœcesim à censurâ quæ in patriâ est reservata. — Negant verò Collat. Andegav. 3e *confér.* quest. 3, art. 3; Collet, *de Pœnit.* part. 2, cap. 8, sect. 6, quær. 2 (n. 563), et *Traité des dispenses,* edit. Compans, liv. I, chap. 3, limitari jurisdictionem confessarii prædicti quoàd censuras in diœcesi pœnitentis reservatas *à jure* aut *à statuto*.

tionis non potest limitare jurisdictionem suam, successoris et superioris. — Habent isti soli : auctor enim reservationis potest aliorum limitare jurisdictionem quoàd quædam peccata ; isti proindè non possunt de his absolvere, nisi potestate delegatà.

II. Subjectum jurisdictionis delegatæ et subdelegatæ, in materià casuum reservatorum, determinatur principiis suprà expositis ubi de subjecto jurisdictionis tùm delegatæ tùm subdelegatæ *in personas*.

Notandum tamen: simplex sacerdos, qui pœnitentem absolvit in periculo mortis, vi delegationis à jure concessæ, absoluto quidem modo potest absolvere à casibus *simpliciter reservatis*, ità ut, cessante periculo, pœnitens non ampliùs teneatur ad superiorem recurrere : etenim ex Conc. Trid. *nulla est reservatio* in articulo mortis, ergo nullum etiam reservationis onus; — à *censuris* autem, non potest absolvere, nisi sub onere superiorem adeundi, dato tempore, et ad illud tenetur pœnitens sub pœnà iterùm incidendi in censuras, ut explicabitur ubi *de Censuris*.

Quibus addenda sunt sequentia :

1° Episcopus jure delegatur ad absolvendum per se, aut per alium ad id specialiter deputandum, à casibus S. Pontifici reservatis, quandò casus sunt occulti. *Conc. Trid. sess.* 24 *de Reform. cap.* 6. — Dicimus : per alium *ad id specialiter deputandum :* Probabiliùs juxta S. Lig. aliosque plures, non requiritur deputatio specialis pro quocumque casu particulari, sufficit verò deputatio generalis, modò expressè specificata (1).

(1) S. Lig. n. 594, *dub.* 9, et *Hom. ap.* tract. 20, n. 34.

Limitatur tamen prædicta Episcoporum potestas circa occultos: 1. quoàd casus expressos in Bullâ *Cœnæ*, specialiter quoàd hæresim occultam: generalis enim facultas ipsis à Tridentino concessa, subsequentibus SS. Pontificum decretis restricta fuit (1); 2. quoàd casus post Conc. Trid. Papæ reservatos, quandò saltem in Constitutione Pontificiâ adest clausula derogans Concilio (2).

2° Episcopus jure delegatur ad absolvendum per se aut per alium à casibus S. Pontifici reservatis, etiam non occultis (imò juxta S. Lig. cum communi, etiam ab hæresi et ab aliis casibus bullæ *Cœnæ*), quandò pœnitentes, ob legitimum impedimentum, sive perpetuum, sive ad longum tempus, Romam personaliter adire nequeunt; etiamsi, probabiliùs, possint scribere aut nuntium mittere (3).

(1) Vid. Bened. XIV, *de Synod. diœces*, lib. IX, cap. 4 et 5; Giraldi *Expositio Jur. Pontif.* part. 2, sect. 132; etc. — Observat tamen Bened. XIV, Ibid. cap. 4, n. 3, quoàd hæresim, Episcopum, ut S. Sedis delegatum, posse resipiscentem hæreticum, aut sponte coram se comparentem, aut ad suum forum quoquomodo deductum, Ecclesiæ reconciliare, et pro utroque foro absolvere à censurâ in quam propter hæresim incidit: quinimò posse pœnitentem hæreticum, postquam suos ejuraverit errores, ad simplicem confessarium remittere ut ab eo absolvatur; eamque absolutionem, licèt à confessario datam pro foro sacramentali, prodesse etiam pro foro externo à cujus jurisdictione promanat.

(2) Quidam absolutè docent facultatem Episcopis à Tridentino concessam non extendi ad casus post concilium Papæ reservatos. Probabiliùs autem, cum Suarez, *de Censur.* disp. 41, sect. 2, S. Lig. n. 594 et *Hom. ap.* tract. 20, n. 36, aliisque pluribus, non limitatur prædicta facultas, nisi in bullâ pontificiâ quâdam clausulâ derogatoriâ constet de restrictione Tridentinæ concessionis.

(3) Vid. S. Lig. lib. VII, n. 84 et seq.; *Hom. ap.* tract. 20 à n. 40 ad 46.

III. Per jurisdictionem *indirectam* intelligimus facultatem à reservatis absolvendi, nec ordinariam, nec delegatam aut subdelegatam, sed confessario advenientem ratione circumstantiarum. Quod sic explicatur: confessarius simplex, licèt nullam habens jurisdictionem propriè dictam in reservata, non caret jurisdictione circa peccata non reservata; ratione circumstantiarum ipsi datur facultas jurisdictionem suam exercendi in pœnitentem, proindè, cùm peccata nequeant alia sine aliis remitti, confessarius absolvens directè à non reservatis, indirectè, seu concomitanter, à reservatis absolvit.

Ad determinandum hujusmodi jurisdictionis subjectum, duo sunt quærenda: 1° an quandòque, 2° in quibusnam circumstantiis confessarius simplex possit indirectè absolvere à reservatis.

Ad 1am quæst. scilicet: *An quandòque confessarius simplex...?*

Resp. Duplex est opinio. *Prima* negat. Quia, præterquàm in periculo mortis, sacerdos simplex nullam habet jurisdictionem in casus reservatos; proindè omninò, nequidem quoàd alia peccata, nequit absolvere pœnitentem reservata habentem. *Secunda*, communior, et juxta S. Lig. cum pluribus aliis probabilior, affirmat. Nam, ex unâ parte, sacerdos simplex non caret jurisdictione circa peccata non reservata. Ex alterâ parte, existente causâ gravi, superior non censetur velle obligare ad aliquid moraliter impossibile, vel ad grave incommodum subeundum: undè meritò præsumitur jurisdictionem conferre ad absolutionem indirectam, quæ sufficit pro necessitate actuali pœnitentis (1).

(1) Vid. Suarez, *de Pœnit.* disp. 31, sect. 3; Billuart, dis. 6, art. 6,

Ad 2^{am} scilicet : *In quibusnam circumstantiis sacerdos simplex possit indirectè absolvere à reservatis ?*

Resp. cum S. Lig. et communi. Sacerdos simplex potest absolvere indirectè à reservatis : 1° si superior nequeat adiri absque gravi incommodo, sive physico, sive morali ; et ex aliâ parte gravis urgeat causa, v. g. periculum infamiæ aut scandali ex omissione celebrationis aut communionis, vel necessitas implendi præceptum annuæ confessionis, vel timor ne pœnitens diutiùs perseveret in peccato mortali ; 2° si pœnitens bonâ fide confiteatur simplici sacerdoti non advertenti peccatum esse reservatum ; aut si pœnitens confitendo apud simplicem sacerdotem inculpatè obliviscatur peccati reservati (1).

Observ. In prædictis casibus, impedimento cessante, vel detecto defectu confessionis, tenetur pœnitens adire superiorem aut confessarium casus reservatos habentem, ut à reservatis directè absolvatur. Alioquin finis reservationis non obtineretur. Superior enim ideò sibi vel confessariis specialiter delegatis reservavit absolutionem hujusmodi peccatorum, ut difficilior evaderet eorum absolutio, pœnitentesque convenientem medicinam et pœnitentiam reciperent. — Hinc etiam confessarius simplex in præcitato necessitatis casu, nonnisi

§ 3 ; Ferraris, verb. *Reservatio*, n. 31 et seq. ; S. Lig. n. 585, et n. 596, in cujus fine sic concludit : « Cùm hæc sententia sit *communis*, ut fatetur ipse Antoine, et *valdè probabilis*, imò certè *probabilior*, ut diximus, benè potest deduci in praxim ; nam, ut probavimus n. 573, est moraliter certum, quòd cum opinione probabili Ecclesia supplet jurisdictionem. »

(1) S. Lig. nn. 585 et 596.— Vid. superiùs tract. *de Eucharistiâ* pag. 130.

sub onere se sistendi tempore opportuno coram superiore, pœnitentem absolvere potest.

Not. Occasione remissionis indirectæ reservatorum, sequentia sunt addenda:

1° Indirectè remittuntur peccata reservata, si pœnitens, confitendo apud superiorem aut confessarium casus reservatos habentem, inculpatè obliviscatur alicujus reservati. — Imò, in illâ hypothesi, reservatio tollitur, ità ut deinceps sufficiat peccatum illud simplici confessario declarare; nisi tamen adsit positiva præsumptio quòd, si superior audivisset reservatum, absolutionem distulisset. Siquidem, nisi adsit positiva præsumptio in contrarium, confessarius meritò censetur pœnitentem ritè dispositum liberare ab omni vinculo à quo absolvere potest; etenim, juxta formulam absolutionis, absolvit *ab omni vinculo excommunicationis... in quantùm potest,* et *indiget* pœnitens (1).

2° Probabiliùs tollitur reservatio, si confessio facta apud sacerdotem casus reservatos habentem fuerit inculpabiliter nulla. Quia reservatio principaliter ad illud ordinatur, scilicet ut peccata deferantur superiori, pœnitens autem satisfecit fini reservationis. — Idem dicendum, ob eamdem rationem, si confessio fuerit sacrilega: saltem juxta sententiam, quam tenet S. Lig. utpotè *communiorem* et *probabilem.*

Non tollitur autem reservatio: 1. si pœnitens cela-

(1) Ità Billuart, *dissert.* 6, *art.* 6, § 3, *petes* 2; Collet, *cap.* 8, *art.* 4, *sect.* 6, *quær.* 4; Ferraris, verb. *Reservatio,* n. 34, cum pluribus; De Lugo, Salmant., Holzmann et alii ap. S. Lig. n. 597, qui eam dicit *communissimam* et *probabilem*, licèt oppositam ut *probabiliorem* tueatur cum Suarez, *disp.* 31, *sect.* 4, n. 12 et aliis.

verit peccatum reservatum, aut confessus fuerit quidem, sed absque animo illud vitandi, vel pœnitentiam injunctam adimplendi : siquidem in hoc casu non obtineretur finis reservationis ; 2. nec tollitur, sive culpabiliter sive inculpabiliter invalida fuerit confessio, si facultas à reservatis absolvendi confessario concessa fuerit ratione Jubilæi : etenim, cùm facultatem à reservatis absolvendi non concedat S. Pontifex, nisi ut fideles lucrentur Jubilæum, non censetur velle auferre reservationem, si pœnitens Jubilæum non lucretur (1).

II. De Extensione.

Quær. *Quænam sit extensio jurisdictionis in casus reservatos ?*

Determinanda est jurisdictionis extensio 1. quoàd loca et personas, 2. quoàd durationem, 3. quoàd peccata, 4. quoàd modum absolutionis.

1° et 2° Quoàd *loca, personas* et *durationem* : Extensio jurisdictionis determinatur ex principiis suprà expositis, ubi *de jurisdictione in personas.*

3° Quoàd *peccata* : Jurisdictio ordinaria, scilicet 1. jurisdictio S. Pontificis extenditur ad casus reservatos Sedi Apostolicæ, ad omnes casus Episcopis reservatos ; quia S. Pontifex superior est omnium ; 2. jurisdictio Episcopi extenditur ad omnes casus suæ sedi reservatos.

Jurisdictio delegata extenditur ad omnes et solos casus in delegatione designatos.

Undè 1° in delegatione à S. Pontifice concessâ non

(1) Vid. S. Lig. n. 598, *quær.* 3 et 4, et *Hom. Apost.* tract. 16, n. 141.

comprehenditur, nisi positivè exprimatur, facultas absolvendi 1. à casibus quos S. Pontifex sibi specialiter reservàsset; 2. à censuris S. Pontifici specialiter reservatis (dicimus *specialiter :* siquidem facultas absolvendi à casibus S. Pontifici reservatis importat in genere facultatem absolvendi à censuris ratione quarum peccatum reservatur); 3. à casibus bullæ *Cœnæ;* 4. ab hæresi externâ, licèt occultâ, etiam tempore Jubilæi; 5. à casibus Episcopo reservatis (1).

2° Facultas à reservatis absolvendi ab Episcopo obtenta, non extenditur, nisi positivè exprimatur 1. ad casus papales Episcopo devolutos; 2. ad casus specialiter reservatos; 3. ad casus reservatos ratione censuræ; 4. ad censuras ab homine.

4° Quoàd *modum* : Qui habet facultatem ordinariam absolvendi à casibus reservatis, reservationem tollere potest intra vel extra tribunal, per absolutionem sacramentalem, vel alio modo. — Qui autem habet jurisdictionem merè delegatam, nonnisi intra tribunal, per sacramentalem absolutionem, reservationem tollere potest.

ARTICULUS II.

De conditionibus ex parte elementorum.

§ I. — De Materiâ.

QUÆSTIO I.

Quænam sit materia sacramenti Pœnitentiæ?

Quæstio esse potest de materiâ *remotâ*, vel de materiâ *proximâ*.

(1) Vid. S. Lig. lib. VII, nn. 109 et seq. — De his aliundè fusiùs, ubi *de Censuris*.

1° Si quæstio sit de materiâ *remotâ*, seu circa quam versatur efficacitas sacramenti :

Resp. Sunt materia sacramenti pœnitentiæ, omnia peccata mortalia aut venialia, non remissa, aut etiam remissa, post baptismum commissa.

Prob. p. p. Sunt materia—peccata mortalia : siquidem illud est materia remota circa quod delendum versatur efficacitas sacramenti ; porro pœnitentia ordinatur ad restitutionem gratiæ, proindè præcipuè ad destructionem peccati ; — peccata venialia : docet enim Conc. Trid. sess. 14, cap. 5, venialia *rectè et utiliter in confessione* dici, *taceri tamen citra culpam* posse ; — non remissa, ut evidens est ; — imò etiam remissa : nam 1. in genere remissio injuriæ, ac proindè peccati, potest iterari ; 2. constat piorum et doctorum usu, quem nedùm redarguit, imò commendat Ecclesia ; 3. Benedictus XI, decretal. *Inter cunctas*, declarat : *Licèt de necessitate non sit eadem confiteri peccata, tamen, propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum reiteretur confessio, reputamus salubre* (1); — post baptismum commissa : quia peccatum originale et actualia ante baptismum commissa remittuntur per baptismum, ut probatur ubi *de Baptismo*.

2° Si quæstio sit de materiâ *proximâ :*

Prænot. Licèt omnes catholici teneant contritionem, confessionem et satisfactionem ex institutione Christi ad sacramentum pœnitentiæ constituendum necessarias esse ; scinduntur tamen in assignandâ materiâ

(1) Extrav. commun. lib. V, tit. 7 *de Privileg.* cap. 1.

proximâ hujus sacramenti.— *Alii* materiam proximam reponunt in impositione manuum (1); *alii* in absolutione, quatenùs est ritus sensibilis (2); *alii* verò in tribus actibus pœnitentis, scilicet contritione, confessione, satisfactionis voto (3). — Quibus positis, cum sententiâ communiori, quam *moraliter certam* habemus,

Resp. Materia proxima sacramenti pœnitentiæ sunt tres actus pœnitentis, scilicet, contritio, confessio et satisfactio.

Prob. 1ª. Pœnitentia administratur per modum judicii. Porro in judicio, debita informatio causæ potest dici materia, et sententia potest dici forma judicii. Ergo confessio, quæ est informatio causæ, contritio et satisfactio, quæ sunt conditiones debitæ confessionis, dici possunt materia sacramenti pœnitentiæ.

Prob. 2ª. Concil. Trid. sess. 14, can. 4 : *Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, videlicet* contritionem, confessionem *et* satisfactionem, *quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur... anathema sit.*— Undè sic : 1° Vera propositio nostra, si particula *quasi* in textu citato præposita verbo *materiam*, sit explicativa, non verò exclusiva. Porro rem ità esse constat ex Catechismo Concilii Tridentini (4), et consensu theologorum post Concilium

(1) Ità Guillelm. Antissiodor., Alex. Alens., Witasse, etc.

(2) Ità Scotistæ, Maldonat, etc.

(3) Ità, cum D. Thomâ, 3 p. q. 84, art. 2, longè communior sententia theologorum, præsertim post Conc. Florent. et Trid.

(4) « Neque vero hi actus quasi materia a sancta synodo appel- » lantur, quia veræ materiæ rationem non habeant; sed quia ejus

Tridentinum, qui generaliter admittunt hanc particulam ideò fuisse adjectam, quia actus pœnitentis non sunt materia in sensu proprio. 2° Actus pœnitentis dicuntur *partes* sacramenti. Ergo constituunt intrinsecè sacramentum; ergo sunt vel materia, vel forma, cùm sacramenta duobus istis elementis constituantur. Porro non sunt forma, ut constabit ex dicendis de absolutione; proindè sunt materia.

QUÆSTIO II.

Quænam conditiones requirantur ex parte materiæ,

seu, ex probatis in superiori propositione,

Quænam conditiones requirantur ex parte contritionis, confessionis, satisfactionis?

§ 1. — De Contritione.

Præmittenda.

I. Contritio est : *animi dolor* (voluntatis rationabilis tristitia) *ac detestatio* (seu odium) *de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.*

Duplex distinguitur, perfecta scilicet et imperfecta. — *Perfecta* dicitur, ac propriè *contritio*, quando concipitur ex motivo charitatis perfectæ, id est, quando pœnitens dolet de peccato, quia peccatum offendit Deum, summum bonum, propter se dilectum; — *Imperfecta* verò, seu *attritio*, quando concipitur ex alio motivo supernaturali (1).

» generis materiæ non sint quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua » in baptismo et chrisma in confirmatione. » *Catech. Conc. Trid.* part. 2, cap. 5, n. 17.

(1) Hæc est, juxta communem sententiam, essentialis ratio discriminis inter contritionem perfectam et imperfectam. Nonnulli

II. Circa motiva contritionis imperfectæ, negàrunt Lutherus, Baius et Jansenistæ attritionem ex metu gehennæ conceptam esse bonam et supernaturalem (1).

Catholici verò 1° duplicem distinguunt dolorem ex metu gehennæ conceptum, *serviliter* scilicet et *simpli-*

quidem perfectionem contritionis à gradibus appretiationis repetunt, et contritionem perfectam ab imperfectâ distinguunt eo quòd illa sit ex dilectione Dei super omnia, non item imperfecta : ista autem sententia rejicienda videtur, quia, ut infrà dicemus, quælibet contritio ad sacramentum requisita summa esse debet. Alii etiam ad perfectionem contritionis requirunt charitatis intensionem, et docent contritionem ab attritione non specie, sed gradibus differre, ità ut charitas admodum intensa contritionem efficiat perfectam, debilis autem et remissa imperfectam : sed huic etiam sententiæ obstant argumenta quibus mox probabitur charitati in genere, et non tantum summæ ejus intensioni justificationem adscribi. Vid. P. Alb. Knoll. *Instit. Theol. theoret.* part. 4, § 659.

Hinc, juxta distinctionem superiùs assignatam, attritio nunquam potest fieri contritio, cùm una specie differat ab alterâ. Hinc istud axioma: *Pœnitens in sacramento de attrito fit contritus* solummodò verificatur, vel quandò amori concupiscentiæ seu spei accedit amor charitatis, vel in eo quòd per virtutem sacramenti infunditur gratia sanctificans, quæ vera est charitas in corde pœnitentis per Spiritum Sanctum diffusa.

(1) Juxta Lutherum, contritio ex metu gehennæ concepta mala est, hominemque magis peccatorem et hypocritam facit : quidquid enim non provenit ex charitate habituali verum est peccatum, utpotè procedens à vitiosâ cupiditate. Hanc tamen magistri doctrinam posteà rejecerunt Lutherani.

Baius autem, Jansenius, Quesnellus et eorum asseclæ fatentur quidem timorem gehennæ in genere sumptum esse bonum, quia bonum est timere quod reverà in se formidandum est. Contendunt nihilominùs attritionem ex solo motivo metûs gehennæ conceptam esse vitiosam, tùm quia conditionatam includit voluntatem peccandi, scilicet si abesset pœna, tùm præcipuè quia caret motivo charitatis, quod, juxta illos, omninò requiritur ad bonitatem cujuscumque actûs humani.

citer servilem. *Serviliter servilem* vocant dolorem pœnitentis, qui reipsà vellet peccatum, si pœnis inferni non puniretur; *simpliciter* autem *servilem* dolorem pœnitentis qui vult positivè à peccato abstinere, etiamsi abesset pœna, vel saltem abstrahit ab eo quod faceret si gehenna non existeret. 2° Rejecto dolore serviliter servili tanquam malo, utpotè includente voluntatem peccandi, tenent omnes attritionem ex solo motivo metûs gehennæ simpliciter servili conceptam esse bonam et supernaturalem. Undè

1° Attritio ex solo metu gehennæ simpliciter servili concepta est bona et utilis.

Nam 1° motivum ex quo concipitur est bonum et ad salutem utile. — Quod constat 1. Scripturâ : Sæpiùs enim in Veteri et in Novo Test. commendatur. Sic, Ps. 118, 120 : *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Matth. 3, 7 : *Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere à venturâ irâ? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Ibid. 10, 28 : *Potiùs timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* — Constat 2. unanimi doctrinâ SS. PP., quos inter S. Augustin. in Ps. 127, n. 8, de timore gehennæ scribit : *Bonus est, et utilis iste timor.* Et tract. 9 in Epist. Joan. n. 4 : *Opus est ergo ut intret timor per quem venit charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas* (1). — Constat 3. definitionibus Ecclesiæ. Conc. Trid. sess. 6, can. 8 : *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, pec-*

(1) Vid. testim. PP. ap. Bellarmin. *de Pœnit.* lib. II, cap. 17.

catum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit. Vid. et sess. 14, can. 5. Alexander VIII, 7 decemb. 1690, hanc, n. 13, proscripsit propositionem : *Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus et supernaturalis.* Eosdem errores damnavit Clemens XI in Constit. *Unigenitus* (1).

2° Si mala esset attritio ex solo metu gehennæ concepta, præcipuè quia includit voluntatem peccandi, vel quia caret motivo charitatis perfectæ quod omnes hominis actiones informare debet, imò procedit ex amore proprio. Porro falsæ sunt istæ rationes.

1. Non includit voluntatem peccandi : Siquidem juxta notionem metûs simpliciter servilis, vel positivè excluditur talis voluntas, vel saltem abstrahit subjectum ab eo quod faceret si gehenna non existeret. Positâ autem hujusmodi abstractione, etiamsi talis daretur dispositio pœnitentis ut peccatum non detestaretur si gehenna non existeret, attamen quandiù talis dispositio non reducitur ad actum, seu quandiù positivè non intenditur voluntas peccandi, de se non includitur in actu doloris.

2. Falsum est in genere malum esse quodcumque non procedit ex motivo charitatis perfectæ. Quod probatur ubi *de Relatione actuum ad Deum.*

3. Inordinatus quidem, proindè malus est actus procedens ex amore proprio, si ultimò non referatur ad Deum ultimum finem ; secùs verò si, licèt proximè

(1) Vid. prop. nn. 60, 61, 62, 67 Quesnelli, ap. Denzinger, in *Enchiridio Symbolor. et Definit.*

relatus ad bonum proprium, ultimò tendat ad Deum, nec à subjecto excludatur ista ultima relatio. Undè, licèt attritio ex metu gehennæ simpliciter servili concepta procedat ex amore proprio, mala non est, quia ultimò ordinatur saltem implicitè ad Deum ultimum finem.

2° Attritio prædicta supernaturalis est.

Siquidem 1. ejus motivum habetur ex fide, seu lumine supernaturali. 2. Timor ex quo concipitur donum Dei est. Testatur enim script. Eccli. 25, 15: *Beatus homo cui donatum est habere timorem Dei.* Idem docent Patres. Illumque timorem recenset Conc. Trid. sess. 6, cap. 6 inter dispositiones ad ipsam justitiam : ad justificationem verò actus naturalis disponere non potest. — Hinc idem Conc. Trid. sess. 14, cap. 4, definit attritionem illam *verum donum Dei esse et Spiritûs Sancti impulsum.* Hinc ab Alexandro VIII damnatæ sunt prop. n. 14 : *Timor gehennæ non est supernaturalis;* et prop. n. 15 superiùs relata.

Quibus præmissis,

Quæstio superiùs posita de contritione duplici æquivalet, scilicet 1° qualis contritio sit materia sacramenti pœnitentiæ; 2° quænam requirantur conditiones ex parte contritionis quatenùs est materia sacramenti.

Ad 1^{am} quæst. *Qualis contritio sit materia sacramenti pœnitentiæ?*

Resp. 1° Contritio perfecta optima est materia sacramenti, minimè verò necessaria. 2° Contritio imperfecta est materia sufficiens (positis, ut patet, conditionibus inferiùs exponendis).

I. Contritio perfecta optima est materia sacramenti : Etenim, si qua sufficiat, maximè contritio perfecta.

Minimè verò necessaria : Siquidem

II. Imperfecta contritio est materia sufficiens :

Prob. 1ª. Contritio perfecta, juncta cum voto sacramenti, hominem justificat priusquàm sacramentum actu suscipiatur. — Ergo, si non sufficiat imperfecta, proindè si perfecta requiratur, ex institutione Christi peccata remitti debent ante sacerdotis absolutionem; ergo frustrà Christus indidit sacramento vim remissivam peccati; ergo, ut asserebat Baius, prop. 58, *peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed à solo Deo;* ergo pœnitentia dici non debet sacramentum mortuorum : quod ex anteà probatis admitti nequit.

Pr. ant. Contritio perfecta, juncta cum voto sacramenti, hominem justificat priusquàm sacramentum actu suscipiatur (1) :

1° Script. Luc. 10, 27 : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ... hoc fac, et vives.* Ergo mors spiritualis est incompatibilis cum charitate perfectâ, de quâ sermo est in textu citato. Proindè contritio perfecta, quæ æquivalet charitati perfectæ, per se remittit peccatum. Luc. 7, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm,* ait de Magdalenâ Christus. I Petr. 4, 8 : *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Etc.

2° Testim. PP. S. Joan. Chrysost. homil. 7 in 2 Tim. n. 3 : *Sicut ignis in sylvam ingressus omnia purgare solet, sic dilectionis fervor, quòcumque inciderit,*

(1) Hæc propositio pugnat contra Baium, Jansenium et Estium, negantes contritionem perfectam justificare extra sacramentum, præterquàm in casu necessitatis, deficiente copia confessoris.

omnia tollit et exscindit... Ubi charitas est, omnia sublata sunt mala. S. August. tract. 1 in 1 epist. Joan. n. 6 : *Sola charitas extinguit delicta.* S. Thomas, in 4, dist. 17, quæst. 2, art. 5 : *Quantumcumque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet* (1).

3° Docet Conc. Trid. sess. 14, cap. 4, *etsi contritionem hanc aliquandò charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare priusquàm hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto quod in illâ includitur, non esse adscribendam.*

Idem eruitur ex actis SS. Pontif., S. Pii V, Gregorii XIII et Urbani VIII, quibus proscripta est doctrina Baii circa quæstionem præsentem. Inter alias enim damnata est propositio sequens, n. 71 : *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti* (2).

Undè contraria sententia ab omnibus communiter theologis rejicitur, ab aliis tanquam *erronea*, ab aliis tanquam *parùm tuta in fide*, ab aliis verò tanquam *temeraria* et *scandalosa* (3).

(1) Vid. fus. Bellarm. lib. II, cap. 13.

(2) Cæteras, nn. 31, 32, 33, 70, vid. ap. Denzinger, op. cit.

(3) Vid. S. Lig. n. 442. — An autem omnis contritio juncta cum voto sacramenti, eo ipso quo sit concepta ex motivo charitatis perfectæ, et sit super omnia, justificet extra sacramentum, independenter ab omni gradu intensionis ? non eadem est theologorum doctrina. Nonnulli requirunt contritionem valdè intensam, seu summè vehementem ex parte conatûs animi. Communiter autem theo-

Diximus: contritio perfecta, *juncta cum voto sacramenti.* Siquidem ad veram contritionem requiritur firmum propositum peccata mortalia vitandi, et adimplendi præcepta; porro, ut infrà dicemus, præcepto divino necessarium est confiteri omnia et singula peccata mortalia. Undè Conc. Trid. supr. cit. declarat *reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Ergo, etc.

Prob. 2ª. Conc. Trid. sess. 14, cap. 4: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quo-*

logi docent omnem contritionem perfectam, quamvis remissam, pœnitentem justificare extra sacramentum; quia Scripturæ, Patres et Concilium Trid. charitati et contritioni perfectæ hunc effectum adscribunt, quin determinent intensionis gradum. — « Sed etiam istæ » sententiæ, observat præcitatus *P. Knoll*, conciliari posse viden- » tur, si attendatur quod omnes admittunt ordinariè non sine diffi- » cultate et virium intensione fieri, ut peccator, præsertim invete- » ratus, cor suum ab objectis anteà amatis penitùs avellat et ad » Deum perfectè convertat, Deum super omnia bona diligat, et pec- » cata super omnia mala detestetur, firmumque propositum conci- » piat, non solùm omnia peccata et peccandi occasiones vitandi, » sed etiam omnes obligationes adimplendi et pro peccatis com- » missis debitam satisfactionem præstandi. » Ità, *op. cit.* § 639, *not.* 2. — Juxta prædictam animadversionem, etiam in secundâ sententiâ possunt explicari seq. verba Catech. Conc. Trid. part. 2, *de Sacram. pœnit.* n. 46: *Ut enim hoc concedamus contritione peccata deleri, quis ignorat illam adeò vehementem, acrem, intensam esse oportere. ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit; at, quoniam pauci admodùm ad hunc gradum pervenirent, fiebat etiam ut à paucissimis hâc viâ peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit ut clementissimus Dominus faciliori ratione communi hominum saluti consuleret, quod quidem admirabili consilio effecit, cùm claves regni cœlestis Ecclesiæ tradidit.* Vid. inter alios P. Antoine, *Theol. univ. specul.* de Pœnit. cap. 2, art. 5.

niam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ: declarat (S. Synodus) *non solùm non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, et Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et, quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Undè sic : 1° In capite citato Concilium determinat contritionem in sacramento sufficientem. Ergo, cùm loquatur de attritione, implicitè declarat eam sufficere. 2° Ad justificationem in sacramento pœnitentiæ obtinendam, sufficit dolor et detestatio peccati, quæ vera dici possit contritio. Porro attritio appellatur à Concil. Trid. contritio imperfecta. 3° Juxta doctrinam Concilii, attritio disponit ad justificationem, remotè extra sacramentum : pœnitens per attritionem *viam sibi ad justitiam parat;* proximè intra sacramentum : attritio peccatorem *ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Porro vana esset hæc distinctio, si attritio cum sacramento pœnitentiæ non justificaret.

Ad 2am quæst. scilicet : *Quænam requirantur conditiones ex parte contritionis quatenùs est materia sacramenti?*

Resp. Conditiones contritionis, quatenùs est materia pœnitentiæ, sunt aliæ generales, aliæ speciales.

§ 1. — Conditiones *generales.*

De his conditionibus, quædam sunt certa, quædam controversa.

I. Certa.

Contritio debet esse 1° interior, 2° exteriùs manifestata, 3° supernaturalis quoàd auxilium et motivum, 4° summa' saltem appretiativè, 5° actualis, 6° universalis, saltem quoàd mortalia.

1° *Interior.* Siquidem 1. ex naturâ suâ, et juxta doctrinam Concil. Trid., contritio est *animi dolor.* 2. Joël. 2. 12: *Convertimini ad me in toto corde vestro... scindite corda vestra.*

2° *Exteriùs manifestata,* per verba, signa doloris, etc. Nam contritio est pars materiæ sacramenti pœnitentiæ: porro materia debet esse sensibilis.

3° *Supernaturalis :* 1. quoàd auxilium, id est producta auxiliante gratiâ, 2. quoàd motivum, id est determinante consideratione sumptâ ex revelatione.

Pr. ratione generali. Contritio ordinatur ad justificationem, quæ ipsa ordinatur ad visionem intuitivam; ergo contritio requisita est actus supernaturalis. Porro ex dictis ubi *de Gratiâ,* ad actum supernaturalem requiruntur auxilium et motivum supernaturalia.

Pr. rat. special. Requiritur 1. *auxilium* supernaturale : Definivit enim Conc. Trid. sess. 6, can. 3 : *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem... pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*—Requiritur 2. *motivum* supernaturale: Ab Innocentio XI, 2 mart. 1679, damnatâ est propositio sequens, n. 57 : *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Ergo.

4° *Summa*, non quidem intensivè, sed appretiativè. — Debet esse summa : id est, dolor ac detestatio de peccato superare debet dolorem ac detestationem de quolibet alio malo. Siquidem contritio non est vera, nisi excludat omnem voluntatem peccandi de cætero. Porro, nisi contritio esset summa, non excluderet voluntatem saltem hypotheticam de cætero peccandi. Positâ enim hypothesi, in quâ voluntati eligendum esset inter peccatum et malum quod plùs timeretur quàm peccatum, voluntas eligeret peccatum, potiùs quàm malum. — Non quidem intensivè : scilicet, non requiritur ut contritio afficiat animam quatenùs sensibilem. Nam vera et summa esse potest contritio absque intensitate, ergo intensitas est quid accidentale contritioni ; ergo non requiritur ex naturâ rei. Aliundè contritionis intensitas nullibi positivè requiritur. — Sufficit ergo ut contritio sit summa appretiativè, seu in sensu superiùs enuntiato, ut patet.

5° *Actualis*, scilicet non sufficit contritio habitualis, seu dispositio generalis ad dolorem et detestationem de peccato ; imò nec contritio qualis includitur in actu charitatis perfectæ (licèt per accidens contritio quæ includitur in actu dilectionis Dei super omnia possit extra sacramentum sufficere ad justificationem) ; sed requiritur positivus ac formalis actus doloris ac detestationis. Siquidem, juxta Conc. Trid. supr. cit., quasi materia sacramenti pœnitentiæ sunt tres *actus* pœnitentis, scilicet, *contritio*, etc.

6° *Universalis*, ità ut se extendat ad omnia peccata mortalia nondùm remissa. Alioquin nullum peccatum remitteretur. Non quidem peccata de quibus deesset

contritio, cùm nulla sit absque contritione remissio peccati. Nec etiam peccata de quibus adesset contritio; nam peccatum remittitur per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ cum peccato mortali coexistere nequit.

Duplici autem modo contritio potest extendi ad omnia peccata, scilicet, 1. vel si pœnitens detestetur omnia peccata commissa ex motivo communi omnibus peccatis; 2. vel si detestetur cujusque speciei peccata ex motivo cuilibet speciei proprio.

Non requiritur verò ut contritio se extendat ad venialia, si mortalia accusentur; ad omnia venialia, si confessio fiat tantùm de venialibus. Quia veniale peccatum est compossibile cum gratiâ sanctificante: ac proindè gratia concedi potest homini, etiam non remisso peccato veniali.

II. Controversa.

De conditionibus generalibus contritionis quatuor præcipuè controvertuntur:

1° *Utrùm propositum non peccandi de cætero debeat esse explicitum?*

Alii affirmant. Quia, licèt propositum includatur in contritione, expressam nihilominùs de illius necessitate mentionem habet Concil. Trid. in definitione contritionis. *Alii* negant. Quia sufficit propositum verum; porro verum existere potest, licèt inclusum in contritione (1).

2° *Utrùm requiratur actus contritionis ordinatus ad sacramentum?*

Prima sententia affirmat; quia materia ad sacramen-

(1) Utriusque sententiæ fautores vid. ap. Suarez, disp. 4, sect. 3; S. Lig. n. 450.

tum non ordinata non potest fieri pars sacramenti. *Secunda* negat; quia sufficit vera contritio (1).

3° *Utrùm actus contritionis debeat præcedere confessionem?*

Prima sententia affirmat. Secùs enim confessio esset mera peccatorum narratio, non verò accusatio. Aliundè contritio, quæ per solam confessionem manifestari potest, non esset sufficienter expressa, si postponeretur confessioni. *Secunda* negat. Quia ex unâ parte malè probatur opinio affirmans. Falsum est enim confessionem absque contritione esse meram peccatorum narrationem, contritionem per solam confessionem manifestari posse. Quia ex alterâ parte Concil. Trid. nullum exigit ordinem inter actus pœnitentis. Favet aliundè Rituale Roman. *de Sacram. pœnit.* dicens: *Auditâ confessione* (confessarius) *ad dolorem efficacibus verbis adducere* (pœnitentem) *conabitur* (2).

4° *Utrùm unicus contritionis actus sufficiat duplici absolutioni, modò sit moraliter perseverans?*

Alii negant; quia in omni sacramento requiritur materia specialis. *Alii* verò affirmant; quia sufficit contritio vera virtualiter perseverans (3).

(1) Vid. S. Lig. n. 447.

(2) Vid. ibid. n. 445. — Rectè autem observat *S. Lig.* primam sententiam, sensu quo eam explicant ejus fautores, Laymann, Palaus, Coninck, à secundâ vix discrepare. In tantum enim, ait *S. Lig.*, Laymann et alii requirunt ut confessio sit dolorosa, sive quod dolor confessionem præcedat, in quantum exposcunt ut confessio non sit mera peccatorum narratio; sed habeat rationem accusationis sacramentalis; et ad hoc sufficit ut confessio fiat animo obtinendi absolutionem, et deindè dolor manifestetur saltem per petitionem, seu exspectationem absolutionis.

(3) Vid. ibid. n. 448, et *Hom. ap.* tract. 16, n. 22.

De his quæstionibus, *theoricè* probabiliores videntur opiniones negantes necessitatem prædictarum conditionum.

Practicè autem sic statuendum : vel agitur de confessione futurâ, vel de confessione jàm factâ.

Si de confessione futurâ : practicè admittendæ sunt opiniones affirmantes necessitatem prædictarum conditionum. Siquidem, cùm agitur de valore sacramentorum, non licet sequi opinionem probabilem, imò et probabiliorem; sed tutior eligenda est.

Si de confessione jàm factâ : vel pœnitens prædictas conditiones prætermisit malâ fide, vel bonâ fide. — Si malâ fide : practicè sacrilega fuit confessio. Pœnitens enim tenebatur sub gravi ad illas conditiones, proindè confessio iteranda est. — Si bonâ fide : practicè valida censetur confessio. Standum est enim pro validitate actûs bonâ fide positi, donec de ipsius invaliditate constet; proindè pœnitens non tenetur ad iterandam confessionem.

Attamen in genere

Teneretur pœnitens 1° ad receptionem sacramenti pœnitentiæ ante mortem, si peccata confessa cum dubiis conditionibus fuerint mortalia. Certum est enim ex unâ parte pœnitentem amisisse gratiam sanctificantem per peccatum mortale; ex alterâ autem parte dubium est utrùm gratiam sanctificantem recuperaverit, cùm validitas sacramenti fuerit dubia ; dubium est proindè utrùm sit in statu necessitate medii requisito ad salutem. Porro in tali dubio pars tutior eligenda est. — 2° Non teneretur tamen in hâc confessione iterùm confiteri peccata in

præcedenti confessione accusata. Siquidem potest practicè judicare præcedentem confessionem fuisse validam, ut suprà ostendimus; nec proindè requiri novam accusationem ad posterioris confessionis integritatem formalem, quæ sola requiritur. — Teneretur verò ad actum contritionis ex motivo generali conceptum, vel ex motivo quòd se extendat ad omnia peccata in priori confessione accusata. Nam, si peccata in hâc confessione non fuerunt remissa, in posteriori non possunt remitti, etiam indirectè, absque contritione universali.

§ 2. — Conditiones *speciales*.

Vel quæstio est de contritione perfectâ, vel de imperfectâ.

I. Si agatur de contritione *perfectâ:*

In contritione perfectâ nulla requiritur conditio specialis ad validitatem sacramenti pœnitentiæ; seu, quod idem est, contritio eo ipso quo perfecta est, si aliundè habeat conditiones generales, est materia sufficiens sacramenti, ut evidens est.

II. Si de contritione *imperfectâ:*

Certò debet 1° excludere voluntatem peccandi; 2° includere spem veniæ: *Si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ*, inquit Concil. Trid. supr. cit.

Controvertitur autem utrùm requiratur amor Dei, et, in hypothesi affirmativâ, qualis requiratur.

Circa 1um, scilicet: *Utrùm in attritione requiratur amor Dei?*

R. *Alii* negant. Quia Concil. Trid., sess. 14, ubi agit de sacramento pœnitentiæ, et in cujus prooemio asserit se daturum esse *pleniorem et exactiorem defi-*

nitionem, omninò silet de necessitate istius conditionis.—*Alii* verò affirmant. Quia inter alias dispositiones requisitas in adultis ad justificationem per baptismum obtinendam, exigit Concilium Trid. *ut Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiant.* Ergo à pari idem initium amoris in pœnitentiâ requiritur. Ideò enim necessarium est initium amoris in baptismo, quia justum est hominem, ad creaturas per peccatum tendentem, ad Deum finem suum converti per amorem, antequàm amicus Dei fiat per justificationem. Porro eadem est ratio in pœnitentiâ, ut evidens est (1).

Circa 2um, scilicet : *Qualis amor requiratur?*

R. Diversæ sunt eâ de re theologorum sententiæ.—*Alii* requirunt amorem charitatis summum; *alii* amorem charitatis non summum, sed initialem tantùm; *alii* amorem concupiscentiæ, seu spei, summum ; *alii* demùm amorem spei initialem.

Prætermissis disputationibus de illâ quæstione intricatissimâ, unum pro certo tenemus, scilicet non requiri cum attritione charitatis amorem summum. Summus enim amor charitatis æquivalet contritioni perfectæ; proindè, si necessarius esset, non sufficeret attritio in sacramento pœnitentiæ, sed requireretur contritio perfecta, quod falsum esse probavimus (2).

(1) Theologi docentes attritionem solam sufficere cum sacramento, non omnem ideò Dei amorem excludunt, ut ex dicendis in *notâ* seq. constabit. Undè prædicta controversia potiùs referenda videtur ad controversiam de qualitate principii dilectionis erga Deum omnis justitiæ fontem.

(2) Vide notam ad calcem voluminis.

§ 2. — De Confessione.

Confessio est : accusatio propriorum peccatorum à pœnitente facta sacerdoti jurisdictionem habenti ad obtinendam eorum absolutionem.

Quær. *Quænam ad validitatem sacramenti requirantur conditiones in confessione?*

Resp. Requiritur 1° ut absit à confessione peccatum mortale, 2° ut confessio sit integra.

1ª *Conditio*.—Absit à confessione peccatum mortale : Etenim, si pœnitens in actu confessionis peccatum mortale committat, eo ipso excludit contritionem quæ cum peccato gravi actuali coexistere nequit; proindè non præbet materiam aptam sacramento.

Porro confessio potest includere peccatum mortale ratione circumstantiæ sive extrinsecæ, sive intrinsecæ accusationi. — 1. Ratione circumstantiæ *extrinsecæ :* v. g. si pœnitens ordinet confessionem ad finem graviter illicitum, ad inducendum confessarium in peccatum grave, etc. — 2. Ratione circumstantiæ *intrinsecæ:* v. g. si pœnitens accusaret peccatum grave quod non commisit (nisi, ut patet, id contingat ex simplicitate vel scrupulo); si taceret peccatum grave à se commissum, nec remissum, aut nonnisi indirectè remissum ; si taceret peccatum grave directè quidem remissum, sed cujus notitia esset confessario necessaria ad integritatem confessionis aut directionem pœnitentis in materiâ gravi, putà peccatum necessarium ad manifestandam consuetudinem : in prædictis enim casibus deesset materia sufficiens.

Notandum tamen, si pœnitens in decursu confes-

sionis detestaretur et accusaret peccatum mortale in actu confessionis priùs commissum, tunc reparari vitium, debitam proindè præberi materiam sacramento.

2ª *Conditio.*—Confessio sit *integra.*

Duplex autem distingui potest integritas, materialis scilicet et formalis. *Materialis* adest integritas, si absque ullâ exceptione accusentur omnia peccata quæ nondùm aut nonnisi indirectè fuerunt remissa, simulque peccatorum circumstantiæ quarum præscribitur accusatio; *formalis* verò, si pœnitens confiteatur omnia peccata, omnesque circumstantias, quorum post diligens examen memoriam habet, et à quorum accusatione non se judicat dispensatum judicio practico prudenti. Quo posito,

Integritas materialis requiritur ad remissionem directam; formalis autem sufficit ad validitatem sacramenti, proindè et ad indirectam peccatorum remissionem.

Prob. 1ª *p.* Integritas materialis requiritur ad directam peccati remissionem : Nullum enim peccatum in sacramento directè remittitur, nisi directè per absolutionem attingatur; porro per absolutionem directè non attingitur, nisi clavibus Ecclesiæ in personâ ministri competentis subjiciatur.

2ª *p.* Integritas formalis sufficit ad validitatem sacramenti : Siquidem 1. integritas materialis sæpiùs, sive physicè, sive moraliter impossibilis est; porro Christus, legem confessionis instituens, impossibilia præcipere non intendit, prout unanimi Doctorum consensu tradit Ecclesia. 2. Concil. Trid. sess. 14, cap. 5 : *Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata*

mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri... Et paulò infrà : *Itaque dùm omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata, Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt; qui verò secùs faciunt, et scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt.* Ergo valet confessio, etiamsi omittantur peccata post diligens examen memoriæ non occurrentia; ergo, non requiritur integritas materialis (1).

3ª *p.* Integritas formalis sufficit ad remissionem indirectam peccatorum mortalium, quæ inculpatè omittuntur in confessione : Siquidem, ex Conc. Trid. *sess.* 7, *can.* 6, sacramenta conferunt gratiam *non ponentibus obicem.* Porro, datâ integritate formali, quæ ex dictis ad validitatem confessionis sufficit, nullus ponitur obex. Ergo per sacramentum confertur gratia sanctificans; proindè remittuntur omnia peccata, etiam omissa inculpatè, eùm gratia sanctificans coexistere nequeat cum aliquo peccato mortali.

Explic. Ex istis principiis deducitur solutio quæstionum sequentium, quarum sunt aliæ generales, aliæ

(1) Ea autem ad examen adhiberi debet diligentia, *quam in rebus gravissimis adhibere solemus* (ait Catechism. Conc. Trid. part. 2 de Pœnit. *n.* 62), et quæ moraliter sufficit ad cognoscenda peccata commissa, consideratis capacitate, et memoriâ pœnitentis, diuturnitate temporis ab ultimâ validâ confessione transacti, multitudine et qualitate negotiorum, obligationum, occasionum, et consuetudine peccandi, aliisque circumstantiis. Quare non æquale in omnibus requiritur examen, sed in aliis brevius, in aliis longius. Antoine, *Theol. moral. cap.* 1, *art.* 2, *q.* 11.

speciales; speciales autem relativæ tùm ad peccatorum, tùm ad circumstantiarum accusationem.

I. Quæst. generales.— Q. 1ª. *Utrùm muti teneantur ad accusationem explicitam omnium peccatorum quorum conscientiam habent?*

R. Vel prædicti queunt absque gravi incommodo omnia peccata sua confiteri signis aut scripto; vel non. — Si priùs : tenentur ad explicitam accusationem omnium peccatorum; siquidem nullâ sufficienti ratione prudenter judicare possunt se esse dispensatos.—Si posteriùs, id est, si nequeant absolutè, aut nonnisi cum gravi incommodo, v. g. si necessarius sit interpres : non tenentur, ob rationem contrariam. Sufficit proindè ut accusent peccata quæ possunt exponere absque gravi incommodo.

Idem dicendum 1. de surdis qui non possunt explicare omnia peccata ; 2. de pœnitentibus qui idioma confessarii ignorant; 3. si ante completam accusationem immineat pœnitenti periculum mortis; 4. si immineat prælium, aut naufragium; 5. si, jàm allato viatico, confessio generalis necessaria videatur, nec possit fieri integrè, propter temporis angustias, aut periculum scandali, infamiæ, etc. (1).

Q. 2ª. *Utrùm pœnitens teneatur ad confitendum peccatum quod accusare non potest absque manifestatione complicis?*

(1) Vid. S. Lig. nn. 479, 484 et seq. — Non dispensat autem ab integritate confessionis servandâ magnus populi concursus die festivitatis.—Ab Innocentio XI, 2 mart. 1679, damnata fuit prop. seq. n. 59: *Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ.*

R. Tenetur pœnitens, juxta sententiam communem. Si non teneretur, maximè quia posset judicare prudenter se esse dispensatum ob complicis diffamationem. Porro nulla est hæc ratio; complex enim in peccatum consentiendo jus amisit ad famam in ordine ad illius peccati confessionem.— Tenetur tamen pœnitens, si commodè fieri possit, confiteri apud sacerdotem cui complex sit ignotus. Ab illâ autem obligatione excusat quæcumque causa utilitatis (1).

II. Quæstiones speciales, — 1° relativæ ad confessionem peccatorum.

Q. 1ª. *Quorum peccatorum accusatio necessaria sit ad integritatem formalem confessionis?*

R. Quæstio esse potest de peccatis venialibus, vel de mortalibus.

1° Si de *venialibus:* Necessaria non est eorum accusatio. Juxta Conc. Trid. sess. 14, cap. 5, ista peccata *taceri citra culpam possunt.*

2° Si de peccatis *mortalibus:* Quadruplex hypothesis fingi potest. 1ª Certum est peccatum fuisse commissum, mortale, nec accusatum; 2ª dubium est utrùm peccatum fuerit commissum, vel mortale; 3ª certum est peccatum esse commissum et mortale, sed dubium est utrùm fuerit accusatum; 4ª certum est peccatum fuisse accusatum, sed dubium est utrùm fuerit accusatum debito modo.

Si 1° certum sit peccatum fuisse commissum, mortale, nec accusatum: — debet accusari, etiamsi fuisset indirectè remissum. Omnia enim peccata mortalia

(1) Vid. S. Lig. n. 489.

clavibus Ecclesiæ subjicienda sunt, nisi pœnitens prudenter judicare possit se esse dispensatum. Porro in casu actuali non potest prudenter se judicare dispensatum. Undè ab Alexandro VII, 24 sept. 1665, proscripta fuit prop. seq. n. 11 : *Peccata in confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Peccata autem mortalia accusari debent quoàd numerum et speciem. 1. Quoàd numerum certum, si fieri possit; probabilem, si numerus certus assignari non possit. Docet enim Concilium Trid. sess. 14, can. 7, *necessarium esse confiteri omnia et singula peccata mortalia.* 2. Quoàd speciem : Siquidem, ut dicemus, pœnitens tenetur ad accusandas circumstantias speciem peccatorum mutantes; à fortiori species peccatorum (1).

Si 2° dubium sit utrùm peccatum fuerit commissum aut mortale : — pœnitens illud confiteri non tenetur. Nulla siquidem adest obligatio, donec probetur; porro de illà non constat. Obligatio enim oritur tantùm ex peccato mortali commisso; dubium autem est utrùm peccatum fuerit commissum aut mortale.

Si 3° dubium sit utrùm peccatum, aliundè certò commissum et certò mortale, fuerit accusatum : — pœnitens tenetur ad ejus accusationem. Siquidem obligatio accusandi peccatum certò commissum et certò mortale possidet, quandiù non constat de ejus solutione; porro non constat, cùm dubia sit confessio.

(1) Vid. S. Lig. nn. 465, 466.

Si 4° dubium sit tantùm de accusatione debità : — Juxta S. Lig., pœnitens tenetur ad accusationem, nisi jàm à longo tempore facta fuerit confessio. Tenetur, si nuper facta fuerit confessio ; non enim constat de solutione obligationis. Non tenetur, si à longo tempore ; quia præsumptio adest pro valore confessionis, ac proindè pro solutione obligationis. Juxta autem alios plures, quorum sententia ex principiis reflexis meliùs concludi videtur, pœnitens dispensatur ab accusatione, quia confessio de cujus invaliditate non constat censetur debito modo facta, donec contrarium probetur ; ac proindè confessio, quamvis dubia speculativè, est practicè certò valida (1).

Q. 2ª. *Utrùm integritatem debitam habeat confessio pœnitentis qui dividit accusationem peccatorum, ità ut unam partem uni, alteram partem alteri sacerdoti confiteatur ?*

R. 1° Si pœnitens dividat accusationem mortalium, abest integritas debita. Duplex est enim confessio, quarum neutra continet declarationem integram peccatorum necessariò accusandorum.

2° Si accuset primò peccata venialia uni confessario, deindè peccata mortalia alteri, prima confessio caret integritate debità. In hâc enim confessione tacet de peccatis mortalibus, quorum tamen accusatio est necessaria.

3° Si accuset primò peccata mortalia uni confessario, deindè peccata venialia alteri, confessio habet *de se* integritatem debitam. In priori enim casu confessio

(1) Vid. S. Lig. nn. 473, 477, et *Hom. ap.* tract. 16, n. 30 et seq.; Lacroix, lib. VI, n. 598 et seq.; etc.

venialium non est necessaria ; in posteriori non est necessaria confessio mortalium: supponuntur enim jàm remissa per priorem confessionem. — Dicimus *de se;* quia confessio potest esse nulla, si pœnitens accusationem dividendo confessorem inducat in errorem gravem circa dispositiones suas.

Notanda. 1° Fidelis qui dubitat utrùm commiserit peccatum mortale, vel utrùm peccatum mortale certò commissum ipsi remissum fuerit saltem indirectè, tenetur ante mortem, ad effugiendum damnationis periculum, non quidem peccatum dubium confiteri, sed saltem absolutionem sacramentalem suscipere, factâ aliorum peccatorum accusatione, ut peccata dubia remittantur indirectè; vel elicere actum contritionis perfectæ.

2° Suadenda est pœnitentibus, nisi sint scrupulosi, confessio peccatorum dubiorum ad conscientiæ tranquillitatem.

Quæstiones speciales, — 2° relativæ ad accusationem circumstantiarum.

Q. *Utrùm pœnitens teneatur accusare peccatorum circumstantias?*

Circumstantia peccati est accidens afficiens actum peccaminosum sub respectu morali. — Aliæ *mutant speciem* peccati, id est, addunt peccato malitiam specialem distinctam à malitiâ peccati ipsius. — Aliæ *aggravant* malitiam, id est, peccatum in eâdem specie manens reddunt ex levi grave, ex gravi gravius. — Quo posito,

R. Quædam sunt certa, unum controversum.

Certum est 1° pœnitentem non teneri ad accusatio-

nem circumstantiarum, si malitiæ peccati non addant specialem malitiam gravem, vel gravitatem quæ peccatum reddit ex levi grave, ex gravi multò gravius. Pœnitens enim non tenetur ad accusationem peccartoum venialium, à pari ad accusationem circumstantiarum quæ venialiter tantùm augent peccatum.

Certum est 2° pœnitentem teneri ad accusationem circumstantiarum, quæ malitiæ peccati addunt specialem malitiam gravem. Nam 1. accusanda sunt omnia peccata mortalia distincta; ac proindè accusandæ sunt circumstantiæ quæ peccatum mortale distinctum per se constituunt. 2. Concil. Trid. sess. 14, cap. 5, docet *etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant: quòd sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus innotescant; et fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint, et pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.*

Controvertitur autem utrùm pœnitens teneatur accusare circumstantias multùm aggravantes.

Duplex est opinio. — *Prima* (1) affirmat pœnitentem teneri. Nam 1° pœnitens tenetur accusare circumstantias speciem mutantes, ut confessarius, statum pœnitentis perfectiùs cognoscens, possit ipsi satisfactionem congruam imponere et apta præscribere remedia. Porro eædem rationes pugnant pro accusatione circumstantiarum multùm aggravantium. 2° In primis Ecclesiæ sæculis, pœnitentibus imponebantur satisfac-

(1) Ità Suarez, *disp.* 22, *sect.* 3; Lacroix, *lib.* VI, *part.* 2, *n.* 977 *et seq.*; Antoine, *cap.* 1, *art.* 2, *quæst.* 3; Collet, *cap.* 5, *sect.* 3, *concl.* 3; Billuart, *dissert.* 7, *art.* 2, § 3, et alii non pauci.

tiones gravitati peccatorum respondentes; ergo pœnitentes accusabant circumstantias aggravantes, ergo nunc etiam sunt accusandæ. 3° Ab Innocentio XI proscripta fuit prop. seq. n. 58: *Non tenemur confessario interroganti fateri alicujus peccati consuetudinem.* Porro peccati consuetudo est circumstantia aggravans.

Secunda negat pœnitentem teneri ad accusationem circumstantiarum aggravantium (1). Siquidem neque rationibus allatis, neque auctoritate probatur obligatio. — Non rationibus allatis. Nec 1ª: Ideò enim præcipuè exigitur confessio circumstantiarum speciem peccati mutantium, quia indè sequitur peccatum speciale quod est accusandum; non autem principaliter ut pœnitens confessario meliùs innotescat ad impositionem pœnitentiæ et conscientiæ directionem. Aliundè in injungendâ pœnitentiâ, non omnimoda, sed quædam tantùm requiritur æqualitas; quæ servari potest, etiam non declaratis circumstantiis aggravantibus. Nec 2ª: In primis quidem Ecclesiæ sæculis pœnitentibus publicis imponebatur satisfactio peccatorum gravitati respondens; hoc autem ad summum probat manifestationem circumstantiarum aggravantium præscriptam fuisse per legem ecclesiasticam in pœnitentiâ publicâ, non verò præceptam esse lege divinâ. Nec 3ª: Ex eo quòd pœnitens peccati consuetudinem accusare debeat, non sequitur declarandas esse omnes circumstantias aggravantes. Siquidem ob rationem specialem accusari debet consuetudo, scilicet, ut pœnitentis conscientia modo

(1) Ità D. Thom. in 4, *dist.* 16, *q.* 3, *art.* 2, *q.* 3; S. Antonin., S. Bonav., S. Lig. n. 468, Cabassut, *Jur. can. theor. et prax.*, lib. III, cap. 10, n. 14; et alii plures.

utiliori dirigatur. —Necessitas accusandi circumstantias aggravantes non probatur auctoritate. Nam Concil. Trid., enumerando ea quæ accusanda sunt in confessione, tacet de circumstantiis aggravantibus.

Ex dictis practicè concludendum ad integritatem formalem confessionis non requiri accusationem circumstantiarum aggravantium. Pœnitens enim potest prudenter judicare se esse dispensatum, eâ scilicet ratione : possidet libertas non accusandi, quandiù non probatur obligatio accusandi prædictas circumstantias; porro non probatur.

Attamen excipiendi sunt casus sequentes : 1. si circumstantia aggravans inducat censuram vel reservationem; 2. si confessarius interroget de illis circumstantiis, putans id necessarium esse ad medicinam, vel ratione restitutionis determinandæ, aut absolutionis impertiendæ.

Not. In catechismis et instructionibus publicis, non doceant sacerdotes pœnitentem non teneri ad accusationem peccatorum dubiorum aut circumstantiarum aggravantium, propter periculum abusûs.

§ 3. — De Satisfactione.

Satisfactio, proùt in titulo præsenti sumitur, est : voluntaria toleratio pœnæ à confessario injunctæ ad compensandam injuriam Deo illatam, redimendamque pœnam graviorem.

Quær. *Qualis requiratur satisfactio ad validam sacramenti pœnitentiæ receptionem ?*

Resp. Requiritur et sufficit satisfactio in voto, modò sit sincera.

Prob. 1ª *p.* Requiritur satisfactio in voto: Siquidem, ut suprà diximus, satisfactio est pars materiæ sacramenti pœnitentiæ; ergo ad validam sacramenti pœnitentiæ receptionem requiritur saltem votum satisfactionis.

2ª *p.* Sufficit satisfactio in voto: Ex praxi Ecclesiæ, confessarius pœnitentem absolvit, ac proindè peccata remittit, antequàm pœnitens satisfactionem impositam adimpleverit. Ergo satisfactio in re non requiritur ad validitatem sacramenti, sufficit proindè votum satisfactionis. Siquidem Ecclesia, utpotè infallibilis in fide, errare non potest circa substantiam sacramentorum (1).

(1) Docuerunt nonnulli, sæc. XV, executionem satisfactionis injunctæ ità necessariò ex institutione Christi prærequiri absolutioni, ut alioquin invalida sit absolutio. Quem errorem, ab aliis sæc. XVII renovatum, plus minusve explicitè professi sunt Jansenistæ, ideòque præsentem Ecclesiæ praxim corruptelam et abusum appellare non pertimuerunt.

Hinc proscriptæ sunt: à Sixto IV, an. 1479, prop. 5 Petri de Osma: *Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta;* ab Alexandro VIII, 7 decemb. 1690, inter alias, prop. n. 16: *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante;* à Clemente XI, in Const. *Unigenitus* prop. 87 Quesnelli; demùm à Pio VI, in Const. *Auctorem fidei*, prop. 35 Synod. Pistor.

Adversarii doctrinæ et praxis Ecclesiæ præsertim revocant ad monumenta et exempla veteris Ecclesiæ. At, licèt antiquitùs absolutio nonnisi post expletam satisfactionem pœnitentibus ordinariè concessa fuerit, ex ipsismet Ecclesiæ monumentis et praxi constat rem semper habitam fuisse tanquam merè disciplinarem; cùm sæpiùs ab eâ regulâ recesserit Ecclesia vetus, etiam erga peccatores canonicæ pœnitentiæ subjectos, ut fusè demonstrant *Morin.* lib. IX, cap. 3 et seq.; *Tournely*, de Pœnit. quæst. 7, art. 3; *Natal.*

3ª *p.* Modò sit sincera: alioquin votum reverà non existeret.

§ II. — De Formâ.

Quæst. 1ª. *Quænam sit forma sacramenti pœnitentiæ?*

Resp. Forma sacramenti pœnitentiæ sita est in absolutione sacerdotis.

Prob. 1ª. Sacramentum pœnitentiæ administratur per modum judicii. Porro judicium quasi inchoatur in informatione causæ, et perficitur in sententiâ judicis; proindè in pœnitentiâ, materia sita est in informatione causæ, ut suprà diximus, et forma in absolutione.

Prob. 2ª. Eugen. IV, decret. ad Armen.: *Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis quæ sacerdos profert, cùm dicit:* Ego te absolvo, *etc.* Concil. Trid. sess. 14, cap. 3: *Docet sancta synodus sacramenti pœnitentiæ formam in quâ præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse:* Ego te absolvo, *etc.*

Quæst. 2ª. *Quænam conditiones speciales requirantur in absolutione ad validitatem sacramenti?*

Resp. Sequentes requiruntur conditiones:

1ª *Cond.* Absolutio verbis exprimatur. 1º Constat decretis supra citatis, praxi Ecclesiæ et theologorum

Alexand. et *alii.* —Porro, juxta Conc. Trid. sess. 21, cap. 2, hæc potestas perpetuò in Ecclesia fuit, *ut in sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret.*

consensu. 2° Si prædicta conditio non esset necessaria, maximè quia sufficeret absolutio per litteras aut nuntium. Porro invalida est talis absolutio. Siquidem Clemens VIII, 20 julii 1602, hanc propositionem scilicet, *licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam et scandalosam damnavit;* ac, sub excommunicationis pœnâ latæ sententiæ S. Pontifici reservatæ, præcepit ne ista prop. *unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.*— At, si valida esset talis absolutio, saltem in casu necessitatis eam adhibere liceret (1).

(1) Morinus qui, *lib.* VIII, *cap.* 25, in eâ fuit sententiâ absolutiones per litteras absentibus impertitas non infrequentes olim in Ecclesiâ fuisse, censet absolutionem absenti collatam post decretum Clementis VIII invalidam esse jure potiùs ecclesiastico. Alii verò rectiùs tenent Clementem VIII novum jus minimè condidisse, sed tantùm divinum hâc de re declarâsse. — Quoàd verò absolutiones illas quas olim absentibus collatas referunt contrariæ sententiæ patroni, non erant sacramentales, sed absolutiones à pœnitentiâ canonicâ per indulgentiam, vel absolutiones à censuris. *Vid.* Ferraris v° *Absens*, not. ad n. 2. Edit. Migne.

Observ. 1. Paulus V, 14 jul. 1605, in Congreg. S. Officii declaravit decretum Clem. VIII etiam intelligendum esse in sensu diviso, id est de confessione absenti factâ, vel de absolutione absenti collatâ. — 2. Clemens VIII vivæ vocis oraculo declaravit se non intendisse casum quo absolvendus esset moribundus sensibus destitutus, quem adstantes absolutionem anteà petiisse testarentur. Imò (ut refert Bened. XIV, *de Synod. diœc.* lib. VII, cap. 15, n. 8) respondit Urbanus VIII in casu dato tali ægroto posse impertiri absolutionem.

Cfr. de hâc quæst. Tournely, de Pœnit. quæst. 6, art. 4, *de Confes. per lit.*; Chardon, *Hist. des Sacrem.* Pénit. sect. 2, chap. 9; Ferraris, loc. cit. etc.

2ª *Cond.* Debet exprimere remissionem peccatorum. Siquidem in omni sacramento forma debet exprimere effectum sacramenti; porro remissio peccatorum proprius est effectus sacramenti pœnitentiæ.

Cæterùm, licèt quoàd praxim, ut conveniunt omnes, necessariò adhibenda sit forma indicativa; probabilius videtur, abstrahendo à positivo Ecclesiæ præcepto, ad validitatem sacramenti non referre an forma sit indicativa (*Ego te absolvo*), aut deprecatoria (*Domine remitte peccata*... vel *Absolvat te Deus*). Siquidem utraque exprimit effectum sacramenti. Aliundè usus formæ deprecatoriæ olim viguit in Ecclesiâ latinâ, etiamque nunc viget apud Græcos (1).

3ª *Cond.* Requiritur, saltem practicè, ut forma explicitè exprimat subjectum et materiam; id est, non

(1) Negant quamplures deprecatoriam formam valere. Ità, post D. Thom. *Opuscul.* 22; Suarez, De Lugo, et *communissimè*, ait S. Lig. n. 430, *nostri theologi morales;* Billuart, *dissert*, 1, *art.* 3, § 3; Gazzaniga, *dissert.* 6, *cap.* 4; Berti, Thomas ex Charmes. etc.— Sed, his non obstantibus, graves theologi ac eruditi, ut Morinus, *lib.* VIII, *cap.* 8 et seq., Martene, *de Antiq. Eccl. rit.* lib. I, cap. 6, art. 5, n. 12; Tournely, *quæst.* 9, *art.* 1; Liebermann, cap. 1, art. 3, § 2; Card. Gotti, Juenin, Witasse, Drouin; Perrone, *de Pœnit.* cap. 5; Knoll, *de Pœnit.* cap. 4, art. 4, et alii, sententiam contrariam tuentur. *Exploratum enim est*, ait Perrone, *ex certissimis antiquitatis documentis per plura sæcula non aliam obtinuisse in Ecclesiâ latinâ..; adhuc verò in Ecclesiâ græcâ formam deprecatoriam obtinere certissimè pariter constat ex eorum Eucologiis.* Aliundè, quoàd Græcos, Bened. XIV, in Bullâ *Etsi pastoralis* (Edit. Mechlin. tom. I, pag. 354), post Clement. VIII, sic statuit, § 5: *In casu necessitatis presbyteri Græci catholici possunt latinos absolvere; utantur tamen forma absolutionis in Concilio generali Florentino præscripta, postea vero, si voluerint dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.*

sufficit hoc verbum *Absolvo*, vel *Ego absolvo*, sed requiritur ut sacerdos addat *te*, designans subjectum, et *à peccatis tuis*, designans materiam.

Negant quidam theologi designationem explicitam subjecti, et plures designationem explicitam materiæ esse necessariam, quia hæc duo sufficienter exprimuntur per circumstantias. Cùm enim absolutio concedatur post factam peccatorum accusationem, et dirigatur ad pœnitentem, satis designatur materia et subjectum absolutionis. Aliis verò theologis affirmantibus necessitatem designationis explicitæ, quia secùs absolutio esset indeterminata; practicè necessaria est designatio explicita subjecti et materiæ. Quia in præsenti controversiâ quæstio est de validitate formæ, ac proindè de validitate sacramenti; porro in quæstionibus hujusmodi pars tutior est eligenda (1).

4ª *Cond.* Requiritur ut absolutio postponatur actibus pœnitentis moraliter perseverantibus. —Absolutio postponatur actibus pœnitentis: nam forma præsupponit materiam, quam determinat et perficit. Moraliter perseverantibus: alioquin, non esset unio sufficiens inter materiam et formam.

Actus autem pœnitentis perseverant moraliter, si non fuerint retractati explicitè aut implicitè per peccatum mortale, nec sint longiori tempore distantes ab absolutione, id est, juxta quosdam, ultra spatium unius diei.

(1) Vid. Suarez, disp. 19, sect. 1, n. 16; S. Lig. n. 430, etc.

ARTICULUS III.

De conditionibus ex parte subjecti.

Quæst. 1ª. *Quodnam sit subjectum sacramenti pœnitentiæ?*

Resp. Omnis et solus baptizatus. Omnis enim et solus baptizatus Ecclesiæ jurisdictioni subjicitur, proindè omni et soli baptizato possunt remitti peccata per absolutionem.

Quæst. 2ª. *Quænam conditiones speciales requirantur in subjecto?*

Resp. Requiritur et sufficit ut peccatum saltem veniale commiserit post baptismum.—Requiritur : secùs, non adesset materia sufficiens. Suffieit: peccatum enim veniale, etiam remissum, est materia sufficiens.

CAPUT III.

DE EFFECTIBUS.

Ex dictis sub titulo *de Sacramentis in genere*, sacramentum pœnitentiæ potest producere gratiam sanctificantem, gratiam sacramentalem. Undè

§ I. — De productione gratiæ sanctificantis.

Pœnitentia producit gratiam sanctificantem remittendo peccata. Undè dicendum sub hoc titulo *de Remissione peccatorum* per sacramentum pœnitentiæ.

Tria quæruntur 1º utrùm sacramento pœnitentiæ insit vis peccatorum remissiva; 2º in hypothesi affirmativâ, quænam peccata sacramentum pœnitentiæ possit remittere; 3º quomodò peccata remittat?

Quæst. 1ª. *Utrùm sacramento pœnitentiæ insit vis peccatorum remissiva?*

Resp. Affirm. Hanc propositionem de fide superiùs probavimus contra Pseudoreformatos negantes absolutioni sacramentali inesse vim remissivam peccati, pœnitentiam verum esse sacramentum à baptismate distinctum.

Quæst. 2ª. *Quænam peccata sacramentum pœnitentiæ remittere possit?*

Resp. Non potest remittere peccatum originale et peccata actualia ante baptismum commissa, benè verò omnia peccata post baptismum commissa.

Prob. 1ª *p.* Non potest remittere peccatum originale et peccata actualia ante baptismum commissa. Etenim Ecclesia nullam in ista peccata jurisdictionem habet, cùm fuerint commissa ab hominibus nondùm membris Ecclesiæ; ergo non potest ab istis absolvere per sententiam judicialem.

2ª *p.* Potest remittere omnia peccata post baptismum commissa:

Nam 1º textus Scripturæ *Quorum remiseritis... Quæcumque alligaveritis...* sunt generales. Ergo sunt intelligendi de potestate remittendi omnia peccata, nisi adsit ratio eos limitandi; porro nulla adest. 2º Ecclesia damnavit Montanistas et Novatianos, ipsi denegantes potestatem remittendi peccata gravissima. Ergo vera est nostra propositio scilicet, Ecclesiam per sacramentum pœnitentiæ posse remittere omnia peccata. 3º Conc. Trid. sess. 14, can. 1: *Si quis dixerit in Catholicâ Ecclesiâ, pœnitentiam non esse verè et propriè sacramentum, pro fidelibus, quoties post baptismum in pec-*

cata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anath. sit.

Quæst. 3ª. *Quomodò sacramentum pœnitentiæ peccata remittat?*

Quæstio posita quatuor subquæstionibus æquivalet.

1ª Sq. *Utrùm peccata remitti possint per sacramentum pœnitentiæ alia absque aliis?*

R. Vel agitur de peccatis mortalibus, vel de venialibus.

Si de mortalibus: peccata non possunt remitti alia absque aliis. Cùm enim peccata remittantur per infusionem gratiæ sanctificantis, si peccata alia absque aliis remitterentur, idem homo esset simul amicus Dei ratione gratiæ sanctificantis, per quam quædam peccata remitterentur, et inimicus Dei ratione peccatorum, quæ ipsi non remitterentur. Porro hoc absurdum est.

Si agatur de venialibus: peccata possunt remitti alia absque aliis. Siquidem gratia sanctificans non est incompatibilis cum peccato veniali; proindè non repugnat aliquod peccatum veniale remitti, augmentum gratiæ sanctificantis alicui concedi, manentibus tamen in animâ quibusdam peccatis venialibus.

2ª Sq. *Utrùm sacramentum pœnitentiæ ità peccata remittat, ut nunquam reviviscant?*

R. Sacramentum pœnitentiæ ità peccata remittit, ut nunquam reviviscant.

Pr. 1ª. Ezech. 18, 21: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est..., omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Rom. 11, 29: *Sine pœnitentiâ sunt dona Dei.* Porro, si peccata per pœnitentiam remissa reviviscerent, Deus horum peccatorum

recordaretur, Deum pœniteret veniæ peccatori concessæ.

Pr. 2ª. Propositio nostra ab omnibus admittitur (1).

3ª Sq. *Utrùm sacramentum pœnitentiæ remittat pœnam cum culpâ?*

R. Sacramentum pœnitentiæ semper remittit pœnam æternam cum culpâ, non verò totam semper pœnam temporalem.

Pr. 1ª *p.* Remittit pœnam æternam : Nam 1º Rom. 8, 1 : *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* Porro, peccatis remissis per infusionem gratiæ, fidelis est in Christo Jesu. 2º Docet Concil. Trid. sess. 6, cap. 14, in pœnitentiâ requiri *satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes et alia pia spiritualis vitæ exercitia ; non quidem pro pœnâ æternâ, quæ vel sacramento vel sacramenti voto, unà cum culpâ remittitur; sed pro pœnâ temporali, quæ, ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur.*

2ª *p.* Non verò semper totam pœnam temporalem : Nam 1º fide certum est existere purgatorium, in quo expiantur non solùm animæ eorum, qui rei peccato veniali moriuntur ; sed etiam eorum, qui vitâ decedunt insolutis satisfactionibus post peccatum remissum

(1) Licèt per subsequens peccatum peccata priùs remissa non redeant quoàd maculam et reatum, seu non reviviscant *formaliter* aut *simpliciter*, ut ait D. Thom. 3 p. q. 88, art. 1 ; attamen, cùm aggravent malitiam subsequentis peccati eique addant ingratitudinis notam, ideò dicuntur reviviscere *virtualiter*, seu *secundum quid;* sic D. Thom., loc. cit. art. 2 : *Peccata dimissa per pœnitentiam redire dicuntur, in quantum reatus eorum ratione ingratitudinis virtualiter continetur in peccato sequenti.*

debitis. 2° Propositio constat ex textu Concil. Trident. suprà citato.

4ª Sq. *Utrùm per absolutionem ità remittantur peccata, ut reviviscant opera mortificata?*

Prænot. Relativè ad salutem considerata, hominum opera sunt : — *viva*, seu vitæ æternæ meritoria ; — *mortua*, seu vitæ æternæ non meritoria ; — *mortifera*, seu mortem spiritualem producentia ; — *mortificata*, seu ex vivis facta mortua per peccatum mortale. Quibus positis,

R. Cum remissione peccatorum reviviscunt opera mortificata.

Pr. 1ª. Ezech. 33, 12 : *Impietas impii non nocebit ei, in quâcumque die conversus fuerit ab impietate suâ.* Porro tamen impietas impii ipsi noceret, etiam post conversionem, si opera per peccatum mortificata non reviviscerent.

Pr. 2ª. Concilium Tridentinum, *sess.* 6, *cap.* 16, tria tantùm exigit ut, ratione boni operis, homo obtineat mercedem æternam, scilicet, 1. bonum opus factum fuerit in justitiâ, 2. factum fuerit in Deo, id est, auxiliante gratiâ et propter finem supernaturalem, 3. homo decedat in gratiâ. Porro post receptum pœnitentiæ sacramentum, hæc omnia reperiuntur in opere priùs mortificato. Proindè opus priùs mortificatum deindè mercedem obtinebit. Proindè tandem per remissionem peccatorum revivificatum est ; caruisset enim mercede, si homo decessisset in peccato.

Pr. 3ª. Communi theologorum consensu.— Cum pluribus concludit Suarez (in *Opuscul.* de Reviviscent. merit. *disp.* 1, *sect.* 2, *n.* 10), hanc veritatem, quam-

vis de fide non sit, *adeò certam esse, ut sine temeritate et impietate aliquâ negari non possit* (1).

(1) *Opera meritoria...*, ait D. Thom. 3 p. q. 89, art. 5, *non habent vim perducendi in vitam æternam, solùm secundum quòd actu existunt, sed etiam postquàm actu esse desinunt, secundum quòd remanent in acceptatione divinâ. Sic autem remanent, quantùm est de se, etiam postquàm per peccatum mortificantur, quia semper Deus illa opera, proùt facta fuerunt acceptabit.... Sed quòd isti qui ea fecit, non sint efficacia ad ducendum in vitam æternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditus est indignus vitâ æternâ. Hoc autem impedimentum tollitur per pœnitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata. Undè restat quod opera prius mortificata, per pœnitentiam recuperent efficaciam perducendi cum qui fecit ea in vitam æternam, quod est ea reviviscere. Et ita patet quod opera mortificata per pœnitentiam reviviscant.*

In quonam autem gradu et quantitate reviviscant opera mortificata? Perdifficilis quæstio, de quâ vix quid certi statui potest. Alias inter theologorum sententias, duæ sunt præsertim notandæ. — Juxta Suarez (in Opuscul. *de Reviviscent.* disp. 2), cum pluribus, omnia merita per pœnitentiam quamcumque, modò veram, reviviscunt; ità ut pœnitens tot gradus gratiæ, et jus ad tot gradus gloriæ recipiat, quot habuisset per præcedentia merita, si nunquàm fuissent mortificata. Pœnitentia siquidem simpliciter se habet ut removens impedimentum peccati, per quod merita mortificata fuerunt. — Juxta Thomistas plures, aliosque non paucos, merita mortificata non semper reviviscunt per pœnitentiam in eodem gradu eâdemque perfectione, quam habebant antequàm mortificarentur, sed secundum proportionem dispositionis, seu contritionis cum quâ resurgit peccator. Etenim pœnitentia non solùm se habet ut removens obicem peccati, sed etiam ut dispositio moraliter influens in reviviscentiam meritorum. Hinc D. Thom. q. 89, art. 2: *Contingit intensionem motùs pœnitentis quandoque proportionatam esse majori gratiæ, quam illa à quâ exciderat per peccatum: quandoque autem æquali: quandoque verò minori. Et ideò pœnitens quandoque resurgit in majori gratiâ, quandoque in æquali, quandoque verò in minori.*

§ II. — De gratiâ sacramentali.

Quær. *Qualem gratiam sacramentalem conferat sacramentum pœnitentiæ?*

Resp. Sacramentum pœnitentiæ confert jus ad recipiendas gratias actuales, quarum ope pœnitens valeat præterita peccata plenè detestari, pro eis satisfacere, ea in posterum fugere, et gratiam acceptam conservare.

II.

PARS MORALIS.

ARTICULUS I.

De legibus specialibus ministro.

Leges ministrum spectantes continentur in duobus principiis generalibus expositis in Parte morali *de Sacramentis in genere*, scilicet:

1° Minister tenetur ex charitate, si non sit pastor; ex charitate et justitiâ, si sit pastor, administrare sacramenta (hìc pœnitentiam) fidelibus; nisi adsit ratio dispensans. Tenetur autem sub gravi aut sub levi, proùt materia est gravis aut levis.

2° Minister conficiens, aut administrans sacramentum, tenetur sub gravi aut sub levi, observare omnia quæ exigunt religio, charitas et justitia; seu, quod idem est, in materiâ præsenti, ea omnia quæ sequuntur ex relationibus confessarii. — Porro confessarius est *minister* sacramenti, *medicus* et *judex* pœnitentis.

Ex his principiis deducuntur obligationes speciales

confessarii. Aliæ præcedunt, aliæ comitantur, aliæ sequuntur confessionem (1).

§ I. — De obligationibus quæ *præcedunt* confessionem.

Sacerdoti prohibetur adire ministerium confessionis, nisi habeat *virtutes* et *doctrinam* necessarias ad illud dignè obeundum. Alioquin sese exponeret periculo proximo peccandi.

Habeat *virtutes:* scilicet, præcipuè, charitatem, prudentiam, castitatem.

Habeat *scientiam:* non perfecta quidem requiritur, sed communis, ope cujus possit quæstiones communiter occurrentes solvere, et de difficilioribus dubitare.

Undè sacerdos, ut in se suscipiat munus confessarii, scire debet: 1° omnia quæ spectant ad validitatem, licitatem et effectum sacramenti; 2° obligationes communes et speciales statuum; principia quibus distinguuntur peccatorum species, peccata mortalia à venialibus; conditiones validitatis et licitatis actuum; casus reservatos; censuras vigentes, etc.— Hæc enim omnia necessaria sunt confessario ad debitum sui ministerii exercitium, ut evidens est (2).

§ II. — De obligationibus confessarii *durante* confessione.

Officia confessarii sunt relativa tùm ad materiam sa-

(1) De munere et officiis confessarii nonnisi summatim, sola videlicet principia exponendo, disserere intendimus. Quoàd praxim sacri hujus regiminis, quod S. Gregorius M. non immeritò dicit *Ars artium*, adeantur auctores qui de illâ fusiori sermone tractârunt. — In sequentibus S. Alph. à Ligorio quamplurimùm ducem sequimur.

(2) De scientiâ confessario necessariâ vid. quæ scribit S. Lig. *Hom. ap.* tract. 16 à n. 99 ad 101.

cramenti, scilicet, contritionem, confessionem et satisfactionem; tùm ad absolutionem.

I. — Officia relativa ad contritionem.

Duo includit contritio, scilicet 1. dolorem de peccato, 2. firmum emendationis propositum.

Quoàd 1um, seu *dolorem* de peccato: — confessarius debet ad contritionem excitare pœnitentem, si non videatur sufficienter dispositus. Alioquin validitati sacramenti et pœnitentis sanationi sufficienter non provideret (1).

Quoàd 2um, seu *propositum emendationis:* — confessarius, quatenùs pœnitentis medicus, debet emendationem procurare, docendo pœnitentem, si sit in ignorantiâ, monendo prudenter, si sit in errore.

1° Docendo: scilicet, de officiis tùm communibus, tùm specialibus, observandis ad vitam christianam, præsertim de rebus ad salutem scitu necessariis, si pœnitens ea ignoret.

2° Monendo prudenter, si pœnitens versetur in errore circa aliquam obligationem.

Ut autem monitio sit prudens, attendendum est ad statum et dispositiones pœnitentis.

Aut error, in quo versatur pœnitens, est vincibilis, aut invincibilis. Si *vincibilis:* — monendus est; monitio enim non est periculosa, cùm pœnitens, ratione erroris vincibilis, jàm sit in statu peccati.

Si sit *invincibilis:* — confessarius admoneat pœnitentem, si fructus probabiliùs speretur; per monitio-

(1) Vid. S. Lig. n. 608, et *Hom. ap.* tract. 16, n. 117.

nem enim sanabitur peccatum materiale. — Taceat verò 1. si fructus ex monitione probabiliùs non speretur; 2. si adsit dubium æquale de bono aut malo monitionis eventu. Etenim in primo casu peccatum pœnitentis, materiale ante monitionem, fieret probabiliùs formale post monitionem, proindè monitio plùs noceret quàm prodesset. Abstineat etiam in secundo casu; potiùs est enim permittere malum materiale, quàm creare periculum peccati formalis.

Hinc, generaliter loquendo, monendus est pœnitens : 1° si interroget de malitiâ actûs. Siquidem, ex unâ parte bona fides pœnitentis non est plena, cùm dubitet; ex alterâ parte, confessarius non potest eum decipere. Aliquandò tamen, prudens esset quæstionem evadere, si possibile sit; — 2° si silentium confessarii æquivaleat pro pœnitente decisioni positivæ de licitate actionis illicitæ; — 3° quotiès error pœnitentis versatur circa principia et conclusiones primaria legis naturalis; quia talis error, vel non est invincibilis, vel diù non manebit invincibilis (1).

II. — Officia relativa ad confessionem.

Confessarius debet, si necessarium sit, procurare integritatem confessionis per iterationem confessionum præteritarum, per interrogationes.

I. Per *iterationem* confessionum præteritarum :

De hâc obligatione sequentia statui possunt.

1° De se iterandæ sunt omnes et solæ confessiones certò invalidæ. — Omnes confessiones certò invalidæ :

(1) Vid. S. Lig. à n. 609 ad 617, et *Hom. ap.* tract. cit. n. 106 et seq.

peccata enim per confessionem invalidam non sunt debitè, seu sacramentaliter accusata.—Solæ confessiones certò invalidæ : si enim dubia sit invaliditas, obtinet regula : *Standum est pro valore actûs, donec de ejus nullitate constet.*

Invalida autem est confessio, — si fuerit sacrilega ; — si facta fuerit, etiam bonâ fide, absque contritione, proposito emendationis et satisfactionis ; — si facta fuerit sacerdoti jurisdictionem non habenti, vel ad confessionem non attendenti.

2° Confessarius tacere debet de necessitate, etiam certâ, iterationis, si pœnitens sit in bonâ fide, et grave damnum timeatur de monitione. Patet ex dictis de monitione faciendâ.

3° Iterationem confessionis dubiè necessariam consulat iis quibus potest esse utilis ; prohibeat iis quibus esset inutilis et noxia, v. g. scrupulosis. — In ultimo casu, non solùm potest, sed debet, ad utilitatem pœnitentis, applicare principium superiùs allatum : *Standum est pro valore actûs,* etc.

4° Quandò iteratur confessio, si pœnitens novum adeat confessarium, ex integro facienda est ; alioquin confessarius de peccatis non posset judicare, et morbos spirituales pœnitentis curare. — Ad integritatem verò hujus confessionis sufficeret accusatio peccatorum durante tali epochâ commissorum, v. g. per annum, si, propter uniformitatem vitæ pœnitentis, confessarius possit simul de præcedentibus judicare ; modò pœnitens se accuset generaliter de peccatis antecà commissis, specialiter de peccatis mortalibus extra communem agendi modum commissis.

Si pœnitens confiteatur apud eumdem confessarium habentem memoriam saltem in confuso peccatorum accusatorum, sufficit confessio summatim facta; v. g. dicendo : *Accuso me de peccatis jàm declaratis in tali confessione.* Positâ enim accusatione ex integro priùs factâ, accusatio ultima æquivalet accusationi per partes factæ. — Si autem confessarius non sit memor peccatorum priùs accusatorum, probabiliùs sufficit, juxta *S. Lig.*, ut pœnitens manifestet statum suum, ità ut confessarius habeat de illo notitiam saltem confusam (1).

II. Procuret integritatem per *interrogationes* pœnitenti factas.

Confessarius, ad procurandam sacramenti validitatem et integritatem, ad informandam pœnitentis causam, ad medendum ejus infirmitatibus spiritualibus, debet interrogare quos prudenter judicat omittere quædam ex præcepto divino declaranda.— Specialiter interroget de habitu et occasione proximâ, si eorum existentiam suspicetur confessarius, et taceat pœnitens (2).

(1) Vid. S. Lig. à n. 499 ad 506, et *Hom. ap.* tract. 16 à n. 42 ad 47.

(2) Ibid. n. 607 et 629 ; *Prax. conf.* n. 19 et seq.

Quoàd interrogationes, sedulò attendendum est minimè, sub quocumque prætextu, licere confessario exquirere nomen complicis. Hoc enim graviter adversatur charitati et odiosum redderet sacramentum. Hanc aliundè praxim reprobavit Bened. XIV, Const. *Ubi primum*, 2 jun. 1746; in quâ Pontifex, agens in particulari de confessariis qui sub pœnâ denegandæ absolutionis nomen complicis requirunt, declarat eos 1. graviter peccare, 2. incurrere suspensionem (ferendæ sententiæ) ab audiendis confessionibus. (Vid. Bullar. Bened. XIV, edit. Mechlin. vol. IV, pag. 117.)

Cæterùm, notat *S. Lig.* n. 491, *confessarii possunt et tenentur*

III. — Officia relativa ad satisfactionem.

I. Confessarius tenetur sub gravi imponere satisfactionem.

1ª *p.* Tenetur imponere satisfactionem : quod jàm superiùs probavimus, scilicet, — 1. ratione theologicâ: illud enim officium fluit ex munere confessarii, quatenùs est minister sacramenti, et quatenùs est judex ac medicus respectu pœnitentis; — 2. auctoritate; specialiter cap. 8, sess. 14, Conc. Trid., in quo, simul cum præcepto, statuitur norma injungendæ satisfactionis : *Debent sacerdotes Domini, quantùm spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere : ne, si fortè peccatis conniveant, et indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem.*

Corol. Ex dictis de satisfactione concludendum 1. satisfactionis impositionem et adimpletionem necessarias esse, non quidem ad validitatem, sed ad integritatem sacramenti ; — 2. satisfactionem sacramen-

ad integritatem confessionis servandam, exquirere circumstantias necessarias, nempè quæ vel speciem mutant, vel exquirendæ sunt, ut pœnitentis conscientiæ consulatur, putà si confessarius exquirat an persona complicis sit in primo vel secundo gradu, si ligata voto, si sit ancilla, si habitet in eâdem domo, licèt veniat in cognitionem complicis.

talem producere effectum ex opere operato, illumque effectum esse majorem quam extra sacramentum. Etenim, ut observat D. Thomas, *cùm satisfactio à sacerdote injuncta sit pars sacramenti, manifestum est quòd in eâ operatur vis clavium, ità quod ampliùs valet ad expiandum peccatum, quàm si proprio arbitrio homo faceret idem opus* (1).

2ª *p*. Tenetur sub gravi, juxta *omnes*, si peccata sint gravia; — et, si sint venialia, ex sententiâ *communi*. Alioquin sacramentum integritate suâ fraudaretur, quod est grave (2).

II. Satisfactio debet esse pro qualitate criminum et pœnitentium facultate conveniens—medicinalis—ante absolutionem imposita.

1° Conveniens pro qualitate criminum, etc., id est, gravis aut levis, proùt peccata sunt gravia aut levia; nisi adsit ratio sufficiens ad imponendam satisfactionem levem pro peccato gravi. — Porro 1. gravis censetur pro uno aut altero peccato gravi, satisfactio quæ respondet operi quod sub gravi ab Ecclesiâ præscribitur, v. g. Missam audire, jejunare, etc. — 2° Adest ratio imponendi pœnitentiam levem pro peccato gravi, si pœnitens sit valdè debilis corpore; si prudens sit timor ne majorem pœnitentiam non adimpleat; si probabiliter major satisfactio pœnitenti magis obfutura sit quàm profutura; si pœnitens valdè contritus appareat.

(1) D. Thom. *Quodlibet*. 3, art. 28. Vid. Sylvius, *in* 3 *p. quæst.* 85, *art.* 2, *quær.* 3.

(2) Observat tamen S. Lig. *Hom. ap.* tract. 16, n. 47, confessarium *probabiliter* non peccare graviter, si confessio fuerit de venialibus, aut de mortalibus jàm confessis.

2° Medicinalis, id est, remedium afferens infirmitatibus spiritualibus pœnitentis.

3° Sit imposita ante absolutionem. Cùm enim votum satisfactionis sit pars materiæ sacramenti, requiritur saltem generaliter loquendo, ut imponatur satisfactio ante absolutionem.—Non est tamen grave pœnitentiam imponere post absolutionem (1).

IV. — Officia relativa ad absolutionem.

Materia præsens tribus regitur principiis. Primo determinantur casus in quibus absolutio neganda est, aut absoluto modo concedenda. Secundo, casus in quibus absolutio concedenda est sub conditione. Tertio, casus in quibus absolutio differenda est.

Principium 1um. In genere, absolutio concedenda est modo absoluto omnibus et solis pœnitentibus, quos confessarius prudenter judicat esse dispositos.

Concedenda est omnibus : siquidem ex suscepto à sacerdote munere confessarii sequitur quasi contractus, vi cujus pœnitens acquirit jus ad absolutionem, si à confessario dispositus judicetur. Confessarius proindè peccaret contra justitiam, et quidem graviter, quia materia est gravis, si illam denegaret, saltem ad longum tempus, pœnitenti ritè disposito. — Concedenda est modo absoluto : quia nulla est ratio conditionem imponendi. — Concedenda est solis : etenim si confessarius absolutionem concederet pœnitenti indisposito, concurreret absque ratione violationi sacramenti, malo pœnitentis.

(1) Vid. S. Lig. n. 306 et seq.; *Hom. ap.* loc. cit. n. 47 et seq.

Dicimus *in genere;* quia aliquandò absolutio differri potest ritè dispositis, et aliquandò concedenda est sub conditione dubiè dispositis, ut videbimus infrà.

Corol. Ex hoc principio deducitur solutio quæstionum sequentium de absolutione concedendâ aut negandâ subjecto, cujus dispositiones non apparent certæ, sive ratione confessionis, sive ratione contritionis et propositi emendationis atque satisfactionis.

I. Quæstiones relativæ ad conditionem confessionis.

Q. 1ª. *Utrùm confessarius possit absolvere,* 1° *si dubitet utrùm pœnitens fuerit sincerus;* 2° *si certus sit pœnitentem non fuisse sincerùm?*

R. 1° Si confessarius dubitet : post interrogationem prudentem, concedatur absolutio: quia præsumptio stat pro sinceritate pœnitentis.

2° Si certus sit pœnitentem non fuisse sincerum : vel certitudo oritur ex confessione alterius pœnitentis; vel oritur ex alterâ viâ, v. g. ex testimonio certo, aut quia confessarius fuit testis peccati. — Si oriatur ex confessione alterius pœnitentis : confessarius pœnitentem hortetur ad sinceritatem, illumque prudenter interroget, ità ut pœnitens non possit suspicari notitiam peccati oriri ex alterius confessione; et, si in negatione perseveret, absolvatur. Alioquin confessarius violaret sigillum confessionis (1). — Si

(1) Ità De Lugo, Anaclet et alii ap. S. Lig. n. 631; Billuart, *dissert.* 6, art. 10, § 2; DD. Gousset, *Theol. mor.* tom. II, n. 526; DD. Bouvier, pag. 524, et alii non pauci. — E contrario S. Lig, loc. cit. cum Lacroix, lib. VI, p. 2, n. 1969, sentit confessarium non debere absolutionem impertiri, sed tantùm aliquam orationem recitare ad occultandam negationem absolutionis.

certitudo oriatur viâ confessioni extrinsecâ : neganda est absolutio, modò aliundè non constet pœnitentem oblitum esse peccati. Siquidem, positis circumstantiis, nedùm confessarius prudenter judicare possit pœnitentem esse dispositum, econtrà certus est de indispositione pœnitentis.

Q. 2ª. *Utrùm confessarius possit absolvere pœnitentem, qui in confessione tacet de actione graviter peccaminosâ juxta opinionem confessarii, sed nullo modo, vel tantùm leviter peccaminosâ in opinione pœnitentis?*

R. Vel conscientia pœnitentis est prudenter formata, vel non. — Si prius : confessarius potest et tenetur absolvere pœnitentem aliundè dispositum. Nam pœnitenti licet habere opinionem contra opinionem confessarii; proindè non potest judicari indispositus, quia ipsius opinio contradicit opinioni confessarii.— Si posterius : confessarius non potest eum absolvere. Conscientia enim pœnitentis non fuit prudenter formata; proindè pœnitens graviter peccavit, cùm materia supponatur gravis; proindè peccatum accusare et detestari debet; proindè indignus est absolutione, si peccatum taceat et non detestetur (1).

II. Quæstiones relativæ ad conditionem contritionis et firmum propositum emendationis et satisfactionis.

Q. 1ª. *Utrùm confessarius possit absolvere pœnitentes qui versantur in occasione, aut in periculo peccati mortalis?*

(1) Vid. S. Lig. n. 604.

Præmittenda.

1° De *occasione* peccati. — Occasio peccati est circumstantia extrinseca quæ ad peccatum allicit.

Dividitur 1° in remotam et proximam. *Remota* dicitur occasio in quâ homines ut plurimùm non peccant; *proxima* verò, in quâ homines ut plurimùm peccant. — Ultima est proxima *per se* et *absolutè*, si ex naturâ suâ, spectatâ communi hominum fragilitate, apta sit ad inducendum in peccatum; aut proxima *per accidens* et *relativè*, si aliquos tantùm, ratione specialis eorum fragilitatis, fortiter ad peccatum impellat.

Dividitur 2° in occasionem *voluntariam*, quæ facilè potest vitari; et *involuntariam*, quæ physicè aut moraliter vitari non potest.

Dividitur 3° in occasionem *continuam*, in quâ homo absque interruptione morali versatur, v. g. cohabitatio cum concubinâ; et *interruptam*, in quâ homo per intervalla tantùm versatur, v. g. frequentatio cauponæ.

2° De *periculo* peccandi. — In periculo peccandi constituitur homo per omnia quæ intrinsecè aut extrinsecè impellunt ad peccatum.

Dividitur in *remotum* et *proximum*, ut suprà diximus de *Occasione*.

Periculum autem proximum est formale aut materiale. — *Formale:* cùm res periculosa impellit ad peccatum formale; — *materiale:* cùm res periculosa impellit ad peccatum merè materiale, ratione motivorum incurrendi periculum, et ratione mediorum contra peccatum formale adhibitorum; v. g. actio chirurgi, qui ex necessitate cum fœminis de secretioribus tractat adhibens cautiones debitas: hæc actio, sepositis ne-

cessitate et cautionibus, esset periculum formale; positis autem necessitate et cautionibus, est tantùm periculum materiale (1). — Quibus positis,

R. 1° Potest absolvi qui non vult deserere occasionem remotam peccati mortalis, nisi experientiâ constet occasionem remotam brevi futuram esse proximam. Cùm enim occasio remota non habeat connexionem proximam cum peccato, homo potest manere in occasione remotâ, simulque peccatum detestari et habere propositum non peccandi. Proindè confessarius potest prudenter judicare de dispositionibus pœnitentis. — At, si pœnitens non vult deserere occasionem remotam, quæ brevi proxima futura est, absolvi non potest; siquidem qui vult occasionem proximam, vult implicitè peccatum, proindè non est dispositus (2).

2° Nunquam absolvendus est, nequidem in articulo mortis, pœnitens qui non vult deserere occasionem peccati mortalis proximam voluntariam. Nam, ut suprà diximus, qui vult occasionem proximam peccati mortalis, vult implicitè peccatum mortale. Aliundè ab Innocentio XI, 2 mart. 1679, proscripta est inter alias propositio sequens n. 61 : *Potest aliquandò absolvi, qui in proximâ occasione versatur, quam potest et non vult deserere, quinimò directè et ex proposito quærit* (3).

Pariter non possunt absolvi qui, licèt in occasione non peccent, aliis tamen ex occasione grave scandalum præbent.

3° Non est absolvendus, quibusdam casibus excep-

(1) Vid. S. Lig. n. 432; et *Hom. ap.* tract. ultim. *punct.* 1.
(2) Ibid. — (3) S. Lig. n. 434.

tis, pœnitens qui non deseruit occasionem peccati mortalis proximam, voluntariam et continuam, licèt promittat se eam quamprimùm esse relicturum. Siquidem, cùm occasionem non deseruerit, suspecta sunt ipsius contritio et propositum; nec proindè confessarius potest prudenter judicare de ejus dispositionibus.

Dicimus 1° *occasionem continuam;* nam S. Carolus Borromæus docet confessarium posse semel, bis, imò ter absolvere pœnitentem, si promittat se relicturum occasionem non continuam *in esse* (1).

Dicimus 2° *quibusdam casibus exceptis :* scilicet, 1. quotiès pœnitens præbet signa contritionis extraordinaria ; tunc confessarius prudenter judicare potest de sinceritate contritionis et propositi. Attamen, etiam in hoc casu, si commodè differri possit absolutio, differatur; — 2. si pœnitens sit moribundus, et tempus urgeat ipsum absolvendi antequàm potuerit removere occasionem proximam, voluntariam etiamque continuam; — 3. si pœnitens, ratione ignorantiæ, non attenderit ad periculum occasionis proximæ, nec ad obligationem illam removendi. In hoc casu pœnitens, ait *DD. Gousset* post *Billuart*, potest unâ vice absolvi, antequàm occasioni renuntiaverit, modò sit aliundè dispositus; — 4. si pœnitens, dilatâ absolutione, non possit ad confessarium redire, vel nonnisi post longum tempus; aut si habeat graves rationes absolutionem statim petendi. Tali pœnitenti absolutio concedi potest, si aliundè confessarius prudenter judicare possit

(1) Vid. *Hom. ap.* tract. ultim. n. 4.

eum habere firmam voluntatem removendi occasionem; nisi tamen ab alio confessario de tollendâ occasione jàm fuerit monitus, nec eam removerit (1).

4° Speculativè loquendo, potest absolvi pœnitens, qui versatur in occasione proximâ necessariâ; modò sit paratus uti mediis quibus occasio proxima in remotam converti possit. Cùm enim occasio peccati necessaria non sit peccatum, et pœnitens aliundè sit dispositus ad adhibendum media contra peccatum formale, confessarius potest prudenter judicare de illius contritione et proposito.

Dicimus *speculativè loquendo*. Nàm in praxi differenda est absolutio, donec pœnitens remotam reddiderit occasionem, in eâ non ampliùs, aut notabiliter rariùs peccando. Experientiâ enim constat hujus generis pœnitentes facillimè in peccatum relabi, si ipsis absolutio concedatur, emendari verò, si differatur; proindè absolutionem differendo, confessarius, pœnitentis medicus, plùs providet ejus curationi spirituali (2).

5° Non potest absolvi qui se exponit periculo peccandi moraliter certo; vel etiam, qui sine causâ se exponit periculo simpliciter probabili.—Qui se exponit periculo certo; etenim ratione charitatis, homo debet velle suum bonum spirituale; à fortiori vitare periculum, etiam simpliciter probabile peccati; — sine *justâ* causâ: licet enim homini eum justâ causâ se exponere

(1) Quoàd 3am exceptionem, vid. Billuart, *dissert.* 6, *art.* 10, § 5; DD. Gousset, *Theol. mor.* tom. II, n. 562. De cæteris adeatur S. Lig. *Hom. ap.* tract. ultim. n. 5.

(2) S. Lig. *ibid.* nn. 6 et 7.

periculo mali spiritualis simpliciter probabili, modò se muniat mediis idoneis, quibus peccatum vitari possit (1).

Q. 2ª. *Utrùm confessarius possit absolvere consuetudinarium et recidivum?*

Dicitur *consuetudinarius*, qui contraxit habitum alicujus peccati de quo non est confessus; — *recidivus*, qui post confessionem in eadem peccata relapsus est.

Habitus autem peccati est propensio in peccatum, seu facilitas peccandi per actus repetitos comparata.

Ad judicandum utrùm aliquis sit consuetudinarius, attendendum est, non solùm ad numerum peccatorum, sed etiam ad vim propensionis in peccata pluriès commissa. — Generaliter loquendo, peccatum sæpiùs repetitum brevi tempore faciliùs inducit consuetudinem, quàm si longiori temporis intervallo totidem vicibus repeteretur. Juxta *S. Lig.*, quinque vices in mense possunt constituere habitum, si peccatum sit externum; et, in materiâ luxuriæ, multò minor numerus requiritur, v. g. qui semel in mense fornicaretur per annum habituatus dici posset (2). — Quibus positis,

R. 1° Consuetudinarius potest absolvi, etiam primâ vice, etsi nulla emendatio præcesserit, modò eam seriò proponat et ordinaria signa contritionis ostendat. Nam consuetudo, positis conditionibus in propositione inclusis, probat quidem inclinationem ad peccatum, non verò indispositionem voluntatis; proindè non obstat judicio prudenti de contritione et proposito pœnitentis.

(1) S. Lig. lib. VI, n. 453, et lib. V, n. 63.

(2) Vid. S. Lig. lib. VI, n. 459, et *Hom. ap.* loc. cit. n. 8 et seq.

2° Recidivus rediens cum eodem habitu pravo non potest absolvi, nisi afferat extraordinaria signa contritionis. — Generaliter non potest absolvi : confessarius enim non potest prudenter judicare de contritione et proposito pœnitentis, cùm pœnitens, jàm admonitus, in peccata accusata relapsus fuerit eodem modo, nullo scilicet adhibito conatu, et nullo adimpleto ex mediis à confessario præscriptis. Aliundè ab Innocentio XI, an. 1679, proscripta est prop. seq. n. 60 : *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla apparcat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodò ore proferat se dolere et proponere emendationem.* — Nisi afferat extraordinaria signa contritionis : positis enim signis extraordinariis, confessarius prudenter pronuntiare potest de existentiâ contritionis et satisfactionis (1).

Not. 1° Quamvis recidivus qui præbet signa extraordinaria contritionis possit absolvi, expedit absolutionem differre, cùm confessarius judicat prudenter dilationem ipsi profuturam ad emendationem. — 2° Faciliùs absolvi debet recidivus in habitum pravum ex causâ, seu propensione ad malum, intrinsecâ, quàm recidivus peccans ex occasione extrinsecâ. Quia causa extrinseca plus allicit ad peccatum, quàm causa intrinseca, proindè emendatio difficiliùs speranda est. Aliundè homo faciliùs separari potest à causâ extrinsecâ, quàm à propensione intrinsecâ. Proindè magis vo-

(1) Vid. S. Lig. lib. VI, n. 459, et *Hom. ap.* loc. cit. n. 8 et seq.

luntaria est causa extrinseca, quàm causa intrinseca (1).

Q. 3ª. *Utrùm debitor possit absolvi antequàm restituat?*

R. Generaliter loquendo non potest. Siquidem experientiâ constat pœnitentes rariùs ad faciendam restitutionem adduci post concessam absolutionem.

Excipitur 1° si restitutio statim fieri non possit; — 2° si confessarius deprehendat in debitore signa extraordinaria sinceræ dispositionis ad restitutionem quamprimùm faciendam; — 3° si adsit gravis causa pœnitentem statim absolvendi (2).

Nota. In præcedentibus quæstionibus sæpè diximus: pœnitentem posse absolvi, *si præbeat signa contritionis extraordinaria.* Quod nunc explicandum.

Juxta auctores, signa extraordinaria sunt: 1° major dolor manifestatus per lacrymas, gemitus, etc.; censentur enim ex compunctione procedere, nisi contrarium constet;—2° minor numerus peccatorum in eisdem occasionibus et tentationibus; v. g. si per viginti dies pœnitens abstineat à peccato quod priùs pluriès in hebdomadâ commisit;—3° studium adhibitum ad emendationem;—4° si pœnitens accedat ad sacramentum ductus motivo extraordinario, v. g. ex auditâ concione, ob mortem alterius, etc.;— 5° si confiteatur peccata priùs culpabiliter omissa; — 6° si ante confessionem restituerit (3).

(1) Vid. lib. VI, nn. 463, 464; et *Hom. ap.* loc. cit. nn. 10 et seq. ubi statuitur modus absolutionem differendi.

(2) Vid. S. Lig. lib. III, n. 682; *Hom. ap.* tract. 10, n. 105.

(3) Vid. S. Lig. lib. VI, n. 460; *Hom. ap.* tract. ult. n. 12.

Ex præcedentibus signis, sive separatim, sive conjunctim sumptis, confessarius judicare potest prudenter de contritione pœnitentis.

Principium 2um. Absolutio concedenda est sub conditione in omnibus et solis casibus, in quibus dubium adest de existentiâ conditionum ad validitatem sacramenti requisitarum, si aliundè ex negatione absolutionis notabile detrimentum animæ pœnitentis immineat.

Concedenda est in omnibus casibus... : nam *sacramenta propter homines.*

In *solis* casibus : siquidem absolutio neganda est absolutè, cùm certò desunt conditiones ad validitatem sacramenti requisitæ; concedenda est absolutè, cùm certò adsunt; ergo concedenda est solummodò sub conditione, cùm dubiè adsunt.

Undè absolutio sub conditione concedenda est:

1° Si sacerdos prudenter dubitet utrùm absolverit, nec ne.

2° Si sacerdos dubitet utrùm habeat jurisdictionem in pœnitentem, et aliundè adsit ratio absolvendi, ut suprà diximus ubi *de Jurisdictione*. In hoc casu confessarius monere debet pœnitentem ut peccata accusata rursùs debito modo confiteatur.

3° Si pœnitenti cujus dispositiones sunt dubiæ urgeat necessitas communicandi, et aliundè dubium sit an peccatum fuerit commissum vel mortale. His conditionibus positis, pœnitens potest absolvi sub conditione. Siquidem ex unâ parte, cùm dubium sit utrùm peccatum fuerit commissum vel mortale, fidelis conservat jus ad communionem. Ex alterâ parte absolutio potest

ipsi esse utilissima. Etenim si eveniat fidelem esse ritè dispositum, simul et peccatum fuisse certò commissum et mortale, per absolutionem obtinebit gratiam et utiliter communicabit, dùm, omissâ absolutione, communio non fuisset quidem sacrilega, sed nulla.— Sepositis conditionibus prædictis, absolutio concedi non potest. Nam, si peccatum sit certò commissum et certò mortale, fidelis amisit jus communicandi; hoc jus recuperare nequit per absolutionem dubiam. Proindè, etiam positâ absolutione, non potest ad Eucharistiam accedere; proindè inutilis est absolutio, ideòque omittenda (1).

4° Concedenda est sub conditione : — moribundis, etiam destitutis sensibus in actu ipsò peccati; modò sint catholici, alioquin in ipsis præsumi non posset intentio sacramentum recipiendi (2); — semifatuis præsertim in mortis periculo, vel etiam cùm urget præceptum paschale; — pueris, qui dubiè mortalia confitentur, ut non careant gratiâ sacramentali longo temporis intervallo. — Idem quandòque fieri potest cum semifatuis; cum animabus piis, quæ nonnisi imperfectiones accusant, et nullum peccatum certum ex ante actâ vitâ (3).

Principium 3um. Absolutio differri potest, etiam ritè disposito, si confessarius prudenter judicet id fore utile ad bonum animæ pœnitentis. Nam confessarius est pœnitentis medicus, potest ergo præscribere remedia

(1) Vid. S. Lig. lib. VI, n. 431, 432; *Hom. ap.* tract. 16, n. 6.
(2) Vid. *Hom. ap.* tract. 16, nn. 36, 37 et 38.
(3) Vid. n. 432.

utilia.—Sic aliquandò potest differre absolutionem recidivis in peccata venialia.

§ III. — De obligationibus confessarii *post* confessionem.

Confessarius debet 1° corrigere defectus, si in administratione sacramenti quidam irrepserint; 2° observare sigillum confessionis.

I. — Confessarius debet corrigere defectus.

Porro defectus potest versari 1° circa valorem sacramenti; 2° circa confessionis integritatem; 3° circa materiam restitutionis.

1° Si defectus versetur circa *valorem* sacramenti, v. g. si confessarius omiserit absolutionem, aut absolverit non habens jurisdictionem; — vel defectus fuit inculpabilis, vel culpabilis.

Si defectus fuerit inculpabilis: Confessarius non tenetur monere pœnitentem cum gravi detrimento, v. g. cum gravi detrimento sui honoris; nisi pœnitens sit in periculo mortis aut in gravi periculo ampliùs non confitendi, et mortalia accusaverit, vel nisi confessarius sit pastor pœnitentis.— Non tenetur, sepositis duobus casibus in propositione exceptis : charitas enim non obligat cum tanto detrimento. — Tenetur, si pœnitens sit in articulo mortis: pœnitens enim versatur in gravissimo salutis periculo, cui confessarius lege charitatis providere debet, etiam cum gravi detrimento. — Tenetur etiam confessarius, si sit pastor; ratione scilicet quasi contractûs, quo debet ex justitiâ procurare bonum spirituale ovium suarum.

Si defectus sit culpabilis: Confessarius tenetur, nisi

posteà pœnitens alteri confessus fuerit, aut Eucharistiam receperit. — Tenetur : confessarius enim suscipiens onus confessionis audiendæ, vi quasi contractûs debet omittere culpas ex quibus sequeretur invaliditas sacramenti; proindè, si in eas culpas inciderit, tenetur ex justitiâ eas reparare. — Nisi posteà pœnitens alteri confessus fuerit, aut Eucharistiam receperit : nam in hoc casu peccatum fuit indirectè remissum, proindè cessavit obligatio (1).

2° Si defectus versetur circa *integritatem* confessionis : — Vel confessarius se habuit negativè, non interrogando pœnitentem; vel positivè, illum inducendo ne speciem et numerum peccatorum declararet. — Si negativè : non tenetur monere, nisi intra confessionem; obligatio enim ad integritatem afficit pœnitentem potiùs quàm confessarium. — Si positivè se habuit : tenetur monere, etiam extra confessionem (licentiâ tamen à pœnitente petitâ), modò monitio fieri possit absque gravi incommodo (2).

3° Si defectus versetur circa *restitutionem* faciendam : — Vel confessarius dispensavit à restitutione positivè et cum culpâ gravi; vel negativè, aut positivè quidem, sed absque culpâ gravi. — Si positivè et cum culpâ gravi : confessarius tenetur cum gravi incommodo et ex justitiâ pœnitentem monere intra, vel etiam extra confessionem; et, si monitionem omittat, tenetur restituere. Nam fuit causa positiva et graviter culpabilis injustitiæ.—Si negativè influxit : tenetur monere pœnitentem ex charitate tantùm; ac proindè non tenetur

(1) Vid. S. Lig. n. 619; *Hom. ap.* tract. 16, n. 121.
(2) Vid. n. 620.

restituere, si omittat monitionem. — Si positivè quidem, sed absque culpâ gravi : tenetur monere, vel ipse restituere, si non moneat; tenetur enim impedire damna sequentia ex facto suo, etiam inculpabiliter posito.

Cæterùm huic quæstioni applicanda sunt principia exposita in tract. *de Lege Justitiæ* sub titulo *de Restitutione.*

II. — Confessarius tenetur observare legem sigilli.

Lex autem sigilli sequenti propositione continetur : manifestatio directa, vel indirecta eorum quæ in confessione sacramentali audivit, et quorum revelatio redderet sacramentum odiosum, confessario prohibetur sub gravi erga omnes, excepto pœnitente auctore secreti intra confessionem; nisi adsit licentia pœnitentis debitis conditionibus vestita.

1ª p. *Prohibetur manifestatio:* — 1° Jure *naturali.* Confessarius enim per violationem sigilli læderet famam pœnitentis, violaret pactum implicitum, quo secretum promisit pœnitentibus suscipiendo munus confessarii, læderet proindè justitiam. 2° Jure *divino.* Christus enim præcepit susceptionem sacramenti, proindè prohibuit omnia quibus fideles amoverentur à confessione ; porro per violationem sigilli fideles amoverentur à confessione. 3° Jure *ecclesiastico.* Concil. Lateran. IV, can. 21 : *Caveat omninò sacerdos ne verbo, aut signo, aut alio quovis modò, prodat peccatorem.*

Ergo 1° qui violat sigillum peccat contra religionem, injuriam enim infert sacramento, illud odiosum

faciendo; — contra justitiam erga pœnitentem, illius famam lædendo, et pactum ipsi utile violando.

Ergo 2° in materiâ sigilli à confessario pars tutior est eligenda; non licet enim uti opinione probabili contra jus certum pœnitentis et sacramenti (1).

Ergo 3° confessarius de auditis in confessione potest negare etiam cum juramento, se illa scire. *Homo enim non adducitur in testimonium, nisi ut homo; et ideò absque læsione conscientiæ potest jurare se nescire quod scit tantùm ut Deus*, inquit D. Thomas, in 4 Sent. *dist.* 21, *q.* 3, *art.* 1 *ad* 3.

2ª p. *Prohibetur sub gravi:* — Ità ut infractio, saltem directa, sit peccatum grave ex toto genere suo, seu non admittens parvitatem materiæ; quia scopus legis divinæ est gravissimus. —Dicimus *saltem directa;* quia, si periculum indirectæ revelationis sit valdè remotum, seu parùm probabile, dari posset parvitas materiæ.

3ª p. *Manifestatio directa vel indirecta:* — Siquidem ratio præcepti existit in utroque casu.

Manifestatio est *directa*, cùm expressè revelatur aliquid vi legis sigilli reticendum.

Est *indirecta*, cùm aliquid fit aut dicitur ex quo prædicta cognosci aut suspicari possunt. — Sic violaret sigillum verbis qui diceret se audivisse tale peccatum de religiosâ talis monasterii; secùs verò, si diceret de religiosâ alicujus ordinis. Violaret etiam qui diceret, ex auditis confessionibus in loco angusto, multos esse in

(1) *Puto omninò dicendum*, ait S. Lig. n. 633, *non licere uti opinionibus ex quarum usu certum non sit moraliter, nullum pœnitenti gravamen oriri.*

tali loco fures, adulteros, etc. (1). — Sigillum violaret factis qui uteretur notitiâ confessionis ad externam gubernationem in pœnitentis gravamen, v. g. ad eum removendum ab officio, ad deneganda ipsi sacramenta. Secùs dicendum, si confessarius uteretur notitiâ confessionis, ut casui studeat, ut se meliùs componat, etc.; modò absit revelatio et gravamen pœnitentis (2).

4ª p. *Erga omnes, excepto pœnitente auctore secreti intra confessionem:* — Ratio enim prohibitionis, scilicet periculum reddendi confessionem odiosam, existit erga omnes, etiamque erga auctorem secreti (saltem practicè) extra confessionem; non verò erga eumdem intra confessionem (3).

5ª p. *Eorum quæ audivit in confessione sacramentali:* — Ratio enim præcepti existit respectu omnis et solius confessionis sacramentalis. — Talis autem censetur confessio, quæ fit ex intentione se accusandi, vel obtinendi absolutionem apud eum qui est, vel bonâ fide creditur judex legitimus, quamvis absolutio non sequatur.

Indè 1. ad sigillum tenetur laicus, aut sacerdos jurisdictione carens, qui audivit confessionem pœnitentis bonâ fide credentis personam apud quam peccata deponit esse sacerdotem jurisdictione munitum. Secùs dicendum, si pœnitens scienter confiteretur peccata laico, aut sacerdoti jurisdictionem non habenti. — 2. Ad sigillum tenetur sacerdos audiens accusationem pœnitentis, etiamsi pœnitens non habuerit intentionem absolutionem suscipiendi.

(1) Vid. ibid. n. 654.
(2) Vid. S. Lig. nn. 656, 657. — (3) Id. nn. 652, 653.

Ad sigillum non tenetur sacerdos, si pœnitens adeat confessarium in tribunali, animo eum decipiendi, irridendi, ad peccatum adducendi. Attamen in eo casu ex prudentiâ à revelatione abstinendum est.

6ª p. *Et quorum revelatio redderet sacramentum pœnitentiæ odiosum :*

Undè confessarius violaret sigillum manifestando peccata mortalia et venialia pœnitentis ; — peccata complicis à pœnitente manifestata, etiam absque ratione ; — objectum peccati, v. g. si pœnitens se accusaverit de odio erga talem personam, quia furtum commisit, furtum esset objectum peccati, nec posset revelari ; — circumstantias peccati ; — peccata intra confessionem commissa ; — defectus naturales, ut surditas, balbutiés, ignorantia, scrupulositas, etc., si prædicti defectus innotuerint in ordine ad confessionem, vel ex modo confitendi ; — virtutes et revelationes, cùm deteguntur confessario ad manifestandum defectum commissum ; — pœnitentiam impositam (1).

7ª p. *Nisi adsit licentia pœnitentis, debitis conditionibus vestita:* Sigillum enim in gratiam pœnitentis fuit institutum, ergo pœnitens potest renuntiare favori sibi concesso per hanc institutionem.

Licentia autem debet esse 1. expressa, et non solùm præsumpta, 2. perfectè libera et non retractata. Censetur facto data, si pœnitens ipse de peccatis in confessione declaratis loqui incipiat.

Sedulò *notandum*. Ad obligationem sigilli tenentur, et cum eodem rigore ac confessarius, omnes ad quos

(1) Vid. à n. 640 ad 645; *Hom. ap.* tract. 16, à n. 152 ad 155.

quomodocumque pervenit notitia confessionis sacramentalis. Quia revelatio eorum quæ in confessione accusata sunt, facta etiam à personis à confessario distinctis, esset pœnitentibus onerosa, et confessionem redderet odiosam.

Undè ad sigillum tenentur 1. superior cui sistit absolutus à reservato, vel à quo petitur licentia absolvendi à reservato; 2. interpres; 3. qui furtivè, vel casu, aliquid audivit, etiam inculpatè, nisi pœnitens voluerit publicè confiteri; 4. omnes quibus aliquid sacrilegè revelatum est; 5. laicus qui pro sacerdote habitus est; 6. qui personæ rudis confessionem scripsit; item qui legit muti confessionem scriptam, vel confessionem relictam in confessionali, vel porrectam sacerdoti: etenim in casibus istis confessio scripta ordinatur ad sacramentum; 7. doctor ad cujus consilia recurrit confessarius cum licentiâ pœnitentis (1). — Non tenetur pœnitens, ut suprà diximus (2).

ARTICULUS II.

De legibus specialibus subjecto.

Hæc materia regitur duobus principiis expositis sub eodem titulo, ubi *de Sacramentis in genere;* quæ principia sacramento pœnitentiæ applicata sic exponi possunt.

Principium 1um. Necessaria est, tùm necessitate

(1) Vid. S. Lig. nn. 647, 648, 630; *Hom. ap.* tract. 16, nn. 148, 149, 151.

(2) N. 647, X. *Verumtamen*, addit S. Lig., *omnes cum Holzmann dicunt teneri pœnitentem vinculo secreti naturalis de dictis à confessario, quorum propalatio ei damnum afferre posset. Mihique videtur teneri pœnitentes huic secreto, strictiùs quàm alii.*

præcepti divini, tùm necessitate medii, sacramenti pœnitentiæ receptio, in re aut in voto, omnibus et solis christianis rationis usu fruentibus, qui post baptismum peccatum mortale commiserunt.

Prob. p. p. 1ª. Receptio sacramenti pœnitentiæ necessaria est necessitate præcepti divini:

Nam 1° si receptio sacramenti pœnitentiæ non esset præcepta, propè inutilis fuisset ejus institutio. Siquidem, cùm hujus sacramenti receptio necessariò includat confessionem, quæ permaximè repugnat hominibus, nisi adesset præceptum, paucissimi ad hoc sacramentum accederent. Porro repugnat Christum instituisse sacramentum propè inutile.

2° Admittenda doctrina nostra, si oriatur à Christo; atqui res ità est. Alioquin dicendum foret eam fuisse inventam, — vel ab Apostolis, quod repugnat; — vel à christianis, quod impossibile est: tùm propter rationes generales enuntiatas in argumento præscriptionis, ubi *de septenario sacramentorum numero*, tùm quia omnes obstitissent introductioni hujus doctrinæ superbiæ humanæ maximè repugnantis.

3° Ex textibus PP. superiùs citatis, ubi *de necessitate Confessionis*, sequitur confessionem, ac proindè receptionem sacramenti pœnitentiæ, esse necessariam, seu præceptam.

4° Conc. Trid. sess. 14, can. 6: *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino; aut dixerit, modum secretè confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.*

2ª *p*. Necessaria est necessitate medii : — Concil. Trid. sess. 14, cap. 2: *Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondùm regeneratis ipse baptismus*. Porro baptismus nondùm regeneratis est necessarius necessitate medii; ergo pœnitentia lapsis post baptismum est necessaria necessitate medii.

3ª *p*. Necessaria est in re aut in voto: — Concil. Trid. sess. 14, cap. 4, docet *reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in illâ includitur, non esse adscribendam*. Ergo receptioni pœnitentiæ, si sit impossibilis, supplere potest contritio perfecta cum voto sacramenti. Undè receptio sacramenti necessaria est in re, aut in voto.

4ª *p*. Omnibus et solis christianis rationis usu fruentibus : — Omnibus : nulla enim est exceptio. — Solis : infideles enim non sunt membra Ecclesiæ ; ergo Ecclesia non potest eos judicare, proindè sacramentum pœnitentiæ eis administrare. — Rationis usu fruentibus : qui enim privantur usu rationis sunt incapaces actuum quibus constituitur materia hujus sacramenti, scilicet contritionis, confessionis et satisfactionis.

5ª *p*. Qui post baptismum commiserunt peccatum mortale :

Siquidem 1° si *nullum* commiserunt peccatum, nulla existit sacramento materia remota ; proindè sacramentum validè conferri non potest.

2° Si peccatum commissum sit tantùm *veniale*, sacramentum pœnitentiæ non est necessarium (1).

(1) Licèt necessaria non sit venialium confessio, nihilominus, ex

Quia 1° remissio peccati venialis in hâc vitâ non est ad salutem necessaria.

Quia 2° venialia peccata, juxta Conc. Trid. sess. 14, cap. 5, *multis aliis remediis expiari possunt*;—scilicet:

1. Per contritionem perfectam; etiam absque voto sacramenti, cùm venialia non sint necessariò absolvenda (1).

2. Juxta quosdam, per attritionem extra sacramentum.—Dicimus *juxta quosdam*. Siquidem de hâc quæstione, duplex est opinio. *Prima* affirmat peccata venialia remitti per attritionem solam extra sacramentum (2). Cùm enim contritio perfecta remittat peccatum mortale extra sacramentum, attritio debet remittere peccatum

doctrinâ Concilii Trid. ses. 14, cap. 5, *recta* et *utilis* est, hominumque piorum usui valdè consentanea. Hinc *declaratio Synodi* (Pistor. n. 39) *de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantoperè frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi confessiones*, à Pio VI, in Const. *Auctorem fidei*, proscripta fuit tanquam *temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi à sacro Concilio Tridentino probatæ contraria*.

(1) Juxta D. Thom. 3 p. q. 87, art. 1, non quidem formalis requiritur actus contritionis perfectæ, ad venialis peccati remissionem extra sacramentum; sufficit verò virtualis contritio, seu *quædam virtualis displicentia, putà cùm aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret*. — Vid. Sylvius in 3 p. quæst. 87, art. 1; Billuart, dissert. 3, art. 2, § 1; Collet, etc.

(2) Ità Suarez, *de Pœnit.* disp. 11, sect. 2, n. 11 et seq., asserens tanquam probabile, *venialia peccata tolli per solam attritionem, imò et per contrarium propositum, vel per actum virtutis repugnantem aliquo modo veniali, et excludentem complacentiam illius*; De Lugo; Antoine, *Theol. univ.* de Pœnit. cap. 7, art. 2, § 4; Liebermann, cap. 1, art. 4, § 2, et alii plures.

veniale extra sacramentum; alioquin facilior non esset remissio peccati venialis, quàm remissio peccati mortalis, quod repugnat. *Secunda* negat (1). Quia solum peccatum veniale, secluso mortali, est materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ; ergo verè absolvitur virtute clavium. Hoc autem non fieret, si sola attritio sufficeret. Siquidem attritio saltem necessariò debet adesse in sacramento tanquam dispositio ad absolutionem; ergo, si sola remitteret peccatum veniale, nihil operaretur efficacia clavium in ejus remissione.

3. Remitti potest per sacramentalia, v. g. per aspersionem aquæ benedictæ, per benedictionem episcopalem, etc. Hæc autem valent non ex opere operato, sed quatenùs allicíunt ad detestationem peccati. Item valent per modum impetrationis gratiæ, ob preces Ecclesiæ; sic, dùm fidelis utitur aquâ benedictâ, preces recitatæ nomine Ecclesiæ in benedictione ejusdem aquæ ipsi applicantur (2).

(1) Ità Becan. *Summ. theol.* de Sacram. cap. 32, quæst. 1; Wirceburgenses, *de Pœnit.* disp. 1, cap. 3, art. 3; Vasquez, etc.

(2) De sacramentalibus scribit *Billuart*, loc. cit. § 3: « Alia sunt » quæ ex genere suo et modo quo fiunt, habent adjunctum aliquem » dolorem de peccatis, ut confessio generalis, tunsio pectoris, Oratio dominica, etc. Alia sunt quæ, ultrà motum reverentiæ erga » res divinas, qui in eorum usu reperitur, habent insuper specialem » ab Ecclesiâ benedictionem et consecrationem, ut aqua benedicta, » benedictio Episcopi, oratio in ecclesiâ benedictâ vel consecratâ, » etc. Hæc omnia, si laudabiliter et virtuosè fiant, patet quòd » operentur ad remissionem peccatorum venialium, sive per modum » pœnitentiæ virtualis, sive impetrando gratiam quâ talis pœnitentia excitetur, non secùs ac cætera opera virtutum. Et quæ sunt » secundi generis, præter hanc virtutem ex parte utentis, habent » insuper benedictionem, consecrationem et preces Ecclesiæ, quæ » tunc nobis applicantur, cum eis sacramentalibus utimur, et quæ

Principium 2um. Fidelis recipiens sacramentum tenetur, sub gravi aut sub levi, proùt materia est gravis aut levis, ad omnes conditiones et circumstantias necessarias ad dignam receptionem.

Undè solvuntur quæstiones sequentes 1° de tempore quo sacramentum pœnitentiæ recipiendum est, 2° de obligationibus specialibus subjecti in receptione sacramenti.

Quæst. 1a. *Quandònam, ex jure divino recipiendum sit sacramentum pœnitentiæ ab eo, qui commisit peccatum mortale?*

Resp. Quædam sunt certa, unum controversum.

Certa. 1° Fidelis in statu peccati mortalis constitutus obligatur *directè*, seu vi præcepti, — ad recipiendum pœnitentiæ sacramentum in periculo mortis; etenim si aliquandò obligat præceptum, maximè in periculo mortis; — ad non differendam receptionem sacramenti pœnitentiæ longiori tempore post peccatum; evidenter enim peccator contradiceret voluntati Christi, si diutiùs differret uti remedio instituto ad delendum peccatum.

2° Obligatur *indirectè*, seu ratione alterius præcepti, cùm tenetur ad actum cujus adimpletio exigit præviam receptionem pœnitentiæ, v. g. cùm Eucharistia suscipienda est, cùm gravis urget tentatio, quæ alio modo superari nequit.

Controvertitur autem utrùm peccator teneatur ad receptionem sacramenti pœnitentiæ statim post peccatum.

» per modum impetrationis et intercessionis habent vim obtinendi » nobis gratiam remissivam peccati venialis. Solet enim Deus Ec- » clesiæ suæ sponsæ preces benigniùs audire. »

Duplex est opinio. — *Prima* affirmat. Quia 1° homo per peccatum constituitur in deordinatione, in impossibilitate merendi, in periculo damnationis; porro non licet in hoc statu permanere; ergo, datâ opportunitate, peccator tenetur statim ad receptionem sacramenti pœnitentiæ. Quia 2° legitur in Eccli. 5, 8: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subitò enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.*

Secunda, communis, cum D. Thomâ, negat. Siquidem 1° hæc obligatio non probatur. Argumenta quidem superiùs allata probant hominem non posse pœnitentiam differre longiori tempore post peccatum, non verò pœnitentiam esse faciendam statim post peccatum. 2° Quamvis argumenta prædicta probarent obligationem recuperandi gratiam statim post peccatum; non indè sequeretur peccatorem statim teneri ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ, cùm gratia obtineri possit per contritionem perfectam. 3° Idem dicendum de pœnitentiâ ac de baptismo; at olim, juxta morem veteris Ecclesiæ, extra necessitatis casum, differebatur baptismus ad vigiliam Paschæ vel Pentecostes (1).

Quæst. 2ª. *Quænam sint obligationes speciales fidelis in susceptione sacramenti pœnitentiæ?*

Resp. — *I. Ante confessionem:* — Pœnitens tenetur

(1) D. Thom. *in* 4, *dist.* 17, *q.* 3, *a.* 1, *q.* 4. Vid. S. Lig. n. 663; Laymann, lib. V, tract. 6, cap. 5; Suarez, Billuart, etc. — Imò, ut alibi dicetur, neque ad contritionem perfectam tenetur peccator statim post peccatum, licèt vi præcepti charitatis erga seipsum teneatur pœnitentiam per notabile tempus non differre.

1° cognoscere; et, si ignoret, discere ea quæ spectant ad naturam, dispositiones et effectus sacramenti pœnitentiæ.

Tenetur 2° conscientiam suam diligenter, pro capacitate suà, examinare de peccatis in confessione accusandis.

Tenetur 3° elicere actus fidei, spei et contritionis, modo debito. — Porro actus contritionis debet esse explicitus. — Sufficit actus fidei et spei implicitus, qualis includitur in actu contritionis; cùm enim pœnitens ordinet actum contritionis ad obtinendam remissionem peccatorum, eo ipso credit et sperat (1).

II. Durante confessione: — Pœnitens tenetur 1° observare in accusatione peccatorum omnes conditiones necessarias ad validitatem, quas suprà exposuimus ubi *de Confessione;* specialiter, vitare peccatum veniale, per quod sacramentum non irritaretur quidem, sed illicitum fieret.

Tenetur 2° actum contritionis elicere, si jàm non fuerit ante confessionem elicitus.

Tenetur 3° satisfactionem impositam acceptare cum intentione eam exsequendi. — Undè, si confessarius omiserit satisfactionem imponere, aut si pœnitens satisfactionis impositæ oblitus fuerit, tenetur à confessario satisfactionem petere, cùm potest facilè; secùs, ab integritate sacramenti dispensatur (2).

Tenetur 4° absolutionem recusare, si de dispositionibus suis non habeat conscientiam.

III. Post confessionem: — Pœnitens tenetur 1° de-

(1) S. Lig. lib. VI, n. 439.
(2) Vid. S. Lig. n. 520, et *Hom. ap.* tract. 16, n. 39.

fectum confessionis reparare; scilicet: confessionem iterare, si fuit nulla et sacrilega; complere, si meminerit peccatorum oblitorum, aut indebitè accusatorum (1).

Tenetur 2° præscriptiones justas confessarii exsecutioni mandare.

Tenetur 3° sub gravi aut sub levi, satisfactionem à confessario impositam, nisi legitimè commutatam, adimplere debito modo.

Tenetur satisfactionem impositam *adimplere:* cùm satisfactio sit pars integrans sacramenti.

Tenetur *sub gravi aut sub levi:* Porro pœnitens non adimplens satisfactionem, — peccat graviter, si peccata accusata fuerint gravia, simul et satisfactio aut pars satisfactionis omissa gravis, v. g. æquivalens parvæ horæ officii, vel tertiæ parti rosarii; — peccat leviter 1. si peccata fuerint gravia, et omissio levis; 2. si peccata fuerint levia, aut gravia jàm aliundè confessa, quamvis pœnitentia gravis: ità saltem plures contra multos asserentes in eo casu peccatum esse grave (2).

(1) Quandònam autem pœnitens teneatur declarare peccata mortalia inculpabiliter omissa? — Secluso casu suscipiendæ sacræ communionis (de quo vid. quæ diximus, ubi *de Euchar.* pag. 128), juxta Sylvium, in Supplem. quæst. 9, art. 2, quær. 4, *non est necessarium ut oblitorum confessio fiat statim atque redit illorum memoria, sed satis est ut fiat tempore opportuno; imò ad evadendam præcepti transgressionem licitè in sequens Pascha differri potest.* Idem sentit Billuart, *dissert.* 5, *art.* 3, § 3, *petes* 7, quoàd peccata justâ de causâ in confessione celata, si causa celandi ante annum desierit. Vid. etiam S. Lig. lib. VI, n. 257. — Alii tamen, inter quos DD. Bouvier, pag. 424 (8æ edit.) rem determinare non audent.

(2) Licèt non desint theologi, qui (cum Billuart, dis. 9, art. 4) re-

Nisi fuerit *legitimè commutata* : Siquidem satisfactio potest commutari, modò adsint rationes sufficientes. Alioquin Christus non sufficienter providisset integritati sacramenti, cùm sæpè satisfactio primùm imposita posteà fiat physicè aut moraliter impossibilis : aliundè propositio constat ex praxi Ecclesiæ.

Ut autem commutatio sit legitima, requiritur 1° ratio sufficiens, scilicet impossibilitas physica aut moralis adimplendi satisfactionem. — Requiritur 2° auctoritas sufficiens in commutante; id est, requiritur sacerdos habens jurisdictionem (1). Undè pœnitens non potest ipse satisfactionem commutare. — Requiritur 3° ex parte commutantis notio sufficiens peccatorum. Porro, vel satisfactio commutatur à primo confessario, vel ab alio.—Si commutatio facienda sit à primo : sufficit memoria generalis et confusa peccatorum in con-

putent grave esse peccatum non adimplere satisfactionem, etiam levem, injunctam pro solis venialibus aut mortalibus jàm confessis, propter injuriam illatam sacramento; nihilominùs tenet S. Lig. n. 517, tanquam *commune*, omissionem non esse gravem. — Majus dubium est quandò pœnitentia injuncta fuit gravis. Probabilis sententia docet grave esse pœnitentiam omittere. Ità *De Lugo*, *Bonacina*, *Salmant. Concina*, *Antoine*, etc. Contradicunt autem *Suarez*, *Laymann*, *Lacroix* et alii, quorum sententiam *satis probabilem* dicit, ac in genere tuetur S. Lig. loc. cit. et *Hom. ap.* tract. 16, n. 56.

(1) Undè, etiam juxta probabiliorem opinionem, confessarius non habens jurisdictionem in reservata, non potest commutare pœnitentiam pro reservatis à primo confessario impositam. Ità S. Lig. *n.* 529, *dub.* 2, et *Hom. ap.* tract. 16, n. 61, cum De Lugo, Suarez, Sporer, etc. Billuart, *dis.* 9, *art.* 4. Excipit tamen *S. Lig.* nisi pœnitens difficulter posset recurrere ad confessarium casus reservatos habentem, et gravis aliundè adesset causa ut pœnitentia mutetur : quia tunc præsumitur superioris conniventia.

fessione accusatorum. — Si facienda sit ab alio : juxta plures, requiritur semper nova confessio; confessarius enim, omissâ confessione, non posset gravitatem satisfactionis gravitati peccatorum et statui pœnitentis accommodare. Juxta alios, quorum probabilior videtur opinio, necessaria non est confessio, si pœnitens meminerit satisfactionis impositæ; benè verò, si ejus memoriam non habeat. Necessaria non est si meminerit : confessarius enim, cognitâ priori satisfactione, potest absque prævià confessione æqualem imponere, quod sufficit. Necessaria est, saltem per summa capita, si pœnitens non meminerit : ob rationes primæ opinionis (1).

Tenetur adimplere satisfactionem *debito modo:* De illâ conditione, quædam certa, quædam controversa.

Certa.—1° Satisfactio adimpleri debet à pœnitente. Siquidem est pœna, proindè subeunda est à reo; est medicina, proindè subeunda est ab ægroto. Aliundè ab Alexandro VII, 24 sept. 1665, damnata est propositio sequens, n. 15: *Pœnitens propriâ auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat* (2).

2° Debet impleri cum omnibus circumstantiis præ-

(1) Vid. S. Lig. n. 529, *dub.* 1, et *Hom. ap.* tr. 16, n. 61. — Pœnitentia mutari non potest extra confessionem, ab alio confessario. Imò, juxta sententiam quam S. Lig. loc. cit. dicit *communiorem*, nec à proprio confessario, nisi immediatè post absolutionem, antequàm à confessario discedat pœnitens.

(2) De satisfactione per alium, vid. Suarez, disp. 38, sect. 9; Sylvius, in Supplem. quæst. 13, art. 2; Billuart, dissert. 9, art. 5; Collet, etc.

scriptis. Impositio enim pœnitentiæ æquivalet legi. Porro lex adimplenda est, non solùm quoàd substantiam, sed etiam quoàd circumstantias. — Undè generaliter non impletur satisfactio per actum aliundè præceptum. Siquidem, nisi contrarium constet ex circumstantiis aut declaratione expressâ, confessarius censetur præscribere actum non aliundè præceptum.

Controvertitur autem 1° utrùm pœnitens satisfactionem adimplere possit in statu peccati mortalis. — *Prima* opinio negat; quia opus satisfactorium, cùm debeat esse meritorium, exigit statum gratiæ.—*Secunda*, probabilior, affirmat. Exigitur quidem status gratiæ ut opus sit satisfactorium; sed, cùm finis præcepti non cadat sub præcepto, ad implendum præceptum satisfactionis, sufficit ponere opus præscriptum, licèt finis præcepti non obtineatur.—Nihilominùs, juxta *S. Lig.* contra alios, venialiter peccat qui satisfactionem adimplet in statu peccati mortalis; quia talis satisfactio non remittit ex opere operato partem pœnæ temporalis quam expungere debebat, pœnitens proindè voluntariè ponit obicem effectui partiali sacramenti (1).

Controvertitur 2° utrùm pœnitens satisfaciat adimplens opus præscriptum absque intentione satisfaciendi.— *Prima* opinio negat. — Siquidem sacramentum est quid unum; proindè omnes ejus partes, etiam integrales, ad sacramentum ordinari debent per intentionem veram. Porro in casu dato nulla est intentio. *Secunda* affirmat. Quisque enim censetur velle obligationes adimplere, potiùs quàm opera indebita;

(1) Vid. S. Lig. n. 522 et 523.

proindè pœnitens habet in casu dato intentionem sufficientem. Ità *S. Lig.* (1).

III.

PARS DISCIPLINARIS.

ARTICULUS I.

De legibus specialibus ministro.

Duplici propositione continentur.

Propositio 1ª. Minister, vi legis ecclesiasticæ, tenetur administrare sacramentum pœnitentiæ, quandò subjectum tenetur eâdem lege idem sacramentum recipere. Hæc enim duo sunt correlativa.

Propositio 2ª. Minister in administratione pœnitentiæ tenetur servare ritus ab Ecclesiâ præscriptos.

Porro preces sequentes: *Misereatur...*, *Indulgentiam...*, *Dominus noster...* ante absolutionem, et *Passio Domini...* post absolutionem, laudabiliter adjunguntur absolutioni, juxta Concil. Trid. sess. 14, cap. 3.

Undè, exceptâ prece *Dominus noster...*, quæ sine necessitate omitti nequit absque veniali, aliæ citra culpam omitti possunt (2).

Decet etiam ut ultima oratio *Passio Domini...* dicatur; quia per illa verba bona opera pœnitentis ad effectum satisfactionis sacramentalis elevantur (3).

(1) *Hom. ap.* tract. 16, n. 58.

(2) *Urgente aliquâ gravi necessitate in periculo mortis* (confessarius) *breviter dicere poterit:* Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine Patris, etc. *Rit. Rom.*

(3) Ità, contra quosdam, plures cum D. Thom. *Quodlib.* 3, art.

Si pœnitens censuras incurrerit, priùs ab iis, dein à peccatis absolvatur. Aliter agendo, graviter peccaret sacerdos. Valeret tamen absolutio, si pœnitens esset in bonâ fide.

Elevatio, vel impositio manûs, et formatio crucis servari debent ex consuetudine Ecclesiæ, dùm forma pronuntiatur.

ARTICULUS II.

De legibus specialibus subjecto.

Propositio 1ª. Omnis utriusque sexûs fidelis, postquàm ad annos discretionis pervenerit, omnia peccata sua confiteatur fideliter saltem semel in anno. Alioquin, et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, et moriens christianâ careat sepulturâ (quæ pœna est ferendæ sententiæ). Ità Concil. Lateran. IV, can. 21, cujus decretum renovatum fuit à Concil. Trid. sess. 14, cap. 5 et can. 8.

Ex quibus videre est omnes fideles, saltem si commiserint peccatum mortale, teneri sub gravi (sanctio enim præcepti est gravis), saltem semel in anno peccata sua confiteri.

Dicimus *saltem si commiserint peccatum mortale:* Controvertitur enim utrùm ad confessionem annuam

28, ubi sic ait: *Et hæc quæ præter injunctionem expressam facit* (pœnitens), *accipiunt majorem vim expiationis culpæ præteritæ ex illâ generali injunctione quâ sacerdos dicit:* Quidquid boni feceris, etc. *Et quantum ad hoc talis satisfactio est sacramentalis, in quantum virtute clavium est culpæ commissæ expiativa.* Vid. Sylvius in Supplem. *quæst.* 15, *art.* 1, *concl.* 1; Billuart, *dis.* 9, art. 9; S. Lig. n. 507, etc.

teneantur fideles qui non commiserunt peccatum mortale. — Duplex opinio. *Prima* affirmat. Quia præceptum ecclesiasticum de annuâ confessione est distinctum à præcepto divino. *Secunda*, communis, negat. Quia lex Ecclesiæ determinat tantùm tempus observationis præcepti divini. Ergo non obligat ad confessionem eos qui lege divinâ non tenentur. Porro lege divinâ non tenentur qui non sunt rei peccato mortali.

Probabilius videtur eos qui peccati mortalis non sunt rei, non teneri quidem ad confessionem, ob rationes secundæ opinionis; sed teneri se sistere confessario, ad vitanda scandalum et præsumptionem.

Propositio 2ª. Quoàd circumstantias annuæ confessionis, fidelis tenetur servare omnes præscriptiones Ecclesiæ. — Porro,

1° Quoàd confessionis *qualitatem :* Requiritur confessio valida. Ab Alexandro VII damnata fuit propositio sequens, n. 14 : *Qui facit confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

2° Quoàd *sacerdotem*, cui annua confessio fieri debet : hodiè certum est, ex variis SS. Pontificum decretis, et consuetudine universali, adimpleri præceptum Conc. Lateran. per confessionem factam cuilibet sacerdoti ex approbatis ab Ordinario, etiamque contradicente parocho (1).

(1) Vid. Bened. XIV *Institut.* 18, et *de Synod. diœces.* lib. XI, cap. 14, n. 2 et seq.; Billuart, *dissert.* 6, *art.* 3; S. Lig. nn. 546, 670, et *Hom. ap.* tract. 12, n. 33, ubi refert à S. C. an. 1584, fuisse declaratum, quòd si episcopus juberet ne quis confessarius in Paschate audiret confessiones pœnitentium sine licentiâ curati, talis decreti nullam habendam fore rationem.

3° Quoàd *tempus :* Confessio facienda est *saltem semel in anno*. Conc. Lateran.—Attamen lex non determinavit epocham. Ex consuetudine fit confessio tempore Paschali.

Determinatio temporis non apponitur ad finiendam, sed ad urgendam obligationem. Proindè qui omisit confessionem per annum, tenetur quamprimùm confiteri.

Præcepto anni vel annorum præcedentium simul et anni præsentis, per unam confessionem satisfacit prædictus pœnitens, si in confessione manifestet mortalia tàm præteriti quàm præsentis anni ; quia per istam confessionem adimplet finem præcepti, scilicet reconciliationem cum Deo à peccatis illius anni. — At, si pœnitens in præsenti anno non peccavit mortaliter ante confessionem, et posteà incidat in mortale, iterùm tenetur confiteri, quia per unam confessionem satisfacit quidem præcepto anni præteriti, non autem anni præsentis, cùm præceptum obliget ad accusationem peccatorum mortalium intra annum commissorum : communiter enim docent theologi cum, qui sola venialia confitetur in principio anni, et ante finem committit mortale, teneri intra annum mortale confiteri (1).

Hanc hodiernunc in Galliis communem esse praxim, scilicet, ad confessionem annuam minimè requiri licentiam parochi, declarant quamplurimæ Synodi sive provinciales, sive diœcesanæ, paucis abhinc annis apud nos celebratæ. Vid. Conc. Turon. 1849, *decret.* 17, *n.* 4; Albiens. 1850, *tit.* 5, *decret.* 6 ; Bituricens. 1850, *decret. de Pœnit.*; Senonens. 1850, cap. 5; Burdigal. 1850, *tit.* 3, *cap.* 5, *n.* 2; Rothomag. 1850, *decret.* 19, *n.* 4; Auscitan. 1851, *tit.* 3, *cap.* 1, § 4; Synod. Remens. 1850, *cap.* 13, § 2; Synod. S. Claud. 1855, § 87; etc.

(1) Ità S. Lig. n. 669, et *Hom. ap.* tract. 12, n. 37.

APPENDIX.

De sollicitatione ad turpia (1).

De sollicitantibus statuit, post Gregorium XV, Benedictus XIV, in Const. *Sacramentum pœnitentiæ*, 1 jun. 1741, à pœnitente, sive viro, sive muliere, denuntiandos esse omnes et singulos sacerdotes, qui pro se aut pro alio, *vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediatè post confessionem, vel occasione aut prætextu confessionis, etiam confessione non secutâ, vel etiam extra occasionem confessionis, in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones, vel tractatus, temerario ausu habuerint.*

Pœnitens tenetur denuntiare sollicitantem, etiamsi consenserit in sollicitatione, etiamsi per denuntiationem incurrere debeat indignationem denuntiati, etiamsi reus sit emendatus, vel à longo tempore habita fuerit sollicitatio.

Caveant insuper, addit Bened. XIV, *diligenter confessarii ne pœnitentibus quos noverint jàm ab alio sol-*

(1) Adeatur de hâc materiâ S. Lig. *Theol. mor.* Append. de confes. sollic. lib. VI, n. 675 et seq.; Ferraris, v° *Confessarius*, art. 5 et alibi passim; De Carboneano, *Append.* ad tract. de Pœnit. P. Antoine; Giraldi, *Expositio jur. pontif.* Append. ad *sect.* 89, *tit.* 7, *lib.* V Decretal. etc.

licitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi priùs denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cùm primùm poterunt, delaturos spondeant ac promittant.

Observat in genere S. Lig. n. 694, « quòd, etiamsi » confessarius prævideat certò sollicitatam non esse » denuntiaturam, debet nihilominùs monere illam de » suâ obligatione, et dimittere, si nolit denuntiare. » Ratio, quia ipsi confessario expressè præcipitur à » Pontifice in dictâ Bullâ obligatio monendi; et, licèt » generaliter loquendo, cùm confessarius prævidet mo- » nitionem non profuturam, eam omittere debeat; hoc » tamen non currit, quando agitur de vitando damno » communi, ut evenit in dicto casu. »

Attamen, cùm aliquandò grave timeri possit damnum ex denuntiatione, undè pœnitens induci nequeat ad denuntiandum, in his, aliisque casibus difficilibus, ad Episcopum recurrat confessarius, ut ab eo mandatum recipiat circa modum cum tali pœnitente se gerendi.

NOTA

ad pag. 137.

Dictis (in *art.* 1, part. disciplin. *de Euch.*) circa obligationem applicandi missam pro populo, addenda sunt quæ nuper decrevit SS. DD. NN. Pius Papa IX, in Encycl. *Amantissimi Redemptoris*, 3 maii 1858. Hisce videlicet litteris declarat, statuit atque decernit « parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes, sacro- » sanctum Missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare, » et applicare debere tùm omnibus dominicis, aliisque diebus, qui » ex præcepto adhuc servantur, tùm illis etiam, qui ex hujus Apos- » tolicæ Sedis indulgentiâ ex dierum de præcepto festorum numero » sublati, ac translati sunt, quemadmodùm ipsi animarum curatores » debebant, dùm memorata Urbani VIII Constitutio (*Universa*) in » pleno suo robore vigebat, antequam festivi de præcepto dies im- » minuerentur, et transferrentur. Quod verò attinet ad festos trans- » latos dies id unum excipimus, ut scilicet quandò una cum solem- » nitate divinum officium translatum fuerit in dominicum diem, una » tantùm missa pro populo sit à parochis applicanda, quandoqui- » dem missa, quæ præcipua divini officii pars est, una simul cum » officio translata existimari debet... Et quoniam non desunt ani- » marum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, » indultum ab hâc Apostolicâ Sede obtinuere, concedimus, ut ipsi » hujusce indulti beneficio perfrui pergant juxta tamen conditiones » in indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint » in parœciis, quas in præsentiarum regunt et administrant. »

NOTA

ad pagin. 280.

Quæstionem de attritione sic exponit Scavini, *Theol. moral.* tract. 10, disp. 1, cap. 2, art. 1, juxta mentem S. Lig. n. 440 et seq.

« Q. *An attritio sufficiat ad justificandum peccatorem in sacramento pœnitentiæ?*

» Nota. Ut hæc gravissima ac difficilis controversia bene percipiatur, triplici sub respectu attritio considerari debet:

» 1. Ut est conjuncta cum *amore Dei initiali*, qui oritur a charitate prædominante et super omnia, licet remissa et minus vivida.

Talis esset in eo, qui detestatur peccatum, quia timet gehennam; sed simul incipit etiam Deum animo suo concipere ut summe bonum in se; et ideo ut talem jam incipit eum amare; et peccatum odit etiam ex tali charitatis motivo. Hæc attritio induit naturam contritionis, ut patet, et vix nomen attritionis sibi retinet; nam magis ac minus in iisdem non variat speciem.

» 2. Ut est destituta quidem et vacua tali amore Dei initiali, proveniente a charitate prædominante et super omnia, licet remissiori et minus vivida; sed ut est conjuncta cum aliquali inchoato amore divino, qui tamen non sit prædominans, seu amor amicitiæ; sed amor *simplicis benevolentiæ*.

» 3. Ut est disjuncta a quocumque etiam *initio amoris* Dei tam provenientis a charitate prædominante et super omnia, licet remissa et parum vivida; quam ab alio quolibet benevolentiæ motivo (1). Hanc porro attritionem, quam *puram* dicunt, bonam esse et utilem patet ex propositione 15 damnata ab Alexandro VIII: *attritio quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis*. Sane fugere gehennam est bonum; cum gehenna sit homini nociva. Item dolere de peccato est bonum; cum peccatum sit maximum malum. Tandem est bonum ordinare hunc dolorem ad vitandum gehennam; quia est ordinatio ad rem bonam. Porro attritio hæc tria continet. His positis,

» R. Pro triplici respectu sub quo attritio considerari potest, triplex est etiam opinio theologorum. Alii... ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ requirunt *attritionem conjunctam cum amore inchoativo, qui oriatur à charitate prædominante, quamvis remissa:* isti dicuntur *Contritionistæ*. — Alii.. (quibus et nos subscribimus), quamvis fateantur ipsam contritionem curandam esse,

(1) « Claritatis gratia triplex distinguendus est in nobis amor erga Deum: *concupiscentiæ, benevolentiæ*, et *amicitiæ* seu *charitatis*. Amor *concupiscentiæ* ille est quo volumus Deum nobis bonum esse, ejusque beatitudinem appetimus. — Amor *benevolentiæ* est simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, sine redamatione ex parte ejus: ut cum videmus duos ignotos cursores in certamine, quorum unum volumus vincere. — Amor vero *amicitiæ* addit benevolentiæ redamationem, seu unionem affectuum ad invicem. Ita Angelicus, 2-2, q. 27, a. 2.

» Porro hic tota quæstio est: in sacramento Pœnitentiæ alii dicunt sufficere amorem *concupiscentiæ* seu *spei*. Alii ulterius requirunt amorem *benevolentiae*. Alii etiam amorem *charitatis*, seu prædominantem et super omnia. Unde patet non esse confundendum, ut aliqui faciunt, amorem benevolum seu benevolentiæ cum amore charitatis; hi enim amores sunt stricte loquendo specie diversi. »

aiunt sufficere *attritionem*, non quidem sine aliquo initiali Dei amore, *sed absque eo quod sit prædominans seu charitas*. Isti dicuntur simpliciter *attritionistæ*. — Tandem alii... *puram ac formidolosam attritionem* sufficientem dicunt. Isti dicuntur *attritionistæ puri*.

» Secunda tamen ac tertia opinio facile conciliari potest; etenim principium aliqualis amoris Dei vel in ipsa contritione pura jam implicite videtur inclusum. Siquidem nemo mente concipiet hominem tam plumbeum, qui aliquali saltem inchoativo amore non diligat illum, a quo sperat beneficium omnium maximum, quale est vita æterna. Differt utique amor ab amore *charitatis*; sed non potest *amoris* vocabulo privari, et semper in Deum directe refertur. Quibus explanatis, sic thesis nostra probatur.

» 1. Concilium Tridentinum postquam tradidit, contritionem *charitate perfectam* justificare ante sacramentum *actu* susceptum, sic prosequitur: *illam vero contritionem imperfectam, quæ* attritio *dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat (sancta Synodus) non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit* (1). Verba hæc nimis decretoria sunt: vocabulum enim *disponit* idem sonat ac *sufficit:* hoc aperte deducitur ex iis verbis: *et quamvis sine sacramento per se ad justificationem perducere nequeat, etc.;* quæ hanc exhibent consequentiam: *ergo cum sacramento bene perducit*. Si enim Concilium aliter esset intelligendum, incongruenter fuisset locutum.

» Dein Tridentinum hic loqui de *dispositione proxima*, patet etiam quia duplicem distinguit dispositionem ad gratiam recipiendam: unam extra sacramentum, et est *contritio perfecta*; aliam in sacramento, et est *attritio*. Atqui contritionem ad gratiæ consecutionem extra sacramentum assignat uti dispositionem proximam: ergo etiam attritionem habet pro dispositione proxima ad eamdem gratiam recipiendam in sacramento. Tandem dicit contritionem in

(1) Sess. 14, c. 5.

genere, quæ est *animi dolor ac detestatio de peccato commisso*, esse materiam vel quasi materiam sacramenti; et postea dividit hanc ipsam in perfectam et imperfectam. Ergo cum utrique competat contritionis definitio, sequitur quod etiam imperfecta *proxime disponat* ad gratiam consequendam.

» 2. Alexander VII anno 1667 prohibuit sub excommunicatione latæ sententiæ ac Pontifici reservata, *ne quis audeat alicujus theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem.*

» Ubi notamus, quod dicendo, *sententiam negantem necessitatem aliqualis dilectionis hodie inter scholasticos apparere communiorem*, videtur non solum eam tolerasse, sed quodammodo approbasse, vel saltem grave eidem pondus tribuisse. Cum enim agatur de sententia, quæ directe afficit valorem sacramenti, et fateatur Pontifex scholasticos eam communius hodie excepisse; testatur consequenter ipsam communius haberi pro moraliter certa. Neminem enim latet, nefas esse in materia sacramentorum tenere opinionem, quæ non sit tutior vel moraliter certa. Si aliter intendisset, jam magnam errandi ansam dedisset in re gravi et ad praxim spectante, prout est materia hæc, unde pendet salus tot animarum, quod repugnat asserere (1).

» 3. D. Thomas postquam dixit, quod *per solam contritionem dimittitur peccatum antequam absolvatur pœnitens*, statim subjungit: *quandoque contingit, quod aliqui non perfecte contriti virtute clavium gratiam contritionis consequantur* (2). Distinguit ergo S. Thomas, prout distinguit Tridentinum, inter contritionem perfectam quæ justificat extra sacramentum, et imperfectam quæ justificat in sacramento. Atqui hæc non alia debet intelligi quam attritio.

» 4. *Accedit ratio ipsa Theologica*: Pœnitentia est sacramentum mortuorum, et valet per se ad conferendam gratiam primam; ità ut Sacerdos pœnitentem absolvens illum non solum ostendat absolutum, sed revera et effective absolvat. Atqui si attritio, de qua

(1) « Et Benedictus XIV, *De Synodo diœc.*, l. VII, c. 13, tradit sententiam nostram omnes post Tridentinum plausu excepisse. »

(2) « Quodl. 4, a. 1. »

loquimur, non sufficeret ad Pœnitentiam suscipiendam, omnes pœnitentes jam deberent accedere justificati; cum ex dictis omnis dolor proveniens ex charitate prædominante et super omnia, licet remissa et minus vivida, remittat peccatum etiam extra sacramentum.

» Objicies: *peccator non potest ad Deum converti, nisi per charitatem formalem, et actualem; atqui talis charitas non est in attritione, de qua hic.*

» Utique peccator non potest ad Deum converti, nisi per charitatem formalem, et actualem extra sacramentum; quia sicut per peccatum actuale et formale, quod est Deum contemnere, homo a Deo ipso avertitur; ita per amorem formalem et actualem debet ad ipsum converti, si in ejus amicitia se cupit restitui. Sed aliud est de peccatorum remissione intra sacramentum: nam cum sacramentum habeat virtutem delendi peccatum, et non possit producere hunc effectum, nisi per infusionem gratiæ, quæ est ipsa charitas habitualis, sufficit ad gratiam obtinendam, ut peccator per attritionem sit dispositus ad sacramentum recipiendum, virtute cujus etiam sine charitate actuali convertitur ad Deum; sicuti per charitatem actualem converteretur ad Deum extra sacramentum.

» *Nonne* (addes) *aliquod saltem principium dilectionis requirit Tridentinum ad omnem justificationem? Ergo etiam ad Pœnitentiam.*

» Requirit utique; cum declaret, quod peccatores *dum ad justificationem disponuntur, Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem.* Sed qualis est iste amor? non sane aliquis gradus charitatis perfectæ seu charitatis prædominantis, qua Deus super omnia diligitur. Notat Card. Pallavicini, quod Patres aliqui contendebant, ut iis verbis *diligere incipiunt,* adderentur hæc alia: *per actum charitatis.* Concilium autem restitit et voluit, ut non aliud poneretur, quam illud *diligere incipiunt.* Quare? nisi quia judicavit ad justificationem in sacramento non requiri charitatem *formalem et actualem* prædominantem et super omnia; sed sufficere aliquem pium motum supernaturalem, quo peccator efficaciter a peccato avertitur et vere ad Deum convertitur. Qui quidem motus provenit a consideratione tum fidei, quæ Deum exhibet tanquam judicem peccati vindicem, et tanquam omnis justitiæ fontem; tum spei, quæ peccatorem in veniæ et beatitudinis æternæ fiduciam adducit, eique Deum exhibet tanquam glorificatorem et datorem prœmii immortalis. Atqui amorem istum in attritione, de qua loquimur, jam adesse utique supponimus.

INDEX ANALYTICUS.

DE EUCHARISTIA.

Pág.

Agendum de sacramento et de sacrificio 1

DISPUTATIO I.

De Sacramento Eucharistiæ.

Definitur sacramentum, ... *ibid.*
et exponitur

I. — PARS DOGMATICA.

Caput I. — De institutione.

Quæst. I. Utrùm Christus instituerit, seu utrùm existat sacramentum Eucharistiæ? 2

Resp. affirm. — et

Probatur 1° Eucharistiam continere corpus et sanguinem, proindè animam et divinitatem Christi, modo permanente, vi transsubstantiationis, ad spiritualem animæ refectionem; — 2° præsentiam Christi in Eucharistiâ, cum conditionibus prædictis, verum constituere sacramentum. — Undè,

Prob. p. p. Iª propositio, — scilicet,

§ 1. — Eucharistiam continere *corpus et sanguinem Christi*: 3

Enuntiatis erroribus circa præsentiam realem, . . . *ibid.*

Probatur dogma *I° directè* 4

I. Scripturâ, — nempè,

1° Verbis promissionis . . . . . *ibid.*

2° Verbis institutionis. 7

3° Verbis Apostoli. 9

II. Traditione, — argum. seq., scilicet:

Tempore Calvini dogma catholicum admittebatur ab Ecclesiâ occidentali et orientali. 10

A tempore Calvini non fuit innovatum . . . . . *ibid.*

Pag.

I. à *Christianis :* — Hos 1° non innovâsse probatur
1° Factis, nimirùm,
1. lege secreti 11
2. calumniis paganorum 13
2° Testimoniis Patrum . . . . . *ibid.*
3° Liturgiis : — siquidem constat
1. liturgias, tùm occidentales, tùm orientales, continere dogma præsentiæ realis (præmissâ brevi notitiâ liturgiarum, afferuntur textus) 18
2. prædictas liturgias compositas fuisse à primis Ecclesiæ sæculis 23
imò, quoàd substantiam, ab ipsis Apostolis ; — quod demonstratur
tùm identitate substantiali omnium liturgiarum . . 24
tùm traditione. . . . . *ibid.*
constat 3. liturgias simul sumptas manifestare fidem Ecclesiæ universalis. 28
Christianos 2° non potuisse innovare probatur. . . . . *ibid.*
II. ab *apostolis* (non fuit innovatum). 29
Ergo dogma præsentiæ realis originem ducit à Christo . *ibid.*
III. Fide et doctrinâ Ecclesiæ . . . . . *ibid.*
Probatur dogma *II° indirectè*, seu solvuntur objectiones
1° quibus impugnantur probationes 1. è Scripturis . . 30
2. ex traditione 32
3. ex liturgiis deductas. 36
2° quibus adversarii falsitatem dogmatis probare conantur *ibid.*
§ 2. — Probatur Eucharistiam continere *animam et divinitatem Christi* 40
§ 3. — *Modo permanenti :* seu,
Probatur Christum in Eucharistiâ esse præsentem, donec species manent incorruptæ 41
§ 4. — *Vi transsubstantiationis :*
Præmissâ notione transsubstantiationis, juxta explic. Bellarmini 43
I. Christum esse præsentem in Eucharistiâ vi transsubstantiationis,
probatur contra Lutheranos, 1° directè 45
2° indirectè. 47

Pag.

Ulterius probatur

II. Christum in Eucharistiâ præsentem esse sub speciebus panis et vini, totum sub utrâque specie, imò sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ. 49

§ 5.— *Ad spiritualem animæ refectionem:*

Probatur Christum propter hunc finem esse præsentem in sacramento. 51

Probatur IIª Propositio, scilicet:

Præsentiam Christi in Eucharistiâ cum conditionibus prædictis *verum constituere sacramentum.* . . . *ibid.*

Quæstio II. Quandò Christus instituerit Eucharistiam? . 52

Resp. Christum instituisse Eucharistiam in ultimâ cœnâ — die, seu lunâ decimâ quartâ exeunte: quod breviter probatur contra Græcos. . . . . *ibid.*

Quæstio III. Quomodò Christus instituerit? 53

Resp. Christum instituisse Eucharistiam immediatè . . *ibid.*

CAPUT II. — De conditionibus.

ARTIC. I. De cond. ex parte *ministri*. . . . . *ibid.*

Quær. Quænam conditiones speciales requirantur

1° in ministro *Eucharistiæ conficiendæ?* 54

Resp. et prob. requiri et sufficere characterem sacerdotalem. . . . . *ibid.*

2° in ministro *Eucharistiæ distribuendæ?* 55

Resp. 1. nullam requiri ad realem distributionem corporis et sanguinis Christi; 2. ut autem hæc dispensatio fiat jure ordinario, requiri characterem sacerdotalem; 3. ut fiat jure extraordinario, requiri ordinem diaconatûs . . . . . *ibid.*

ARTIC. II. De cond. ex parte *elementorum*. 56

§ 1. — De materiâ.

Q. 1ª. Quænam sit materia Eucharistiæ? . . . . . *ibid.*

R. Materiam esse panem propriè dictum, et vinum propriè dictum. . . . . *ibid.*

Pag.

Q. 2ª. Quænam requirantur conditiones speciales in materiâ? 56

R. Requiri 1. panem triticeum, cum aquâ naturali confectum, coctum; 2. vinum ex uvis expressum. — Simul indicatur quænam species panis aut vini sint validæ nec ne. 57

§ 2. — De formâ.

Q. 1ª. Quænam sit forma Eucharistiæ? 58

R. formam sitam esse in his verbis *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, vel *calix sanguinis mei*; — et probatur, contra quosdam, prædicta verba sufficere. *ibid.*

Undè concluditur verba canonis, quæ præcedunt aut sequuntur, non requiri ad consecrationis validitatem. 59

Q. 2ª. Quænam conditiones speciales requirantur in formâ? seu,

1° utrùm valeat forma uni tantùm speciei applicata? . 60

R. affirmat. et prob. . . . . *ibid.*

2° quænam unio requiratur inter materiam et formam? *ibid.*

R. materiam debere physicè præsentem ac demonstrabilem esse sacerdoti consecranti. . . . . *ibid.*

Artic. III. De cond. ex parte *subjecti* 61

Quær. Quænam conditiones speciales requirantur?

Resp. 1. Ad receptionem realem corporis et sanguinis Christi, nullam requiri conditionem; 2. ad susceptionem sacramentalem, requiri manducationem specierum; insuper, in adultis, requiri intentionem saltem habitualem et implicitam. . . . . *ibid.*

Caput III. — De effectibus.

Quær. Quosnam effectus producat sacramentum Eucharistiæ? . . . . . *ibid.*

Resp. et prob. Eucharistiam 1° nutrire animam, ipsam intimè conjungere cum Christo, in eâque producere quoàd vitam spiritualem omnes effectus quos producit cibus et potus quoàd vitam materialem. . . 62

2° producere directè gratiam secundam remissivam peccati venialis, indirectè gratiam primam. 63

Pag.

3° producere gratiam sacramentalem; — proindè præservare à peccatis. 64
4° dare pignus resurrectionis et æternæ gloriæ. . . . . *ibid.*

Remittuntur partes *moralis* et *disciplinaris* post disput. *de Sacrificio* 65

DISPUTATIO II.

De Sacrificio Eucharistiæ.

Præviæ dantur notiones 1° de sacrificio in genere. . . *ibid.*
undè concluditur ipsius excellentia. 67
2° de sacrificio eucharistico 68

I. — PARS DOGMATICA.

Caput I. — De institutione.

Quær. Utrùm Eucharistia sit sacrificium verum et propriè dictum? . . . . . *ibid.*
Resp. affirmat. . . . . *ibid.*
Prob. I. — directè,
I. Scripturâ, — scilicet,
1° Argum. — quo demonstratur 1. in novâ lege verum et permanens existere sacrificium, 2. missam esse sacrificium novæ legis. 69
2° Argum. ex narratione institutionis Euchar. petito, — quo demonstratur 1. Christum in institut. Euchar. verum obtulisse sacrificium, 2. actionem sacerdotis Euchar. conficientis esse substantialiter unam cum actione Christi Euchar. instituentis. 71
II. Traditione, — scilicet,
Probatur dogma non fuisse inventum
1° ab Apostolis. 72
2° à Christianis: — Siquidem 1. dogma sacrificii eucharistici in Ecclesiâ vigere à primævis temporibus constat
factis . . . . . *ibid.*
testim. Patrum. . . . . *ibid.*
liturgiis. 74

Pag.
2. constat christianos non potuisse innovare. 77
III. Definitione Conc. Trid. 78
Prob. II. — indirectè, seu solvuntur objectiones
1° quibus impugnantur probationes allatæ . . . . . *ibid.*
2° quibus adversarii falsitatem dogmatis probare conantur 80

CAPUT II. — De conditionibus.

Non est agendum de condit. ex parte subjecti. . . . 81
ARTIC. I. De cond. ex parte *ministri* . . . . . *ibid.*
Quær. 1° quinam sit minister sacrificii? . . . . . *ibid.*
Resp. et prob. 1. Christum esse ministrum principalem. *ibid.*
2. sacerdotem esse ministrum secundarium in stricto sensu 82
3. fideles esse ministros in lato sensu; — quod explicatur . . . . . *ibid.*
Quær. 2° quænam conditiones requirantur in ministro ? 83
Resp. nullam specialem requiri, præter condit. in resp. ad 1 quæst. suppositas. . . . . *ibid.*
ARTIC. II. De cond. ex parte *elementorum* . . . . . *ibid.*
§ 1. — De materiâ.
Q. 1ª. Quænam sit materia, seu victima, sacrificii? . . *ibid.*
R. et prob. victimam esse Christum, quatenùs continetur sub speciebus panis et vini . . . . . *ibid.*
Q. 2ª. Quænam condit. requirantur in victimâ, seu, utrùm ad sacrificium sufficiat nec ne consecratio unius speciei? 84
Exponitur controversia, et concluditur probabiliùs requiri consecrationem utriusque speciei . . . . *ibid.*
§ 2. — De formâ.
Q. Quænam sit, seu quânam actione, aut quibusnam actionibus perficiatur sacrificium? 85
R. et prob. 1. consecrationem pertinere ad essentiam sacrificii, 2. consummationem sacramenti à sacerdote pertinere ad integritatem tantùm, 3. reliquas actiones (oblationes, fractionem, etc.) nec ad essentiam, nec ad integritatem pertinere 86

Pag.

CAPUT III. — De effectibus.

ARTIC. I. De *productione* effectuum. 87
Q. 1ª. Utrùm sacrificium producat effectus? 88
R. affirm. . . . . *ibid.*
Q. 2ª. Quosnam effectus? . . . . . *ibid.*
R. et prob. contra Pseudoreformatos, sacrificium esse simul latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium . . . . . *ibid.*
Q. 3ª. Quisnam sit valor effect. sacrif. in se consideratorum? 90
R. hos effectus in se consideratos esse quoàd substantiam et sufficientiam infinitos . . . . . *ibid.*
Q. 4ª. Quomodò producantur?
R. effectus proprios sacrificio produci ex opere operato. *ibid.*
ARTIC. II. De *applicatione* effectuum. 91
Q. 1ª. Utrùm effectus sacrificii hominibus applicari possint *ibid.*
R. effectus sacrificii hominibus applicari posse in diversis sensibus, nimirùm, quòd homines sacrificio uti possint 1. ad reddendum Deo cultum adorationis et gratiarum actionis, 2. ad obtinendum gratiam peccati mortalis remissivam, remissionem peccati venialis, relaxationem pœnarum peccatis debitarum, 3. ad obtinendum gratias actuales, augmentum gratiæ habitualis, alia bona spiritualia, bona temporalia . . . . . *ibid.*
Q. 2ª. Quibus hominibus applicari possint fructus sacrificii . . . . . *ibid.*
R. et prob. 1. hominibus vivis applicari posse fructus sacrificii, quatenùs est propitiatorium et impetratorium. *ibid.*
2. defunctis damnatis nullo sensu applicari posse fructus sacrificii; — defunctis in purgatorio degentibus applicari posse fructus sacrificii, solummodò quatenùs est satisfactorium; — defunctis gloriâ fruentibus... solummodò in eo sensu quòd sacrificium offerri possit in eorum memoriam et in gratiarum actionem pro beneficiis ipsis à Deo collatis, et ad impetrandam ipsis gloriam accidentalem 92

Pag.

Not. De oblatione sacrificii pro hæreticis, schismaticis publicis, etc., attentis legibus ecclesiasticis . . . 95

Q. 3ª. Quomodò applicentur effectus sacrificii ; seu

1° Utrùm immediatè et ex opere operato producantur ? 96

R. et prob. per sacrificium obtineri 1. mediatè et ex opere operantis, remissionem peccati mortalis et venialis, augmentum gratiæ habitualis, 2. immediatè et ex opere operato, gratiam actualem, bona temporalia, relaxationem pœnæ temporalis defunctis et vivis . . . . . *ibid.*

2° Utrùm effectus sacrificii in subjecto producantur modo infinito, an finito ? 97

Datis resp. *certis*, scilicet 1. fructum sacrificii homini applicatum non esse simpliciter infinitum. . . . *ibid.*

2. fructum missæ, respectu cujuslibet assistentis, non limitari propter multitudinem assistentium . . . *ibid.*

3. missam pro aliquibus specialiter oblatam ipsis specialiùs prodesse 98

Exponitur quæst. *controversa*, nimirùm, utrùm missa pro pluribus specialiter oblata, ipsis tantùm prosit, quantùm si uni soli specialiter applicaretur . . . *ibid.*

3° Ex quibus conditionibus pendeat productio effectuum in subjecto? 99

Distinctis effectuum sacrificii portionibus, generali, speciali et specialissimâ,

R. effectuum productionem,

1. quoàd omnes portiones, pendere à dispositionibus subjecti cui applicatur fructus sacrificii . . . . *ibid.*

2. quoàd portionem specialissimam et generalem, pendere insuper à voluntate divinâ. . . . . *ibid.*

3. quoàd portionem specialem, pendere, partim à voluntate divinâ, partim ab intentione celebrantis . . . 100

Quæ celebrantis intentio debet esse specialis, absoluta, ante consecrationem, determinata saltem implicitè . *ibid.*

Corol. Ex dictis de sacrificio concluditur missam esse actum religionis præ omnibus excellentissimum. . 101

Pag.

II. — PARS MORALIS.

Caput I. — De legibus generalibus.

Resumuntur in prop. seq.: Christus in Eucharistiâ est adorandus, etiam extra usum; proindè quælibet irreverentia erga Eucharistiam prohibetur omnibus, sub gravi aut sub levi proùt materia est gravis aut levis.— Quæ prop. probatur. 102

Caput II. — De legibus specialibus.

Artic. I. De legibus specialibus *sacerdoti ministro* . . 103
Punct. I. De obligationibus sacerdotis, quatenùs est minister *sacrificii* . . . . . *ibid.*
§ 1.— De oblig. spectantibus ad *oblationem*. . . . . *ibid.*
Sacerdos potest obligari jure divino ad oblationem sacrificii, ratione 1. sacerdotii, 2. officii, 3. stipendii seu conventionis. . . . . *ibid.*
1° Ratione sacerdotii : — Probatur sacerdotem, quamvis non sit pastor, jure divino teneri aliquandò celebrare; — explicatur particula *aliquandò*. . . . . *ibid.*
2° Ratione officii : — Probatur sacerdotes curam animarum habentes jure divino teneri sub gravi aliquandò offerre per se aut per alium pro ovibus suis . . . 105
3° Ratione stipendii seu conventionis : — Probatur sacerdotem jure naturali teneri adimplere per se aut per alium omnia ad quæ explicitè aut implicitè per conventionem se obligavit, sive quoàd celebrationem et applicationem missæ, sive quoàd circumstantias celebrationis.—Explicantur seorsim omnes hujus obligationis partes . . . . . *ibid.*
§ 2. — De oblig. spectantibus ad *modum* oblationis . . 112
Sacerdos jure divino tenetur, sub gravi aut sub levi, observare omnia quæ sunt necessaria ad dignam celebrationem. . . . . *ibid.*
Punct. II. De obligationibus sacerdotis quatenùs est minister Eucharistiæ *distribuendæ* 113
Determinantur principiis generalibus expositis ubi de *Sacram. in gen.*. . . . . *ibid.*

Pag.

Deducuntur solutiones circa denegandam aut concedendam communionem : infantibus, — semifatuis, perpetuò amentibus, mutis simul surdis ac cæcis à nativitate, epilepticis et obsessis, — capite damnatis, — publicè indignis. 113

Artic. II. De legibus specialibus *subjecto*. 116

Punct. I. De obligationibus subjecti erga Eucharistiam, quatenùs est *sacrificium* . . . . . *ibid.*

§ 1.— De obligatione *assistendi* sacrificio. . . . . *ibid.*

Probatur quemlibet fidelem jure divino teneri sub gravi aliquandò adesse sacrificio missæ. . . . . *ibid.*

§ 2.— De *modo* assistentiæ.

Probatur jure divino requiri conditiones debitæ orationis. 117

Punct. II. De obligationibus subjecti erga Eucharistiam, quatenùs est *sacramentum* . . . . . *ibid.*

§ 1.— De oblig. spectantibus ad *receptionem* sacramenti. *ibid.*

1° Quemlibet fidelem, modò discretionem habeat, præcepto divino teneri, sub gravi aut sub levi, pro circumstantiis, aliquandò Eucharistiam sumere,— probatur;—et explicatur quandonam præceptum urgeat directè, quandò per accidens . . . . . *ibid.*

2° Nullo præcepto divino fideles laicos, aut clericos Eucharistiam non conficientes teneri communicare sub utrâque specie, — contra Hussitas et Pseudoreformatos probatur 119

undè concluditur Ecclesiam potuisse interdicere,— et ostenditur Ecclesiam meritò interdixisse usum calicis 125

Notatur quàm laudabilis et commendabilis sit frequens, imò quotidianus usus sacræ Eucharistiæ. . . . *ibid.*

§ 2. — De oblig. spectantibus ad *circumstantias* receptionis 126

Ex eo principio, scilicet, fidelem communicaturum teneri pro circumstantiis, sub gravi aut sub levi, servare conditiones et circumstantias requisitas ad dignam communionem,—deducitur solutio quæst. seq.

1° De dispositionibus *animæ* : — scilicet. 127

Q. Utrùm sacerdos celebraturus, aut fidelis communi-

Pag.

caturus, teneatur ad confessionem, si sit in statu peccati mortalis ? 127

R. certò teneri ante communionem confiteri — eum qui gravis peccati conscius est ; — modò non adsit necessitas celebrandi aut communicandi, — et aliundè copia confessoris desit ; — imò sacerdotem qui, reus peccati mortalis, ratione necessitatis, celebravit, teneri quamprimùm post celebrationem confiteri.—Probantur et explicantur seorsim partes resp. *ibid.*

Utrùm autem præceptum illud sit divinum an merè ecclesiasticum? — Exponitur controversia, et concluditur præceptum videri simul divinum et ecclesiasticum 132

Notantur quædam circa cæteras dispositiones animæ, et circa frequentem communionem. . . . . *ibid.*

2° De dispositionibus *corporis*.

Datur solutio quæst. seq. scilicet, utrùm communioni obstent 1. pollutio, 2. actus conjugalis, 3. immunditiés externa? 133

III. — PARS DISCIPLINARIS.

Artic. I. De legibus specialibus *ministro* 135

Punct. I. De obligationibus sacerdotis, quatenùs est minister *sacrificii* . . . . . *ibid.*

§ 1. — De oblig. spectantibus ad *oblationem* . . . . *ibid.*

1° Omnes curam animarum habentes teneri sub gravi celebrare et applicare missam pro populo sibi commisso, singulis diebus dominicis et de præcepto festivis, licèt eorum titulus congruis reditibus destituatur, et non obstante consuetudine etiam immemorabili, nisi tamen adsit dispensatio, — probatur et explicatur. . . . . *ibid.*

2° Canonicos teneri missam conventualem quotidiè applicare pro benefactoribus in genere, — probatur . 138

Dantur notiones circa reductionem missarum . . . . *ibid.*

§ 2. — De oblig. spectantibus ad *circumstantias* oblationis 140

Præmisso principio generali, scilicet quemlibet sacer-

Pag.

dotem teneri in actione sacrificii servare quæ præscribuntur, omittere quæ prohibentur ab Ecclesiâ . 140
In specie exponuntur leges ecclesiasticæ
1° Circa *tempus* celebrationis: — scilicet, agitur
de celebratione fer. 6 in Parascev., Sabbat. sanct., fer. 5 in Cœnâ Dni. 141
de oblig. recitandi matut. et laud. ante missam. . . *ibid.*
de celebratione ante auroram et post meridiem. . . 142
de iteratione sacri eâdem die; — specialiter agitur de casibus necessitatis, et de conditionibus ad licitam iterationem sacri. 143
2° Circa *locum:* — scilicet, agitur
1. de ecclesiis, — de earum consecratione et benedictione, — earum pollutione, execratione, — earum reconciliatione. 146
2. de oratoriis publicis. 150
3. de oratoriis privatis. . . . . *ibid.*
4. de celebratione extra locum sacrum. 152
3° Circa *altare* et ejus ornatum: — agitur
1. de altari,—ejus consecratione, — ejus execratione. *ibid.*
2. de ejus ornatu, — scilicet, de crucifixo, candelis, mappis 154
4° Circa *vestes* sacras:
agitur de earum benedictione et execratione. . . 156
de pileolo et comâ fictitiâ. 157
5° Circa *instrumenta* sacrificii: — agitur
1. de calice, — de corporali, pallâ, purificatorio, etc. *ibid.*
2. de missali 159
De ministro inserviente . . . . . *ibid.*
6° Circa *modum* celebrationis: — statuitur missam esse celebrandam
1. juxta ritum à S. Sede approbatum . . . . . *ibid.*
2. exactè, — nihil addendo aut mutando. 160
3. integrè, — nihil omittendo, — nec missam incœptam relinquendo imperfectam, nisi ob causam gravem . 161
4. modo continuo, — nonnisi propter causam gravem eam interrumpendo. 163
5. breviter nec nimis festinanter. 164

Pag.
Tandem in genere statuitur oblig. servandi rubricas. . . 164
Punct. II. De oblig. sacerdotis quatenùs est minister *sacramenti*. 167
§ 1. — De oblig. Eucharistiam *administrandi*. . . . *ibid.*
§ 2. — De oblig. spectantibus ad *circumstantias* administrationis. . . . . *ibid.*
Præmisso principio generali, scilicet quemlibet sacerdotem teneri in administratione eucharistiæ servare quæ statuta sunt ab Ecclesiâ . . . . . *ibid.*
In specie exponuntur leges ecclesiasticæ
1° Circa jurisdictionem requisitam ad licitam administrationem. . . . . *ibid.*
2° Circa circumstantias 1. temporis. 168
2. loci. 169
3. modi . . . . . *ibid.*
Artic. II. De legibus specialibus *subjecto* 171
Punct. I. De obligationibus subjecti erga Eucharistiam, quatenùs est *sacrificium*. . . . . *ibid.*
§ 1. — De oblig. assistendi sacrificio. . . . . *ibid.*
Omnes fideles, rationis usum habentes — teneri sub gravi interesse missæ omnibus diebus dominicis et de præcepto festivis, — nisi adsit ratio dispensans: — probatur et explicatur . . . . . *ibid.*
§ 2. — De *circumstantiis* præcepti. — Agitur
1° de assistentiâ in *loco* debito. — Quid de assistentiâ in oratoriis privatis, — quid de missâ parochiali? . 173
2° de *præsentiâ* corporis debitâ. 175
3° de *intentione* et *attentione* debitâ 178
Punct. II. De oblig. subjecti erga Eucharistiam, quatenùs est *sacramentum*. 179
§ 1.—De oblig. *suscipiendi* Eucharistiam . . . . . *ibid.*
Quemlibet fidelem, postquàm ad annos discretionis pervenerit, teneri semel in anno sacramentum Eucharistiæ suscipere, nisi adsit impossibilitas physica aut moralis: — probatur. . . . . *ibid.*
§ 2. — De oblig. spectantibus ad *circumstantias* receptionis 180

Pag.

Agitur 1. de jejunio naturali ante communionem requisito, — de causis à jejunio dispensantibus 180
2. de communionis paschalis modo, tempore et loco. . 185

DE POENITENTIA.

Definitur sacramentum 191
et exponitur

I.— PARS DOGMATICA.

Caput I. — De institutione.

Quæst. I. Utrùm Christus instituerit sacramentum pœnitentiæ? 192
Prænotatis erroribus circa divinam sacram. pœnit. institutionem . . . . . *ibid.*
Resp. Christum instituisse sacram. pœnitentiæ, sacram. à baptismate distinctum 193
Probatur resp. — I° *directè* . . . . . *ibid.*
scilicet, seq. argum., quo demonstratur p. part. 1. Christum Apostolis eorumque successoribus concessisse potestatem remittendi quæcumque peccata post baptismum commissa, potestatem judicialem, annexam habentem facultatem imponendi pœnas pro peccatis; — potestatem cujus efficientia supponit in subjecto contritionem, confessionem, satisfactionisque propositum; — potestatem, quæ exercetur per validam sacerdotis absolutionem; — 2. exercitium prædictæ potestatis esse sacramentum propriè dictum; — 3. sacramentum illud esse distinctum à baptismo.
Prob. 1ª pars argum. — Et
§ 1.— Christum Apostolis eorumque successoribus concessisse:
1° *potestatem remittendi* quæcumque *peccata* post baptismum commissa (prob. Script., Tradit., Conc. Trid.) *ibid.*
2° potestatem *judicialem* (prob. Script., Tradit., Conc. Trid.) 195

Pag.

3° potestatem annexam habentem facultatem *imponendi pœnas* pro peccatis (prob. Script., Trad., Conc. Trid.) 197

§ 2.—Prædictæ potestatis efficientiam supponere in subjecto *contritionem, confessionem, satisfactionisque propositum:*

probatur modo generali, textu Conc. Trid. 198

dein seorsim probatur

I. de *Contritione:*

1° in genere, ad remissionem peccatorum, quocumque modo fiat remissio, jure divino requiri contritionem, seu dolorem ac detestationem de peccato, cum proposito non peccandi de cætero (prob. rat. theol., Script., Tradit., Conc. Trid.). 199

2° in specie, ad remissionem peccatorum per sacramentum obtinendam, quemdam hujusmodi contritionis motum requiri 200

II. De *Confessione:*

eam requiri ad remissionem peccatorum per sacramentum. 201

Hæc autem confessionis necessitas

1° deducitur ex verbis Christi: *quorum remiseritis* . . *ibid.*

2° probatur argum. Tradit., — statuitur nimirùm

1. nec apostolos. 202

2. nec christianos innovâsse de illo dogmate; — quod ultimum

constàt 1. testimoniis SS. PP., quæ supponunt aut explicitè probant dogma de necessitate confessionis à primævis sæculis in Ecclesiâ vigere . . . . . *ibid.*

constat 2. doctrinâ et praxi confessionis apud Ecclesias orientales 207

constat 3. impossibilitate innovationis. . . . . *ibid.*

3° probatur Conc. Trid.. 208

III. De *Satisfactione* (seorsim probatur):

præmissâ notione satisfactionis. . . . . *ibid.*

requiri propositum satisfactionis ad remissionem peccatorum per sacramentum . . . . . *ibid.*

Porro, datâ necessitate contritionis, quæ supponit propositum adimplendi præcepta, — probatur

Pag.

1° in genere, ex ordine divinitùs instituto, necessariam esse humanam satisfactionem pro peccatis. . . . 209

statuitur nempè 1. satisfactionem confineri inter actus ab homine lapso requisitos ad remissionem peccati (prob. rat., Script., Trad., Ecclesiæ praxi et definit.) *ibid.*

2. sæpiùs, remisso culpæ ac pœnæ æternæ reatu, superesse in vindictam ejusdem culpæ debitum pœnæ temporalis in hoc sæculo vel in futuro luendæ (prob. Script. et PP., fide et praxi, definit. Eccles.). . . 211

2° in specie, cujusdam satisfactionis impositionem necessariam esse in sacramento, eamque respectu subjecti veram induere præcepti naturam (prob. rat. theol., auctor. PP. et Eccles., Conc. Trid.). . . . 213

Notatur inferiùs probandum fore ad valorem sacramenti sufficere votum satisf. 214

§ 3. — Potestatem remittendi peccata *exercevi per validam sacerdotis absolutionem,* seu, per absolutionem sacerdotis verè et propriè remitti peccata . . *ibid.*

probatur Script., Tradit., Conc. Trid. . . . . *ibid.*

Prob. 2ª pars argum.— scilicet,

Exercitium potestatis remittendi peccata *verum constituere sacramentum.* 216

1° arg. quo demonstratur in exercitio hujus potestatis contineri omnes veri sacramenti conditiones, 2° Conc. Trid. . . . . *ibid.*

Prob. 3ª pars argum.— scilicet,

Pœnitentiam esse sacramentum à baptismo distinctum . 217

1. ratione theol., 2. Tradit., 3. Conc. Trid. . . . . *ibid.*

Prob. resp. H° *indirectè* — seu, solvuntur objectiones,

contra 1ᵃᵐ argum. part.,—quibus impugnantur 1. concessio potestatis peccata remittendi facta tùm apostolis, tùm eorum successoribus 218

2. necessitas contritionis, et satisfactionis ad remissionem peccatorum. 221

3. necessitas confessionis. 224

4. vis remissiva absolutionis. 230

contra 2ᵃᵐ arg. part.,— quibus negatur pœnitentiam esse sacramentum. 232

Pag.
contra 3am arg. part., — quibus negatur pœnitentiam à baptismo differre. 233
Quæst. II. Quandò Christus instituerit sacram. pœnitentiæ? . . . . . *ibid.*
Resp. et prob. Christum instituisse sacramentum pœnitentiæ præcipuè die resurrectionis. . . . . *ibid.*

CAPUT II. — De conditionibus.

ARTIC. 1. De conditionibus ex parte *ministri*. 234
Quær. Quænam conditiones speciales requirantur in ministro? . . . . . *ibid.*
Resp. requiri semper characterem sacerdotalem, — approbationem, — jurisdictionem in personam,— aliquandò jurisdictionem specialem in materiam . . *ibid.*
Probatur seorsim 1° necessitas characteris sacerdotalis. *ibid.*
2° necessitas approbationis 238
3° necessitas jurisdictionis in personam absolvendam . 239
4° necessitas jurisdictionis specialis in materiam . . 240
Explicatur necessitas jurisdictionis in personas, — et aliquandò in materiam. 242
I. — Circa jurisdictionem in *personas:*
1° de *Subjecto*
Quær. Quis habeat jurisdictionem? . . . . . *ibid.*
Præmissis notionibus de jurisdictione ordinariâ, delegatâ tùm ab homine, tùm à jure, subdelegatâ . . *ibid.*
statuitur— 1. quinam habeant jurisdictionem ordinariam 243
2. quinam habeant jurisdictionem delegatam *ab homine*, — (assignantur conditiones requisitæ ex parte delegantis, delegationis et delegati). . . . . *ibid.*
quinam habeant jurisdictionem delegatam *à jure*,— (agitur 1. de jurisdictione concessâ in periculo mortis, 2. de jurisdictione ex errore communi et titulo colorato, 3. de jurisdictione probabili et dubiâ) . . 244
3. quinam habeant jurisdictionem *subdelegatam*. . . 248
2° de *Extensione*
Determinatur quænam sit extensio jurisdictionis,
1. quoàd personas et locum. . . . . *ibid.*

Pag.
2. quoàd durationem. 250
II. — Circa jurisdictionem in *materiam :*
Præmissis 1. notione, 2. conditionibus, 3. speciebus casuum reservatorum. 251
et datâ solutione plurium quæst. quibus explicantur notiones præviæ. 253
1° de *Subjecto*
Quær. Quis habeat jurisdictionem in casus reservatos ? . 255
Statuitur 1. quinam habeant jurisdict. *ordinariam*. . . *ibid.*
2. quinam habeant jurisdict. *delegatam* aut *subdelegatam* (specialiter agitur de potestate Episcopis à jure concessâ quoàd casus Papæ reservatos). 256
3. quid sit, an quandòque, et in quibusnam circumstantiis detur jurisdictio *indirecta* in casus reservatos . 258
2° de *Extensione*
Determinatur extensio jurisdict. in casus reservatos
1 et 2. quoàd loca, personas et durationem 261
3. quoàd peccata. . . . . *ibid.*
4. quoàd modum exercitii. 262
Artic. II. De conditionibus ex parte *elementorum*. . . *ibid.*
§ 1. — De materiâ.
Quæst. I. — Quænam sit sacramenti pœnitentiæ
1° materia *remota?* 263
Resp. et prob. remotam esse materiam sacramenti omnia peccata mortalia aut venialia, non remissa aut etiam remissa, post baptismum commissa . . . . *ibid.*
2° materia *proxima?* . . . . . *ibid.*
Resp. et prob. proximam sacramenti materiam esse tres actus pœnitentis, scilicet, contritionem, confessionem, satisfactionisque votum 264
Quæst. II. — Quænam conditiones requirantur ex parte materiæ; seu, in contritione, confessione et satisfactione? 265
I. De *Contritione :*
Præmissâ notione contritionis, et assignatâ distinctione perfectam inter et imperfectam contritionem. . . *ibid.*
deìn contra Lutheran. et Jansenist. probatâ thesi scili-

Pag.

cet, attritionem ex metu gehennæ simpliciter servili conceptam esse bonam et utilem, atque supernaturalem 266
Quær. 1° qualis contritio sit materia sacramenti? . . 269
Resp. 1. contritionem perfectam optimam esse materiam sacramenti, minimè verò necessariam . . . . . *ibid.*
2. imperfectam contritionem esse materiam sufficientem:—quod 1. concluditur ex argum., quo statuitur contritionem perfectam, junctam cum voto sacramenti, hominem justificare priusquàm sacramentum actu suscipiatur; 2. deducitur ex Conc. Trid. . . 270
Quær. 2° quænam requirantur conditiones in contritione quatenùs est materia sacramenti? 273
In resp. dantur 1° conditiones *generales*,
certæ,— scilicet probatur utriusque speciei contritionem debere esse 1. interiorem, 2. exteriùs manifestatam, 3. supernaturalem, 4. summam, saltem appretiativè, 5. actualem, 6. universalem. 274
exponuntur quæst. *controversæ*, nempè 1. an propositum debeat esse explicitum, 2. utrùm requiratur actus contritionis ordinatus ad sacramentum, 3. utrùm actus contritionis debeat præcedere confessionem, 4. utrùm unicus actus contritionis sufficiat duplici absolutioni; — et statuitur quid tenendum in praxi. 276
Dantur 2° conditiones *speciales*,
contritionis *imperfectæ* (cùm in contritione perfectâ nulla specialis conditio requiratur) 277
condit. *certæ*,—scilicet probatur attritionem debere 1. excludere voluntatem peccandi, 2. includere spem veniæ. . . . . *ibid.*
notantur quæst. *controversæ*, nempè 1. utrùm in attritione requiratur amor Dei, 2. qualis amor requiratur . . . . . *ibid.*
II. De *Confessione:*
Ad quæst. superiùs positam, scilicet, quænam requirantur conditiones in confessione? 278
In resp. dantur conditiones confessionis, nimirùm

Pag.

1ª Cond. Absit à confessione peccatum mortale : — quod probatur et explicatur 281

2ª Cond. Confessio sit integra.— De illâ conditione, prænotatâ distinctione materialem inter et formalem integritatem 282

probatur integritatem materialem requiri ad remissionem directam, formalem autem sufficere ad validitatem sacramenti, proindè et ad indirectam peccatorum remissionem . . . . . *ibid.*

in explicationem solvuntur

Quæst. generales,— nempè 1. utrùm muti teneantur ad accusationem explicitam omnium peccatorum quorum memoriam habent ; 2. utrùm pœnitens teneatur confiteri peccatum quod accusare non potest absque manifestatione complicis? 284

Quæst. special. — 1º relativæ ad accusationem peccatorum, — nempè, 1. quorum peccatorum accusatio necessaria sit ad integritatem formalem confessionis (in specie, quoàd mortalia, agitur de peccatis dubiis) ; 2. utrùm accusatio peccatorum possit dividi, ità ut pœnitens unam partem uni, alteram partem alteri sacerdoti confiteatur 285

2º quæst. relativæ ad accusationem circumstantiarum, — nempè utrùm pœnitens teneatur accusare circumstantias peccatorum? (Exponitur, inter alia, controversia de circumstantiis notabiliter aggravantibus) 288

III. De *Satisfactione :*

Ad quæst., qualis requiratur satisfactio ad validam sacramenti receptionem? 291

Resp. et prob. requiri et sufficere satisfactionem in voto, modò sit sincera . . . . . *ibid.*

§ 2. — De formâ.

Quæst. 1ª. Quænam sit? 293

Resp. et prob. formam sacram. pœnitentiæ sitam esse in absolutione sacerdotis. . . . . *ibid.*

Quæst. 2ª. Quænam conditiones speciales requirantur in absolutione ? . . . . . *ibid.*

Pag.

Resp. et prob. formam debere 1. exprimi verbis, 2. exprimere remissionem peccatorum, 3. exprimere explicitè subjectum et materiam, 4. postponi actibus pœnitentis moraliter perseverantibus. 293
Artic. II. De cond. ex parte *subjecti* 297
Quær. 1° quodnam sit subjectum sacram. pœnitentiæ ? *ibid.*
Resp. omnem et solum baptizatum esse subjectum . . *ibid.*
Quær. 2° quænam conditiones speciales requirantur in subjecto? . . . . . *ibid.*
Resp. requiri et sufficere ut peccatum saltem veniale commiserit post baptismum. . . . . *ibid.*

Caput III. — De effectibus.

§ 1. — De productione gratiæ sanctificantis, seu de remissione peccatorum . . . . . *ibid.*
Quæst. 1ª. Utrùm sacram. pœnitentiæ insit vis remissiva peccatorum? 298
Resp. affirmat. . . . . *ibid.*
Quæst. 2ª. Quænam peccata sacram. pœnit. remittere possit? . . . . . *ibid.*
Resp. et prob. hoc sacram. non posse remittere peccatum originale et peccata actualia ante baptismum commissa, benè verò omnia peccata post baptismum commissa . . . . . *ibid.*
Quæst. 3ª. Quomodò sacram. pœnit. remittat peccata?— seu
1ª Sq. Utrùm alia possit remittere sine aliis? 299
R. negat. de mortalibus, affirmat. de venialibus . . *ibid.*
2ª Sq. Utrùm ità peccata remittat, ut nunquàm reviviscant? . . . . . *ibid.*
R. affirmat. et prob. . . . . *ibid.*
3ª Sq. Utrùm remittat pœnam cum culpâ? 300
R. et prob. sacram. pœnit. semper remittere pœnam æternam cum culpâ, non verò totam semper pœnam temporalem. . . . . *ibid.*
4ª Sq. Utrùm ità remittat peccata, ut reviviscant opera mortificata? 301

Pag.

Præmissâ distinctione operum relativè ad salutem,
R. et prob. cum remissione peccatorum reviviscere opera mortificata. 301
§ 2. — De gratiâ sacramentali. 303

II. — PARS MORALIS.

Artic. I. De legibus specialibus ministro. . . . . *ibid.*
Revocatis principiis generalibus de obligationibus ministri sacramentorum, — ex iis deducuntur obligationes confessarii.
§ 1.—De obligat. confessarii quæ *præcedunt* confessionem 304
De virtutibus et doctrinâ ipsi necessariâ . . . . . *ibid.*
§ 2. — De oblig. confessarii *durante* confessione. . . *ibid.*
I. De officiis relativ. ad contritionem,
statuitur confessarium teneri
1° excitare pœnitentem ad dolorem, si pœnitens non videatur dispositus 305
2° emendationem pœnitentis procurare,—ipsum docendo, si sit in ignorantiâ,— monendo prudenter, si sit in errore . . . . . *ibid.*
II. De officiis relativ. ad confessionem,
statuitur confessarium teneri procurare integritatem confessionis,
1° per iterationem confessionum præteritarum (agitur de confessionibus iterandis) 306
2° per interrogationes pœnitenti factas. 308
III. De officiis relativ. ad satisfactionem,
statuitur confessarium teneri — imponere satisfactionem — pro qualitate criminum et pœnitentium facultate convenientem, — medicinalem, — imponere ante absolutionem 309
IV. De officiis relativ. ad absolutionem,
1° Principio statuitur absolutionem in genere concedendam esse modo *absoluto* omnibus et solis pœnitentibus, quos confessarius prudenter judicat esse dispositos 311
Ex illo principio deducitur solutio quæst. seq.

Pag.

Quarum 1° aliæ spectant ad conditionem confessionis, nempè

Q. 1. Utrùm confessarius possit absolvere, si dubitet utrùm pœnitens fuerit sincerus, si certus sit pœnitentem non fuisse sincerum? 312

Q. 2. Utrùm confessarius possit absolvere pœnitentem qui in confessione tacet de actione graviter peccaminosâ juxta opinionem confessarii, sed nullo modo vel tantùm leviter peccaminosâ in opinione pœnitentis? 313

Quæst. 2° relativ. ad conditiones contritionis, firmi propositi et satisfactionis:

Q. 1. Utrùm possit absolvere pœnitentem qui versatur in occasione aut in periculo peccandi? — Datis notionibus de occasione et periculo peccandi, — solvitur quæstio, pro diversis occasionum speciebus. . . *ibid.*

Q. 2. Utrùm confessarius possit absolvere consuetudinarium et recidivum?— Datis notionibus de consuetudine peccandi et de recidivis, — solvitur quæst. pro diversis respectibus 318

Q. 3. Utrùm debitor possit absolvi antequàm restituat? 320

Not. Quænam sint signa extraordinaria contritionis . . *ibid.*

2° Principio determinantur casus in quibus absolutio concedenda est sub conditione 321

3° Principio determinantur casus in quibus differenda est 322

§ 3. — De oblig. confessarii *post* confessionem. . . . 323

1° De oblig. corrigendi defectus . . . . . *ibid.*

2° De observandâ lege sigilli 325

Art. II. De legibus specialibus subjecto 329

1° Principio statuitur,— receptionem sacram. pœnit. necessariam esse,— tùm necessitate medii,— tùm necessitate præcepti divini, — omnibus et solis christianis rationis usu fruentibus,— qui post baptismum peccatum mortale commiserunt. (Ultimo loco agitur de remissione venialium) . . . . . *ibid.*

2° Principio determinantur conditiones servandæ ad dignam receptionem sacramenti 334

Pag.

Undè solvuntur quæst. seq., nimirùm
Q. 1ª. Quandònam ex jure divino recipiendum sit sacramentum pœnitentiæ, ab eo qui commisit peccatum mortale? 334
In resp. datis casibus certis, in quibus certum existit præceptum, sive directum, sive indirectum ; — exponitur controv. : utrùm urgeat præceptum statim post peccatum. . . . . *ibid.*
Q. 2ª. Quænam sint oblig. speciales subjecti in susceptione sacram. pœnitentiæ. 335
In R. evolvuntur oblig. subj. — 1º ante confessionem . *ibid.*
2º durante confessione. 336
3º post confessionem . . . . . *ibid.*
Inter alia, circa satisfactionis adimpletionem, — statuitur obligatio, — agitur de commutatione satisfact., — exponuntur q. controv. 1. utrùm pœnitens possit eam adimplere in statu peccati mortalis, 2. utrùm satisfaciat per adimpletionem operis præscripti absque intentione satisfaciendi 337

III. — PARS DISCIPLINARIS.

Artic. I. De legibus specialibus ministro. 341
Prop. 1ª. Statuitur oblig. ministrandi sacram. pœnit. . *ibid.*
Prop. 2ª. Determinantur ritus ab Ecclesiâ præscripti in administr. sacram. pœnit. . . . . *ibid.*
Artic. II. De legibus specialibus subjecto. 342
Prop. 1ª. Statuitur omnem utriusque sexûs fidelem, postquam ad annos discreticnis pervenerit, teneri omnia peccata sua confiteri saltem semel in anno; — exponitur q. controv. an teneatur propter sola venialia? *ibid.*
Prop. 2ª. Statuitur servandas esse præscriptiones eccles. relativ. ad circumstant. præcepti. — Agitur de qualitate, ministro, et tempore annuæ confessionis . . 343
Appendix. De sollicitat. ad turpia 345